74.1.15.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
15 H
3

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu


Digitized by Google

12
Z C
h
19

Digitized by Google

Ex Officina Hartmanni Palthenij, Sumptibus Hæredum D. Zachariæ Palthenij, p.m.

ANNO M. DC. XIX.



Digitized by Google

Digitized by Google

24.1.15.

12
15 H
3

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

fect

[illegible]

Digitized by Google

Obj. 2° si ad unitatem [illegible] sufficit unius actus abstracti illius, q° actus unus [illegible] quo cognoscit omnes homines [illegible] [illegible] ille quo dico Omnis homo, [illegible] q° ille [illegible] ex p° obiecti attingit omnia singularia sicut actus confusus [illegible] unum [illegible] obiecta [illegible] una in ratione cogniti. q° [illegible] constitutum [illegible]

Resp. [illegible] ideo per actum illum confusum [illegible] singularia in ratione [illegible] quia ipse actus in se unus est. Sed quia [illegible] [illegible] confusionem ita cognoscit singularia ut ea non distinguat [illegible] [illegible] cognoscit [illegible] unus [illegible] [illegible] alia illa confusione actus [illegible] [illegible] indistincta a [illegible] [illegible] in ratione cogniti (haec [illegible] et [illegible] clare [illegible]) [illegible] in ratione [illegible] actus [illegible] [illegible] distinguit [illegible] a Paulo et a reliquis individuis de [illegible] per illum actum [illegible] distincte [illegible] et [illegible] in [illegible] [illegible] de actu quo dico omnis homo qui [illegible] [illegible] pluralitatem [illegible] obiecti [illegible] actus [illegible] [illegible].

[illegible] actus [illegible] quo cognosco plura [illegible] illis aliquam unitatem [illegible] [illegible] non [illegible] quo actus [illegible], [illegible] unitatem cogniti [illegible] unitatem in aliqua ratione [illegible],

Obj. actus ille [illegible] omnes homines [illegible] unus [illegible] [illegible] non posset esse ille actus. Resp. non est magna [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] non [illegible] [illegible] [illegible] qui [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] esse [illegible] Resp. non [illegible] hoc sed per illum [illegible] [illegible]

Obj. [illegible] [illegible] [illegible] praedicabiles [illegible] et [illegible] cognita non [illegible] praedicabiles de quolibet

[illegible] Resp. [illegible] Concedo [illegible] quod [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Obj. [illegible] [illegible] plura [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] plura [illegible] [illegible] [illegible]

Respondent aliqui per illum [illegible] plura [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ille actus non [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quo [illegible] plura [illegible] humana [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] actus [illegible] non [illegible] plura [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Obj. 2a

Sectio

Quis actus [illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

DN. LVDOVICI
MERCATI,
MEDICI A CVBICVLO PHILIPPI II. HISPANIARVM, ET NOVI ORBIS, SEV INDIARVM, REGIS POTENTISSIMI; AC PROTOMEDICI, ET IN VALleſoletana Academia primariæ Cathedræ Profeſſoris emeriti,

INSTITVTIONES CHIRVRGICÆ,

IN DVOS LIBROS DISSECTÆ, IVSSVQVE Regio pro Chirurgis in praxi examinandis facta, ac à cæteris Protomedicis approbata,

A MVLTIS HACTENVS MVLTVM DESIDERATÆ,

NVNC VERO

RELECTÆ, REVISÆ, MARGINALIBVSQVE REI ſummam cuiuſq; Capitis breuiter indicantibus, necnon characterum diuerſitate pulchrius adornatæ, primum in Germania editæ.

CVM PRIVILEGIO S. CÆS. MAIEST.



FRANCOFVRTI AD MOENVM,

Ex Officina Hartmanni Palthenij, Sumptibus Hæredum D. Zachariæ Palthenij, p.m.

ANNO M. DC. XIX.

Digitized by Google

PHILIPPO II. HISPANIARVM, INDIARVMQVE REGI POTENTISSIMO, LVDOVICVS MERCATVS Medicus a Cubiculo, felicitatem.

SI eam Rempublicam beatam fore diuinus Plato refert, Rex Potentiſſime, quæ principes, rectores, & conſiliarios ſcientiarum ac virtutum amatores nanciſcitur, (quod nihil aut præſtabilius aut excellentius habere vlla hominum ſocietas poſſit,) quid potentatibus & regnis tibi ſubditis felicius vel glorioſius accidere vſquam potuit, quàm tuo imperio potentiſſimo eſſe, & armis decorata, & legibus præclaris ſumma diligentia gubernata? Quæ ſanè, grauitate, integritate, conſilio ac virtute conſiliariorum & iudicum ita moderaris ac regis, vt nil ad felicitatem illius Platonicæ Reipublicæ in noſtra deſiderari videatur. Quarum profectò felicitatum author & exemplar tu es, qui nullis vnquam fortunæ temerariæ inſultibus infirmari potes, neque diſtrahi à tuorum commodis & honorum ornamentis, quantumuis calamitoſis his noſtris temporibus veluti titubans & fortunæ temeritate turbata appareat vndique totius orbis machina. Hæc etenim & longe præſtantiora de te concipiet, qui Regiæ Maieſtatis tuæ nouerit ſpectatiſſimam excellentiam, egregiam quandam, & plane inuictam animi celſitudinem, & Chriſtianam pietatem. Scimus enim, te Rege, omnes artes, præſertim quarum fructus immortalitas eſt, coli cœptas eſſe, ſuam religioni & veræ pietati dignitatem reſtitui, virtutibus vitia cedere, vim æquitati, rationi amentiam, & libidinem pudori, quibus humano generi ſalutaris doctrina comparatur. Quippe tibi quies labor eſt pro virtutum ac literarum propagatione, & vita vitam conterere pro iuſtitiæ cuſtodia, quæ regia clementia adiuncta tibi prima & antiquiſſima virtus eſt. Etenim ſereno vultu & animi integritate in tantarum rerum turbatione interna pace, & incredibili prouidentia omnia ſic moderaris ac regis, vt ſolùm vni tantum rei dicatus videaris. Imperaſti, Rex potentiſſime, miſertus Reipublicæ periclitantis in tanta Chirurgorum penuria, & Medicinam ſtudentium negligentia,

¶ 2

tia, Inſtitutiones vtriuſque partis Medicinæ conſtruere ac perficere, quibus quantum poßibile fuerit huic malo prævematur, vt his memoriter perceptis in examen conſcendant Medicinæ ſtudioſi. Qua potui diligentia tuo iuſſui obtemperans pro viribus vtrumque opus perfeci, & ſpero in Medicæ facultatis commodum ac Reipublicæ vtilitatem abiturum: exiguum ſané opus, ac tanta Maieſtate indignum, ſed pro ſummo tuo erga ſtudioſos amore accipe ac foue, vt Regio patrocinio ſecurius incedat, & vtilius cuiq; efficiatur.

AD

AD MEDICINÆ STVDIOSOS.

EVENTV fidiſſimo comperimus, vt reliqua mortalium opera, ita & artes omnes poſt integram perfectionem, ſummumq; ſtatum, mox titubantes caſuraſq; non ſine magna Reipublicæ iactura interitum minari. Quod profectò maximè in Medica facultate, vel temporum incuria, vel lucri cupidirate, aut hominum negligentia, his noſtris temporibus euidentiſſimum apparet, ita vt niſi diligentia maxima præueniatur, omnino interituram conſpiciamus. Cui etenim malo tanquam maximo & in hominum contemprum ac perniciem exorto, prouidens potentiſſimus Philippus II. Hiſpaniarum, Indiarumq; Rex Catholiciſſimus, inſtituit; & lege ſancitum promulgauit, ne quis Medicæ facultatis vſum priùs aggrediatur, quàm curſibus ſuis peractis, & gradu primo in eâdem facultate ſuſcepto, ac duorum annorum praxi abſoluta, coram Protomedicis in examen conſcendat. Cui vſui iuſſit Inſtitutiones Medicas * & Chirurgicas efficere, quibus ſperandum eſt, profligata iuuenum ſegnitie, & cupiditate lucri depoſita, ac amore artis & honoris ſolùm ſuſcepto, à propinquo Medicinæ interitu ipſam eruendam fore. Quippe non ſat eſt Medico futuro communia & generalia artis præcepta calluiſſe, quibus vacuandum alterandumve, aut quoduis aliud auxilium exequendum ſolum perdiſcit, niſi cui, quando, quantum, quomodo, & quouſq; ſit agendum, exactè nouerit: quippe mederi, aut ſanare, non eſt inſcindere, vel non inſcindere: aut medicamenrum dare, vel non dare, ſed ſic affecto hæc præſtare: quod profectò tàm eſt difficile, quàm eſſe Medicum. Quæ ſane beneficia diligenti Medico præſtanr peritia & ars: illa quidem duobus annis exequenda, vel vt rectius loquar, initianda: hæc vero hic ediſcetur, ſi hæc omnia præcepta medica & chirurgica, examinandus memoriter renueris, maxime ſi ſuperbiam ex ignoratione contractam depoſueris. Inquit enim Hippocr. Nihil ignorantia doctius, nec audacius: vtrumque enim his præceptis infirmabis, & ad maiora idoneus efficieris. Sic qui Chirurgi officinam ingredi cupit, poſt tres Medicinæ curſus Chirurgicas inſtitutiones memoria teneat, & praxi peracta, in examen conſcendat, quo probatus, & ſibi, & Reipublicæ vtilis efficietur. Quippe hæc eadem conſulit Hippoc. *lib. de decenti ornatu ad perfectum Medicum futurum*, dicens: Sint & in memoria tibi morborum curationes, & harum modi quotupliciter, & quomodo ſinguli ſe habeant: hoc enim principium eſt in Medicina, & medium, & finis: ne quis arbitretur, promulgatam legem denuo eſſe ſancitam, ſed mille iam annis ſepultam, in gratiam & vtilitatem Reipublicæ obſeruandam, nunc denuo excitatam. Cuius rei teſtimonium tibi erit, candide Lector, fidiſſimus in praxi euentus. Vale.

* *Ea, quæ libris I. & II. Medicinalium Inſtitutionum Mercati tractantur; eadem in libris de Recto medicinalium præſidiorum adminiſtratione habentur; & quidem multò pleniùs: nam ſolent poſteriora prioribus magis elaborari.*

I. HARTM. BEYER D.

ELENCHUS INSTITUTIONUM CONTENTARUM IN TRACTATU PRIMO PRIMI LIBRI INSTITUTIONUM Chirurgicarum.

I. DE tumoribus præter naturam in genere.
II. De tumorum præter naturam differentiis.
III. De tumorum præter naturam cauſis & modo generationis.
IV. De omni genere tumorum ex ſanguine.
V. De eryſipelate & aliis tumoribus ex bile.
VI. De œdemate & pituitoſis ac frigidis tumoribus.
VII. De ſcirrho & melancholicis tumoribus.
VIII. De tumore flatuoſo.
IX. De tumoribus ex carnea ſubſtantia.
X. De tumoribus reductiuis ſeu extrauagantibus.

IN TRACTATU SECUNDO continentur.

I. DE vulneribus in genere.
II. De vniuerſali vulnerum curatione.
III. De vulnere contuſo.
IV. De vulneribus neruorum & neruoſarum partium.
V. De vulneribus venarum & arteriarum, ac de ſanguinis profuſione.
VI. De vulneribus abdominis.
VII. De vulneribus thoracis.
VIII. De capitis contuſione & vulneribus.

IN TRACTATU TERTIO CONTINENTUR.

I. DE vlceribus in genere.
II. De vlcere diſtemperato, cacoethe, diſſepulotico & inueterato.
III. De vlcere virulento & corroſiuo, ac de ſordido & putrido.
IV. De fiſtulis & vlceribus cauernoſis.
V. De vlcere cancroſo.

LIBRI SECUNDI INſtitutiones.

I. DE topicorum auxiliorum adminiſtratione in genere.
II. De euacuatione quæ fit à parte.
III. De recto auxiliorum alterantium vſu.

De

Elenchus Inſtitutionum.

IV. *De adſtringentium præſidiorum adminiſtratione.*
V. *De recta laxantium auxiliorum adminiſtratione.*
VI. *De recto emollientium præſidiorum vſu.*
VII. *De aperientium auxiliorum adminiſtratione.*
VIII. *De trahentium auxiliorum adminiſtratione.*
IX. *De repellentium auxiliorum adminiſtratione.*
X. *De auxiliorum reſoluentium adminiſtratione.*
XI. *De pus mouentium auxiliorum recta adminiſtratione.*
XII. *De recta adminiſtratione tergentium auxiliorum.*
XIII. *De recto vſu auxiliorum carnem generantium.*
XIV. *De his quæ cicatricem inducunt medicamentis.*
XV. *De recta agglutinantium auxiliorum adminiſtratione.*
XVI. *De anodynorum & lenientium auxiliorum recto vſu.*
XVII. *De roborantium auxiliorum differentiis & recto vſu.*

FINIS.

PRÆ-

DN. LVDOVICI MERCATI MEDICI HISPANI &c.

Inſtitutionum Chirurgicarum LIBER PRIMVS.

DE TVMORIBVS PRÆTER NAturam in Genere.

INSTITVTIO I.

Status naturalis corporis.

VT Chirurgus rectè, & vt par eſt, ediſcere poſſit tumorum præter naturam, tùm eſſentiam, tùm differentias, cauſas, generationis modum, & curandi rationem, cum alijs quę neceſſaria ſunt, primò ſciat, ſtatum naturalem in noſtris corporibus conſtare ex optima temperie, decenti figura, & ex partium vnitate: ob idq; fieri præter naturam & morboſum vno ex his tribus (aut duobus aut omnibus) euerſo aut à debito mutato. Et licet ex cuiuſuis prædictorum mutatione, variæ & multiplices ſuboriantur morborum ſpecies, tamen cum omnes ſimul à debito & natiuo ſtatu euariant, duo potiſſimum morborum genera ſuboriuntur: alterum quidem eſt *Vlcus*: quippe ob id cenſendum eſt Hippocrat. dixiſſe, *Omnem morbum eſſe vlcus*, hoc eſt, vlcus complecti omnia morborum genera: reliquum verò *Tumor præter naturam*: in quo euidentiſſimum eſt, euerſam eſſe temperiem partis, vbi præeſt, mutatam quoque figuram, & vnitatem diſſociatam. Cum hoc tamen ſtatuendum eſt, ex his tribus morborum ſortibus, vnum tantum morborum genus ſuboriri, appellatum *Tumorem præter naturam, ſeu Apoſtema, aut Inflammationem*. Verùm ſi quis rem hanc diligentiùs penſitet, reperiet hæc nomina, vt inter ſe differunt, ita tumores per ea ſignificatos longiſſimis interuallis diſſidere. Nam tumor præter naturam omnem complectitur excreſcentiam ſupra naturalem figurā acquiſitam: at apoſtema, vt nōnulli interpretantur, ſolū abſceſſum, ſeu tumorem ſuppuratum, inflammatio verò ſolummodo calidum tumorem: quo fit vt nulla ratione tumor præter naturam poſſit definiri per aliquod ex prędictis. Non quidem per inflammationem, quia potiùs diffiniretur per ſpeciem, quàm per genus: neq; per abſceſſum, eadem ratione, neq; per tumorem præter naturam in genere: nam cum teneatur actiones lædere vt morbi rationem ſubeat, & nō omnes tumores id poſſint efficere, quatenus excreſcentiæ ſunt non naturales, quia parui & qui puſtuloſi tantū ſunt, actiones nō vitiant, ſed quatenus pars intemperata eſt, aut diſcōtinuata. Qua ratione generalior & proprior videtur diffinitio, quæ fit per hoc verbum, *Apoſtema*, quatenus non contrahitur ad abſceſſum, ſed quemuis deſignat tumorē præter naturam ex triplici genere morborum conſtātem, in quo actiones vitiantur, iuxta dominium morbi in cōplexu omnium pdominantis: quippe neceſſum non eſt oēs morbi rationem præſtare, ſed ſufficit vnicam morbi rationē, ex omnib. ad vnicā formā redactis proficiſci. Nam aliquando ſolùm elucet vitium temperiei, vt in puſtulis, quorum paruitas actionibus non officit: nonnunquā ſoluta vnitas; vt in partiis & doloroſiſſimis puſtulis: aliquando ex omnibus ſimul, vt in grandiorib. tumoribus, quorum magnitudo actiones etiam vitiat forſan animales: & intemperies quoq; vegetabilium munera: ac ſoluta vnitas vtramq;.

Apoſtematis definitio.

Quo fit, vt Auic. definitio commodior videatur, qua inquit: *Apoſtema eſt, ægritudo compoſita ex triplici genere morborum in vnam magnitudinem aggregatorum*. Quibus verſus conſtat, de apoſtemate generaliter, pro omni tumore præter naturam ſumpto loquutum, & complexum fuiſſe omnes tumores, quorum nullus caret his tribus morborum ſortibus. Quod verò diffiniatur à Galen. aliquando pro *magnitudine aucta actiones vitiante*, mirum non eſt, quia diffinit per notius & euidentius: & licet hoc non ſit inconueniens, eſt tamen à ratione alienum aliquid diffiniri per id quod nequeat diffiniri naturam integrate, quantumuis notum ſit: & cum apoſtematis ſubſtantia conſtet ex tribus, diffiniri per vnum, eſt non leue erratum; quantumuis intelligatur de incremento præter naturam, quod excludit tumores naturales & naturalem obeſitatem. His ſuppoſitis, ſtatuendum eſt, *tumorem præter naturam eſſe morbum ad organicas partes attinentem, tum per ſe, tum vitio ſimplicium*, vt

intemperies probat. Quippe tumor omnis præter naturam intemperies eſt cum affluxu materiæ, cuius praua qualitate pars quæ recipit, intemperatur (quamuis non deſint, qui credant intemperiem in partibus præeſſe ante humoris aduentum, ſed id ad imbecillitatem receptioni humoris aptam referendũ eſt) cuius etiam copia in tumorẽ & magnitudinem, ex longitudine, altitudine & profunditate conſtantẽ pars creſcit & attollitur, ac figuram naturalẽ mutat: cuius item ſubſtantia & motu, quia ſeſe inſinuat in ſpatia non naturalia, partes diſtinguuntur, extenduntur, ac dilacerãtur, & ſoluta ſucceſcit vnitas, quibus tumorum omnium præter naturam integratur ſubſtantia & vera ratio.

Vltimò conijcere oportet, varie authores vſurpaſſe tumorum nomenclaturas: nã maior eorum pars *apoſtemata* appellat omnem tumorem maioris quantitatis: *puſtulas* tumores omnes exiguos: quos *batores* etiam multi nuncuparunt, in quibus humor qualitate magis, quam copia peccat: exituras verò eos tumores quos *abſceſſus* Græci nominarunt, aut qui ſuppurationẽ iam incipiunt: nam cùm verè eſt abſceſſus, à Barbaris *dubeles* nuncupatur. Sed nominib⁹ liceat cuiq; vti vt libuerit, dum res ipſa non ignoretur.

DE TVMORVM PRÆTER NATVram differentiis.

INSTITVTIO II.

PRætermiſſis differentiis *accidentalibus*, quæ vel ſumuntur ab affectis partibus, aut à ſymptomatis, vel à cauſis efficientibus, & iis etiam quæ à magnitudine & paruitate (quas *eſſentiales* vocant) eas tantum in re medica arbitror *eſſentiales*, quæ è directo, primo & per ſe & in vniuerſum curationis methodum ac rationem circumſcribunt, licet cæteræ omnes non nihil iuuent. Huius autem naturæ ſunt, quæ à materia, ex qua tumor præter naturam ſuccreſcit, deſumantur, vt Gal. variis in locis aſſeuerat. Quam ſanè diuiſionem vt quis exactè complectatur, ſciat tumores omnes in genere eſſe in triplici differentia, à materia quæ influit ſumpta ratione. Quippe quidam ſunt *Simplices*, alij *Compoſiti*, & plures *Reductibiles*, vel *Extrauagantes*. Sic vniuerſam hanc inſtitutionẽ in tres partes diſſecare ſtudebo, agens primò de ſimpliciſſimis tumorum differentiis: ſecundo de cõpoſitis, & vltimo de reductiuis ſeu extrauagantibus.

Li. de tumo. præ. & lib. 13. meth.

Simplices igitur tumorum præter naturam differentias in ſeptem ſpecies diſſectas reperio, iuxta diuerſitatem materiæ, quæ eodem ẽt numero cõprehenditur. Quippe ex his, quidã tumores fiunt ex *ſanguine*, nonnulli ex *pituita*, plures ex *bile*, & ex *melancholia* alij: item ex *extranea & diuerſa materia* aliqui: ex *flatu* plures, ac vltimò ex *carnoſa ſubſtantia* non pauci.

Simplices tumorum præter naturam differentiæ.

Sic profectò tumores qui ex *ſanguine* fiunt, aliqui prodeunt à ſanguine *laudabili*: plures à ſanguine *vitioſo*: & alij à *mortificata & extincta* ſanguine. Qui verò à laudabili fiunt, vel prodeunt à *craſſo*, & tunc ſolum producitur phlegmon benignus: vel ab eodem ſanguine *tenui & ſubtili atq; benigno*, & tunc oritur phlegmon acutus: qui aut ſuccreſcit in partibus extremis, vt *paronychium*, aut in aliis partibus, vt *dothienes* Græcorum: *aldemenut*, ab Arabibus, & à Latinis *furunculus* dictus: qui ſanè in inguinibus dicitur *buba*, & in aliis partibus etiam *phyma*: quibus accedit *aneuriſma*, & *ecchymaſis*. Quod ſi ſanguis ſit mortificatus extincto eius calore, vel vtcunque diſſipato, prodit *ſphacelus* ſeu *eſthiomenon*. Verùm ſi ex prauo & vitioſo ſanguine tumor aliquis suboriatur, conſiderare tunc oportet, an craſſus, aduſtus & veluti venenoſus ſit: nam eo tempore prodeunt malignæ exituræ, *antraces & carbunculi*: at ex ſubtili & tenui atque vitioſo ſanguine fiunt *profundi phlegmones* & cum accidentibus, præſertim ſi ſanguis fuerit aduſtus & feruidus.

Tumores ex ſanguine.

Tumores verò qui ex *pituita* fiunt, vel prodeunt à *tenui*, aut à *craſſa*, vel ab *aquoſa*. Ex tenui quidem *œdema* prodit, ex craſſa autem *ſtruma, ateroma, ſteatoma & mellicerides* ſuboriuntur. At ex aquoſa *hydrocelle* in teſticulis, *hydrocephali* in capite, vel in aliis partibus, quos idandas vocant, item & *hydropes*.

Tumores ex pituitas

Pari ratione ex *bile mitiori* fiunt *eryſipelas ſine vlcere*, ex *acriori* verò, ſi craſſa fuerit, prodit *eryſipelas cum vlcere*, aut *herpes exedens*. Si autem ſeroſa ſit, fit *herpes miliaris ambuſtium*. ſi verò aduſta efficit *formicam ambulatiuam, eſthiamenoſam*, aut *ignem Perſicum*, vel *ſancti Antony*.

Tumores ex bile.

Sic ex *melancholia pura* efficitur ſcirrhoſus *tumor exquiſitus*, ex non pura autem fit *cancer*: qui aut eſt vlceratus & occultus, & appellatur à nonnullis *carcinoma*: aut vlceratus & manifeſtus, qui propriè dicitur, *Noli me tangere*, maximè ſi in facie fuerit.

Tumores ex melancholia.

Ex materia autem extranea, & quæ iam degenerauit à natura humorum, tumores etiam nũ pauci fiunt, in quibus reperiuntur veluti *capilli, carbones, oſſa, teſta, lapilli*, & huius naturæ alia, quæ his & aliis rebus extraneis ſimillima ſunt.

Tumores ex materia extrema.

Sic pari ratione ex materia flatuoſa fit tumor *emphyſema*, ſeu *inflatio* appellatus, qui aut ſuccreſcit in cauitatibus magnis, vt in ventriculo, inteſtinis & ſcroto, aut ſub cute vel periuſtiis, aut cuiuſuis membri paruiſſimis poris.

Tumores ex materia flatuoſa.

Præterea fiunt tumores ex ſubſtantia carnoſa, ad quorum genus pertinere videntur propriæ partium & totius corporis excreſcentiæ, & præter naturales tumores, ſiue ex pinguedine, ſiue ex carne fiant. Item cum in membro aliqua pars ſupercreſcit, aut caro adnaſcitur, vt *polypus, fungus* & huius naturæ alii tumores, quorum extuberantia carnea eſt. Atq; hi ſunt omnes ſimplices tumores: & licet alij plures reperiantur, vel ad hos erunt reducibiles, vel inter extrauagantes annumerandi, eo quod à diuerſa materiæ diſpoſitione ſuboriantur.

Tumores ex ſubſtãtia carnoſa.

Com-

Digitized by Google

Tumores compoſiti.

Compoſiti verò *tumores* variis modis complicati reperiuntur: vtcunq; tamen ſit, vel ſuperſunt *calidi, vel frigidi.* Si *calidi* ſint, prodeunt à ſanguine & bile: qui ſanè humores ſi æqualiter miſceantur, medius quidam affectus prodit inter phlegmonē & eryſipelas: ſi verò inæqualiter, inſpiciendum eſt an ſuperet ſanguis, quo tempore efficitur *phlegmone eryſipelatodes*: vel ſi bilis ſanguinem ſuperet, fit *eryſipelas phlegmonodes.* Quod ſi *frigidi humores* in vnum coëant, neceſſario fiet ex pituita & atrabile: qui ſi æqualiter confluant, medius producitur affectus inter œdema & ſcirrhum: ſi verò inæqualiter, & vincit pituita, *œdema ſcirrhodes* efficitur: verùm ſi melancholia ſuperet, *ſcirrhus œdematodes.* Quod ſi ſanguis & pituita admiſceantur æqualiter, tunc quidem medium procreant affectum inter phlegmonem & œdema: ſi verò inæqualiter, & pituita prædominetur, fit *œdema phlegmonodes*: ſicut ſanguine ſuperabundante *phlegmon œdematodes.* Pari ratione, cùm ſanguis & melancholia æquis portionibus adiunguntur, medius quidam comproducitur affectus inter ſcirrhum & phlegmonem: verum ſi ſanguis prædominetur, *phlegmon ſcirrhodes* progignitur: ſicut præualente melancholia, *ſcirrhus phlegmonodes.* Eodem prorſus modo bile & pituita æquis partibus concurrentibus medius fit affectus inter œdema & eryſipelas: verùm dominante pituita, fit *œdema eryſipelatodes*, ſicut exuperante bile, *eryſipelas œdematodes.* Sic profectò coëuntibus pari menſura bile & melancholia, medius pullulat affectus inter ſcirrhum & eryſipelas: cæterùm præualente bile, *eryſipelas ſcirrhodes*, & exuperante melancholia, *ſcirrhus eryſipelatodes.* Atq; hæ ſunt poſſibiles tumorum complicationes, licet ex aliis etiam ſimplicibus complicari varias tumorum ſpecies comperiamus: quas conſultò prætermittimus, quia certo numero aut lege nulla ratione comprehendi poſſunt.

Tumores extrauagantes.

Extrauagātes, ſeu reducibiles tumores varii reperiuntur, ex variis humorib. orti, & in variis partibus adnaſcentes, quos vel ad melāncholiam, vel ſalſam aut nimis craſſam pituitam reducere oportet. Cuius naturæ ſunt *varices*, *verruca*, *ſeu porra*, *myrmecia*, *acrochordones*, *clauus*: *thymū*, *cornua*, *calli*, *dracunculi*, *puſtulæ*, quæ licet ex aliis quoq; ſuccis mille modis vitiatis prodire poſſint, ſemp aliquid melancholicum ſecum afferunt. Huius etiam naturæ ſunt *lepra*, *ſeu pſora*, *lichen*, *ſeu impetigo*, *ſcabies*, *albarras*, *alphi*, *vitiligo*, *ionthi*, *epynictides*, *ſudamina ſeu pſydraces*, *morbilli*, *variolæ*, *exanthemata*, *ſeu ecthymata*, *papula*, *terminthi*, *dartra & mentagra.* Itē ſunt aliæ cutis tumoroſæ defœdationes ex morbo Gallico pdeuntes, quæ non ſunt huius conſiderationis.

DE TVMORVM PRÆTER NATVram cauſis, & modo generationis.

INSTITVTIO III.

EVIDENTISSIMVM quidem eſt, & omnium Medicorum conſenſu confirmatum, *tumores præter naturam variis modis, & à variis cauſis originem ducere.* Sic profectò ſciendum eſt, duobus modis poſſe in noſtris corporibus ſuccreſcere: *Vno* quidem paulatim & ſenſim, congeſta in aliqua particula materia, quę ſenſim quoq; augeſcens, eleuari in tumorem comperimus: quem fieri per paulatinam congeſtionem ſcribunt Medici. Cuius tumoris cauſſas & generationem duplices cognoſcimus: *Alteram* cum pars nequit genitum excrementum præ impotentia expellere, vt ex Galeno euidenter conſtat, & addit viarum anguſtiam & excrementorum craſſitiem, tanquam concauſſas prædicti mali: *Reliquam* verò cum ex alimento familiari prauam generat ſubſtantiam & excrementitiā. Vtroq; enim modo paulatim & ſenſim patienter natura ferente aggregationem excrementitiæ ſubſtantiæ, congeritur & concreſcit tumor, donec ad magnitudinem morboſam ſine dolore & cum intemperie peruenit. In quo tumoris genere conſtat, partem longè magis eſſe morboſam & imbecillam, quā in eo quod fit per decubitum, vt etiam docuiſſe conſtat Hippocrates. At ſecundo modo tumores fiunt per defluxum ſeu decubitum aut tranſmutationem materiæ vnius partis ad aliam, modò confertim & ſubitò, modò lentè & ſenſim fiat. Quam ſanè tranſmiſſionem fieri tribus omnino cauſſis omnibus eſt compertum: nimirum humoris fluentis copia aut vitio, quibus excitarunt ſecunda cauſſa, videlicet membri in quo viget humor, efficacia, robur & potentia, qua expellit ſibi moleſtum humorem, quocunque poteſt modo, & in quamcunque partem, ſed præſertim ad imbecillam, quæ tertia tumoris aut receptionis prauorum humorum cauſa eſt. Itaque tres neceſſario cauſſæ conſcendunt ſimul ad tumoris generationem, humoris vitium aut copia, quæ laceſſat naturam ad pulſum, fortitudo membri ad tranſmiſſionem illam; item impotentia membri recipientis, aut maxima cum eo communio. Fit autem recipiens membrum imbecille aut aptum receptioni ex natiua impotentia, vt cutis vniuerſa, vel ex morbo contracta, vel ex innata raritate, vt adenoſæ partes, aut vt Gal. ſcribit, ex ſito decliui, ex amplitudine vaſorum ad partem recipientem attinentium, aut ex ſtrictura vaſorum membri tranſmittentis: item ex recipientis calore, aut dolore, vel vacuo, vt ſecunda harum Inſtitutionum parte latiùs ſumus probaturus. His tantū modis fieri tumores præter naturam omnibus eſt compertum. Verùm qui ex defluxu fiunt, vt Gal. aduertit, mutato humore ab vna in aliam partem, hac lege fiunt. Priùs etenim implentur humore fluente maiores venæ, poſtmodum minores, tandem minimæ, donec per earum oſcula & poroſa liquid excurrit & inſtillat in ſpatia & poros in carnis, nerui, ligamenti, & reliquarum ſubſtantiarū, quouſq; præ copia tendantur, dilacerētur, & pars in abſceſſum cōmigret, cum dolore & calore atq; compreſſione, & membrum in inſignem tumorem attollatur.

Lib. 2. de diffe. ſe. c. 11. Lib. 3. ſympto c. 2.

Li. 2. prædi. prope finē.

Cauſæ generationis tumoris.

Li. de ſta. co. 25.

Lib. de inæqualiter c. 3.

Li. de tumo. præ. c. 8.

Secunda huius capitis pars continet in genere cauſſas & occaſiones tumorum omnium præter naturam, nullo habito reſpectu ad prædictos ge-

netationis modos. Quas ſanè Medici omnes trimembri diuiſione complectuntur: nam quædam ſunt *procatarctica* & *externa*, *euidentes* ſeu *præincipientes*: quippe ſic eas diffiniens Gal. dicens: *Cauſa primitiua eſt illa, quæ extrinſecus corpori aduenit, ipſumque vehementer alterat atque immutat, & poſt modum ſeparatur.* Huius generis ſunt *animalium morſus*, & reliqua quæ contundendo aut extendendo partes, vel facta punctione aut doloroſo affectu, damnum inferunt, vt *ictus, caſus, percuſſio, oſſis fractio, aut luxatio*: & inſuper *res omnes non naturales*, cum nimiæ ſint humores agitare & mouere, quo facilè concitantur fluxiones. Rurſus ſecunda & præcipua cauſſa eſt, vocata *antecedens*, quæ nulla alia eſt, quam plenitudo aut vitium quatuor humorum naturalium (quales ſunt, qui extra corpus concreſcunt) aut excrementorum quæ ex ipſis, vel quouis alio modo fiant (quæ nullo modo extra corpus concreſcunt) vt ex Galen. mille in locis conſtat. Itaque ex ſanguine, quem Galen. intelligit omnem humorem, & ex quouis aliorum humorum, facilè fieri poſſunt: ſic enim ex his fiunt quatuor illi tumores primi, *phlegmon* ex ſanguine, *eryſipelas* ex bile, *ſcirrhus* ex melancholia, & ex pituita *œdema*, quia hi ſunt humores naturales. Præter ea non ex flatu & ex ſpiritu arteriarũ & ex omni extranea ſubſtantia, vt dictum eſt: quæ quidem omnia cauſſæ antecedẽtis rationem cõplent. *Coniuncta* autem cauſſa nulla alia cenſeri debet, præter materiam contentam intra tumoroſam partem, qua præeſt in actu tumor: ſiquidem protinus ſubſidet tumor & omne eius aggregatum, ipſa materia educta, aut omnia ſimul adſunt ipſa præſente. Dimitto hac in parte diuiſionem in cauſſas efficientes, formales, materiales, & finales, quia arbitror præhabitam diuiſionem vſui medico commodiorem eſſe. Denique eam licet externam cauſſam extimare, quæ facto malo protinus abit, & nullam ad curationem præſcribit indicationem, licet ad cognitionem affectus maximè conducat. Ea verò cenſenda eſt antecedens, cui reuulſionis omne genus debetur, ac ſi quieta permanſerit, *euacuatio*, ſicut dum in partis affectæ venis iam eſt, propriè *deriuatio* aut *repulſio*. Cæterùm ea dicenda eſt cauſſa coniuncta, cui vel euacuatio à parte nuncupata debetur, vel propriè induratio: euacuabitur quippe à parte, repulſu, reſolutione, aut poſt ſuppurationem aperto tumore.

Li. intro. cap. 8.
Li. de cau. mor. c. 2.
Lib. introd.
Lib. art. me. c. 85.
Li. de cau. morb. c. 2.
Li. 11. meth. c. 9.
Lib. de nat. hom.

His ſuppoſitis, ſupereſt nunc diſſerere, qualiter finiri terminarique poſſit quiuis prædictorum tumorum. In qua re ſtatuendum eſt, tumores omnes poſſe vna trium terminationum finiri, præter corruptionem, quæ potius mutatio mali in aliud grauius ac diuerſum eſt, quàm mali terminus. Cui accedit altera ex toto contraria, quæ eſt, repulſio humoris ante alterationem vllam, quæ fit medicamentis quæ vim habent repellendi quod influit & influxum eſt, ac in parte receptum: denique corruptio eſt *alteratio ex toto corruptiua*, repulſio *mali euaneſcentia citra alterationem*: ac reſolutio, ſuppuratio, & mutatio tumoris in duritiem, *alterationes ſunt partis in materiam*, corruptio verò *alteratio à materia corrupta*: vtrumque docuit Galenus his verbis: *Itaque duorum alterum ſequi eſt neceſſum, vel ſupirante fluxione corporum quæ ſuccubuere, ſequi corruptionem, vel ea deuicta, muſculum ad naturalem habitum reuerti.* Et vt doceat, qualis terminationum optabilior tutiorque ſit, inquit: *Subijciamus ipſam primum fluxionem ſuperare, rectius enim a melioribus incipietur*; duplex hic incidit curationis modus: quòd ſcilicet, vel digeritur ſeu diſſoluitur, quidquid in particulam humoris procumbit, vel concoquetur: verùm diſſolutio optabilior exiſtit; ad concoctionem autem hæc duo conſequuntur neceſſario: nempe *puris generatio, & eius in aliquod ſpatium abſceſſio.* Vtrum horum ſubſequuturum ſit in apoſtemate facilè diſces, ſi expenderis, membri leuitatem ſine pulſatione oſtendere reſolutionem tumoris: dolorem, duritiem, caloremque perſeuerantem, ſuppurationem, maximè ſi accedat inordinata horripilatio. Verùm ſi imminuatur tumor, manente aliqua duritie, ſignum eſt indurationis tumoris. Quòd ſi in cæruleum aut nigrum colorem cum prauo odore mutetur tumor, & poſt ingentes dolores indoloroſior fiat, mortificationis eſt euidentiſſimum ſignum, quia euidenter his ſignis conſtat neruea in ſubſtantiam putrefactam quoque eſſe. Recurrit etiam tumor præter naturam ad interna, vno è duobus modis: vel repulſa materia ad maiores venas vi medicamentorum repellentium: vel natura errante tranſmittenteque humorem ad aliud membrum. In qua re, ſicut ad maiores venas remeare periculoſum non eſt, ita ad aliud membrum permutari, periculo plenum exiſtit, vt Hippocrates ſtatuerat, maximè ſi ad principalius fiat commeatus, etſi ſubitò tumor euaneſcat: quare *ſemper cautè repellentibus agendum eſt.* Itaque partem corruptã virulentia humorum, peſſima omnium mutatio eſt, laudabilior quæ per reſolutionem fit: nam morbum terminat, vt Hippocrates docuerat, & Galenus *adhuc in ſuppuratis tentandam eſſe reſolutionem* præcipit. Cum hoc tamen ſuppurationem (vt quæ non reuertatur, vt docuit etiam Hippocrates, quia *cocta non efficiunt recidiuam*) longè eſſe tutiorem, quia corpus à recrementis expurgat per apertum foramen, nemo eſt qui ambigat: ſic enim aperti & purgantes bubones à morbo Gallico ſæpe liberant. Cum hoc tamen tumores oculorum, teſtium, iecoris, aut membri alicuius principalis, longe meliùs & tutiùs indurantur (licet *deterior ſit induratio abſolutè ipſa ſuppuratione*) quàm ſuppurentur, vt etiam conſuluerat Hippocrates de oculis loquens, quia partes huius naturæ ſuppurari periculo non caret, & ob id in huiuſmodi membris ſemper tentanda eſt reſolutio, potiùs quàm in quouis alio.

Li. de inæqual. intem. c. 7.
Li. 1. prognoſt. 68.
Li. 1. prorr.
Li. de medico.
Li. 13. meth. c. 5.
Li. 3. localium c. 2.
Li. 6. pop. part. 3.
Lib. 4. de morb. pop.

Conſiderabis vltimò in omnibus his tumorum terminationibus tempora & mutationes, vt quæ longe magis curandi rationem euarient quàm cauſſa ipſa, aut morbus vt morbus eſt. Quæ ſanè tempora ſeu partes vno è tribus modis conſiderabis: primò qua tumor eſt, cuius principium à fluxionis, ſeu concretionis initio auſpicari oportet: & licet primò acceſſu parum influere videatur, mox longe magis confluit, & ſenſim minùs, vſque ad tumoris complementum: cæterùm quod fluxum eſt, magis eſt dum creſcit quàm in principio, quantumuis minꝰ

fluat

fluat in fine augmenti quàm in principio ipſius ſtatus, cum tumor integram magnitudinem iuxta ſui naturã adeptus eſt. Inclinatio verò aut reſoluta materia, aut poſt ſuppurationem euacuata: at ſi tumorem conijcias habito reſpectu ad alterationem materię, nulli eſt dubiũ, principium eius eſſe mutationẽ & alterationem materię inſenſibilem, hoc eſt, quando in tumore nõ apparet calor, neq; vlla alia alteratio diuerſa ab ea quæ primo fluxionis principio apparuit: quia licet operetur natura, actio tamen eius ſenſibilis non eſt: augmentum verò, quando iam calor & dolor, & reliqua alterationis ſigna euidentia ſunt, ob puris initium & confectionem, q̃ perficit ſtatus, in quo omnia hęc accidentia & plura alia in ſummo vigore exiſtunt, & tumor videtur creſcere, licet ad augmentũ nouæ materiæ aduentu non fiat, ſed ex præexiſtentis efferueſcentia. Inclinatio verò pure confecto, & deliteſcentia omnium accidẽtium, cum tumoris ſubſidentia, quam ex efferueſcentia contraxerat. Accidentia verò ferè in morbis ex fluxione ipſam ſequuntur: ſed in paulatinis congeſtionibus ſolùm ſequuntur ſtatum coctionis, in quo dolores ac febres magis vigent, nullis perceptis in pręcedentibus temporibus, ſicut in tumoribus ex defluxu reperiuntur.

DE OMNI GENERE TVMORVM ex ſanguine.

INSTITVTIO IIII.

DICTVM antea eſt, ex ſanguine ſuboriri tres tumorum ſortes, dum citra alicuius alterius ſucci admiſtionem conſcendit ad tumoris effectionem, idque iuxta tres quas ſortiri poteſt diſpoſitiones. Nam vel laudabilis ſuperabundat, & colligitur in aliqua parte, licet craſſus ſit, & eo tempore benignum generat phlegmonem: vel tenuior exſtit, & ob id phlegmonem quoque efficit, cæterùm acutiorem. Aut rurſus colligitur ſanguis prauus, aduſtus & venenoſus, quo tempore carbunculos, anthraces & malignas exituras producit: quod ſi cum hoc ſubtilis fuerit ſubſtantiæ, profundos generat tumores, de genere etiam phlegmonum malignorum. Rurſus tertiò ſanguis collectus in aliqua particula emoritur, & generat ſphacellum ſeu eſthiomenum. Quamobrem mihi opus eſt, hoc Caput in tres potiſſimas partes diſſecare: prima diſſeret *plegmonem benignum*: ſecunda *carbunculoſam & malignum*: tertia verò eſt *hiomenoſam & ſphacellatum*.

Phlegmonis definitio Lib 13 meth c 1. Lib. 2. ad Glauc. Circa primam, noſſe oportet *phlegmonem* à Latinis inflammationem noncupatum, *nihil aliud eſſe*, vt refert Galen. *quàm tumorem partium carnoſarum cum calore, rubore, dolore, pulſatione, tenſione ac renitentia.* Quæ diffinitio ſeparat ſiccam inflammationem, quam *phlogoſim* nominauit Hippocrates ab humida quam ipſe & Eraſiſtratus ac reliqui Medici, phlegmonem, ſeu tumorem durum & dolentem cum prædictis accidentibus, nuncuparunt. Ratio huius fuit, quia partes carnoſæ ex delapſo à venis maioribus ad minimas & ſpatia carnis ſanguine, in tumorem eleuantur, qui ſane ſcalfactus, calorem concitat & dolorem: nam cum venulæ nequeant eam copiam continere, effunditur è vaſis roris modo, ad parua foramina, præſertim laxarum partium, quales ſunt glandulæ & muſculi, & viſcerum ſubſtantia: nam partes ſolidiores, vt chordæ, nerui & ligamenta rarius inflammantur, niſi à ſoluta earum vnitate: quippe tunc faciliùs quàm carnoſæ partes ob ingentes dolores. Itaque prædictis ſpatiis ſanguine excollato plenis tenditur pars, & ea ratione tangenti renititur, pulſus ob arteriarum viciniam, cum vel magnus eſt tumor, vel ſuppuratur: quibus arteriis ſe mouentibus, partemque inflammatam ferientibus dolorem pulſatiuum concitat, dolorem quidem ob dilatationem partium ab extenſione factam, ac forſan dum fit abſceſſus ob diruptionem: item ob adiunctã intemperiem: pulſatiuum verò ob pulſum eo tempore maiorem propter caloris augmentum in parte dolẽte.

Concitant huiuſmodi phlegmonem *cauſæ* quas diximus: primum *externæ* vt ictus, caſus, percuſſio, & omne id quod extrinſecus accidere poteſt, partemq; ad dolorem aut calorem alterare. *Internæ* item videlicet exuperans copia ſanguinis, quę validum membrũ à ſe pellit in imbecillam aliq̃ particulam, q̃ cogitur recipere ob imbecillitatẽ, aut ipſa trahit, quia inanita, quia calida, quia doloroſa. Cæterùm ſanguis, qui aut trahitur, aut tranſmittitur, poſtquam in parte recipitur, vicem gerit continentis cauſæ, & ipſe tunc quantumuis laudabilis ſit, vel craſſus ſua natura eſt (qualis ad ſolidas & denſas partes alendas proficuus gignitur à natura) aut tenuis & ſubtilioris ſubſtantiæ: non quidem vitio ſed natura. Quo fit, vt in hoc phlegmonis genere, quod legitimum & benignum continet, etiam duæ reperiantur phlegmonis ſortes: *Altera* benigni & ſuperficialis, vt qui ex craſſiori fit ſanguine: *Reliqua* verò benigni & profundioris, qui à tenuiori ſanguine suboritur. Cauſæ.

Signis facilè noſces principium inflammationis, prout primum morbi deſignat inſultũ, quando pars in tumorẽ attolli incipit, & figura quodãmodo mutari, cum dolore alicuius particulæ circumſcripto: nec inconuenit, id duorum triumve dierũ ſpatio euidentiùs apparere, vt ſecunda vtamur principii acceptione. Poſtquam *augmentum* eſt totum illud tempus quo tumor creſcit, cũ augmento doloris & caloris, vt Gal. viſum eſt: *ſtatus* verò, cùm omnia vigent, & in eo vigore perſeuerant: *inclinatio*, cum tumor ſubſidet, & imminuitur, & accidẽtia pariter, modo reſoluatur humor, modo in pus vertatur. Tertia itaq; principii acceptio concoctionis aut alterationis materię principium continet diuerſo modo: quippe dum pars impletur, tumoremq; iam habet conſpicuũ, crudus dicitur phlegmon & principium eius: dũ verò creſcit cum euidentiore calore & tumore, & ferè adeptus eſt omnẽ magnitudinẽ, tunc creſcere & coqui dicitur, quia pars durior & rubicundior apparet, cũ ſenſu occultæ aut debilis vndoſitatis Signa. Lib. de tot. ius morem.

ad tactum. At quo tempore dolore & febres, atq; tumores ſupra modū eacreſcunt, cum partis tenſione & tumore magis extenſio, incipit iā putredo materiam in feruorem agere, cum maiori calore, finis videtur augmenti, ſicut dū hæc omnia longè intenſiora increſcunt, ſtatus quoad materiæ coctionem haberi debet. Quæ ſanè omnia curaturo neceſſaria exiſtunt, vt exactè in quouis prædictorum temporum præſidia propria & proficua adhibere diſcat.

Præſagium. Euentū itaq; inflammationis ſalubrem fore, pniciosum, aut neutrū, facile colliges, ſi conieceris, ſanguinem qui in particula aggregatˀ, vinci à natura, aut ipſam vincere, vel medio modo ſe habere. Si vincitur, vel reſoluitur, vel ſuppuratur: ſi naturæ ſuccumbit, corrumpitur, & ſimul pars ſphacelatˀ, aut reſoluta ſanguinis tenuiori parte, neutrum ſequitur, ſed durities in parte remanet. Quorum vnumquodq; noſces ex accidentibus, quę vel mox à principio apparent, vel poſtmodum ſequuntur, vt in tumore iam integram magnitudinem adepto, corruptionē ex mutatione coloris in ſubnigrū aut liuidū, perſeuerante magnitudine, cum nullo doloris ſenſu: duritiem ex leui tumoris euaneſcentia cum reſidua duritie & minore dolore.

Curatio. Curaturo mihi phlegmonem legitimū & exquiſitū, ſiue ex craſſo, ſiue ex tenui fiat ſanguine, varia ſeſe obtulerunt conſideranda, in vno tantùm miniſterio conſtituta, nimirū partem oportere à tumore liberare: quod facimus euerſa materia quæ fluit, vel euacuata quæ fluxit, ablata prius cauſa q̃ fluxionem concitabat. Fieri hæc opera variis modis efficit primò particula affecta: humoris conditio: tumor factus vel fiens: cuiˀ magnitudo aut paruitas: modus generationis, aut per defluxū aut per congeſtionē: aut accidentium vehementia aut lenitas. His ſuppoſitis, primò curationem aggredietis, ſemouēs motiuas fluxionis cauſas, ſi adhuc p̃fuerint. Sic dolorē mitigabis caloremq; in recipiente membro, aut in mandāte vehementiā & irritamentū. Quod ſi poſſibile nō fuerit, aut tumoris augmentum & accidētia magis vrgeant, vniuerſam curationē inſtitues, ſumpto exordio à materia antecedēte (quantumuis neceſſum ſit morbū & accidentia ſimul proſpicere) in qua cōſiderabis copiam, impetū motus & qualitatē, ac rurſus particulā à qua decidit, & in q̃ decumbit. Omnib. autem ſimul prouidebis, ſi debita vitæ & victus inſtitutione vſus fueris, tantò exquiſitiore & parca, quantò tumor maiorē minetur magnitudinē, aut pręfuerit humoris copia: pręſtito victu ad ſummū *ex pullorū carne, ouis ſorbilibus, lactucis aut ſcariolis, crudis vel elixis, aut pyris aſſis*: potus ex aqua quantum permiſerint vires, aut vētriculi integritas: eaq; exquiſitius obſeruabis, ſi tumor ex interioribus fuerit. Conciliabis ſomnum, imperabis quietem & animi tranquillitatem, cum aëris temperie quæ ad frigidum vergat.

Sanguinis miſſio. Interim tamen dū hæc inſtituis, ſanguinis copiā primò demes: nā eo facto impoſſibile eſt accidentia non ceſſare. Sanguine igitur miſſo, quantū ętas vtriuſq; laborantis ferre poſſint, & poſtulauerint, tùm plenitudinis copia, tùm verò tumoris magnitudo: nam ſæpe eius paruitas aut leuis abundātia, vel virium tenuitas, victus parſimonia, aut frictionibˀ vel cucurbitis aufertur & deliteſcit: ſin aliter, copioſius ſanguinē fundes: tùm gratia demendæ plenitudinis, tùm vt ſubſit locus repellentibus, aut diſcuſſoriis medicamentis, aliàqui non erit in pleno corpore vbi repellant, nec ſine maiori attractione reſoluētia quidquam efficient, nec ſuppurantia citra corruptionis periculum adhiberi poſſunt. Itaq; iterato, aut tertio, vel vltra ſanguinem detrahes, aut minus, prout poſtulauerit magnitudo mali, aut vbertas ſanguinis. Neq; id vtcunq; & à quauis parte debet fieri, ſed ex ea quæ citius plenitudinem demat, & longè magis fluentem ſanguinem ad diſtantiùs auertat: aut propinquiùs eum, qui in venis partis iam eſt, deriuando euacuet. In qua re quatuor tibi erunt conſideranda: Primum quantitas, quam vt dictum eſt, demes, quo natura auarior reddita minus tranſmittat ad affectam partem. Secundū impetus humoris fluentis, cui medeberis, reuulſa retractaq; materia fluente, ad quā diſtantiſſimas partes. Quippe reuulſio impetus medela eſt: ſic ſanguinē mittes, à diſtantiori vel cōtraria parte, & tantò magis ad affectam accedes, quantò conſtiterit fluxionē ceſſare. Deniq; in principio fluxionis, à vena quæ plenitudinem magis demat, protinus à diſtantiori, ac ſi vrget fluxionis impetus, à diſtantiori initium ſumes: tùm in ſanguine mittendo: tùm verò in frictionibus, ligaturis, cucurbitis & extremarū partium lotionibus, niſi ibidē præſit tumor. Præterea vt deriuationem moliaris, parti affectæ accedes: quod tertio loco conſiderabis gratia deriuandi per proximam regionē, id quod prope partem læſam iam receptum eſt. Vltimò tamen contentum ſanguinem in parte inflammata conſiderabis, quem vno è quatuor modis à parte affecta euacuare ſtudebis.

Primò per repellētia auxilia: quorum tractationem & examen latiùs leges ſecunda harum Inſtitutionum parte. Interim tamen ſcito, repellentia eſſe auxilia, quę frigiditate aut adſtrictione, vel vtraq; ſimul prohibent humorem ad partem ampliùs fluere, & fluxum ab ea iterum ad vaſa repellunt & ad diſtantiùs auertunt. Quo auxilij genere ſolùm vtendum eſt in tumorum & fluxionum principio: licet etiam creſcente affectu eis vti oporteat, cæterùm diſcuſſoriis admiſtis, vt loco citato reperies. Sed in inflammationibus calidis & ſiccis refrigerantia & humectantia ſatis ſunt, præſertim ſi pars calore exæſtuet: at ſi fluxio ſit impetuoſa, & pars calida & humida, quæ ſimul refrigerant & adſtringunt, præſertim ſi laxæ naturæ pars fuerit, aut laxior facta ob aliquam cauſſam. Huius rei occaſione ſcito repellētia eſſe duorum generum (dimitto quæ calida ſunt) frigida & aquea, vt *aqua, oxycratum, lactuca, oleum roſaceum, violaceum, & lac*: ſecundi generis ſunt, *plantago, ſanguis draconis, balauſtium, myrtus* & id genus: quibus vtētis iuxta adductam rationem, ſumens ex eis, aut decoctis harum rerum partes tres, *olei* partem vnam, & *aceti* partem ſemiſſem. Valet etiam ad repellēdum *aqua ſtillatitia roſarū, plantaginis, ſolatri, & cucurbitæ reliquis admiſta*. Præſtat idē beneficiū q. r. *aquæ roſarū & plantaginis, ana.* ℥ ij. *ſucci ſolatri aut plantaginis* ℥ iiij. *aceti roſati* ℥ ſ. *albumina duorū ouorū*: conquaſſentur & agitentur ſimul. Einſdē vſus eſt *ceratum ex roſaceo liquidū*: & *cataplaſma* quod fit ex eodē cum *lenticula* decocta, vel cum *vitellis ouorū*, aut cū *toto ouo & ſantalis albis*. Pręſtat & *terra Samia cum ſuba cocta*. Vehementiùs adhuc repellit cataplaſma

ea ſu-

ex *farina fabarum*, *vino rubro*, *& ſucco plantaginis*: item aliud q. r. *foliorum plantaginis*, *roſarum*, *ſolatri*, *& lactucæ*, *ana m.j.* coquantur in aqua cum modico aceto, & cum *farina hordei & fabarum*, fiat cataplaſma: ac ſi dolor vrgeat, adiicies *maluam*, aut *papaueris aliquid*. Sciendum eſt inſuper, in omnibus tumoribus id eſſe verum atque exequendum, exceptis his caſibus, in quibus authores (quamuis varij in hac re fuerint) ea adhibere vetuerunt. Sic in tumoribus præter naturam, qui in emunctoriis, vt poſt aures, ſub alis & inguinibus adnaſcuntur, ea vti minimè licet: bene tamen ſi ex cauſſa procatarctica prodierint, quantumuis neoterici contrarium ſentiant. Præterea neque ea vtêris, vbi materia venenoſa fuerit, aut critica, ad eam partem tranſmiſſa, niſi vel pars princeps ſit, vel copia adeo grandis, quòd vel pars periclitetur corruptione, aut laborans ſuffocatione. Quo tempore leuioribus & per interualla vtêris & aliis admiſtis, cauens tamen, ne adſtringentia ſint. Idem vereri oportet, vbi materia admodum eſt in parte fixa & impacta, aut vbi nimis craſſa eſt, vel tumor iuxta membrum aliquod princeps, aut corpus plenum exiſtat, vel membrum affectum nimis debile, aut cum intenſo dolore ex nimia copia facto: nam ſi ex calore prodierit, adhibenda ſunt. Vltimò tamen cauendum eſt á repellentibus in corporibus ſenum: in quibus & in reliquis caſibus, ſi flogoſis & incendium plurimum vrgeat, leuioribus, & per interualla vti conceditur. Præterea in omnibus tumoribus, in quibus repellendum eſt ſtatuere oportet, quid debeatur particulis affectis, quarum conſiderare oportet naturam, ſitum, figuram, officium, & reliqua, quę nata ſunt, mutare repellentium materiam, modum, & quantitatem, ac tempus: quippe nec diu immorandum eſt in eis, ne in duritiem commigret tumor: nec in omnibus particulis eiuſdem materiæ ea efficere oportet: alia enim deſiderant repellentia oculorum inflammationes: alia neceſſaria ſunt in angina: alia vltimo in auribus & capite. Præterea in calidis tumoribus ſemper actu frigida ea adhibebis, ſæpiusq; mutabis, ne incaleſcant.

Tranſacto autem principio, in quo ſola ſunt adhibenda repellentia, mox quæ reſoluendi vires habeant admiſcebis: nam quemadmodum illa proficua ſunt, ne materia recipiatur in parte, aut vt receptam pellant: ita hæc nata ſunt euacuare per diſcuſſionem & inſenſilem halitum, quod poſt repulſum impactum fixumque remanet in partę (ac forſan, quia ad pulſum faciliorem præparant) quod ceſſurum non ſit repulſui, neque deriuationi: & quanto morbus ad ſtatum magis acceſſerit, tanto remittere oportet repellentia, & diſcuſſoria ſuperaddere, donec in ſtatu, ſi ſuppurationem non vereamur, ſolis reſoluentibus vtamur, vt mox docebo. Sciendum tamen eſt, tranſacto principio, modicum emollientium addendum eſſe, ne adſtringentium ac reſoluentium efficacia, in duritiem immedicabilem mutetur humor, dum emollientia ſint ex anodynorum genere: quod cenſeo magni fore momenti.

Verùm ſi toto tempore augmenti viget neceſſitas mitigandi dolorem, & reliqua accidentia, ſtatuendum eſt, mitigatoria auxilia adhibenda eſſe, iuxta rationem cauſſæ dolorem efficientis: nam ſi calor cauſſam præſtiterit, frigidis vtendum erit: ſi cutis denſitas & tenſio, quæ lenia ſunt, & humida, ac verè anodyna dicta: ſi vero continui ſolutio, quia ea plerumque ex plenitudine partis prodit, quæ vim habeant vel euacuandi, vel digerendi, vel ſenſum ſtupefaciendi: quorum copiam reperies *ſecunda harum Inſtitutionum parte*.

Mitigatoria auxilia.

Secundo, ſanguinem contentum in parte, per reſoluentia medicaméta euacuare ſtudebis. Quæ ſanè ſunt, quæ Galen. ſtatuit nata eſſe, humorem, qui in tumore cótinetur, per meatus inſenſibiles educere. Huius generis ſunt omnia, quæ calida exiſtunt, & moderaté humida, quæ quidem emolliunt partem, & eius cutem laxant, poros aperiunt, & concretum humorem liquant, ac in halitum digerunt. Quæ profecto vtilia ſunt humoribus in ſumma corporis ſuperficie poſitis, & partibus etiam laxis & rarioribus, ac materia exiſtente calida. Alia autem reperies efficaciora, quia calida ſunt, & ſicca forſan tertio ordine, proficua quidem ad magnam reſolutionem moliendam, vel in humoribus craſſioribus & difficilioris ſubſtantiæ, quorum copiam reperies *ſecunda parte harum Inſtitutionum*. Interim tamen ſcito, eis tumoribus eſſe adhibenda, & eo tempore, cùm à repulſu medicamentorum aliquid relinquitur in parte, quod prædictis repellentibus non cedit. Namque raro euenit, ſanguinem ita tenuem & paucum eſſe, quod omnino repulſioni cedat. Conſequeris enim gratiam ac beneficium his medicamentis reſoluentibus, vbi ſanguis admodum craſſus, & glutinoſus non ſit, nec vehementer impactus, aut altiùs reconditus, & ſub dura cute protectus: contrà vero, reliquum digerere oportet, modo liceat per vires, per calorem, per multitudinem; repudiat quoque dolor digerentia, niſi admodum lenia ſint, ſicut vehementiora, vbi ſanguis craſſior, & pars denſior fuerit, & inflammatio manſuetior. Quorum occaſio propriè eſt, dum inflammatio remiſerit, licet tranſacto principio eorùm aliquid admiſcere oporteat, donec in ſtatu præpolleant digerentia, vel ſola adhibeantur, ſi tumorem in reſolutionem tendere comperiamus donec ex toto inclinet. Quippe licèt ſtatutum ſit in ſtatu æquis portionibus repellentium & digerentium eſſe vtendum: quia tamen in eo tempore nihil influit, quod repulſui cedere poſſit, ſed vniuerſa materia iam fixa eſt, arbitror propoſitionem illam celebrem blandè & cum limitatione eſſe accipiendam, & in ſtatu, in quo reſolutio expectatur, ſolis vtendum fore reſoluentibus, mitioribus tamen, ne incendium intendatur: quapropter forſan aliquid repellentium addi poteſt, non tamen eorum, quæ verè repellentia ſunt, ſed frigidorum, & eorum, quæ citra adſtrictionem refrigerant. Sed his miſſis, quæ non ſunt huius loci, in his tumoribus ex ſanguine ſæpe leuiora digerentia ex vſu exiſtunt, ob adiunctum calorem: & ſic mox adhibebis *maluam*, *oleum roſaceum*, *althæam*, *ſertulam campanam*, *camemalum*, *anethum*, *farinam hordei*, *& fabarum*, *adipem ſuillam*, *gallinaceam*, *anſerinam*, & huius cenſus alia: nam quæ valentiùs reſoluunt, his tumoribus inutilia, aut forſan nocua exiſtunt. Vti tamen poteris ex compoſitis, eo quod fit ex *paſſulis cum pane & melle*: item eo quod. r. *foliorum maluarum*, *& althææ*, *ana m.j.* *florum camemalis*, *meliloti & roſarum ana p.j.*

Lib 13. meth. c. 16.

radicum lilij albi & althaea ana ℥.j. *farinæ hordei, quod ſatis*, fiat cataplaſma cum *adipe gallinæ*. Quod ſi feruidior fuerit tumor, ex vſu erit, q.r. *micæ panis* ℔.j. maceretur in *aqua calida*, & cum *tribus vnciis mellis* fiat cataplaſma, addito *oleo camemali, & roſarum*. Fomentis etiam vtêris ex decocto *camemali, roſarum, ſeminis lini*, & ſimilium, donec tumoris extenſio minuatur, & dolores mitiores fiant, quo tempore declinationem eſſe exiſtimato: tunc enim efficacioribus diſcutientibus vtêris, vt *agreſti malua cum paſſulis ſine granis, & pane, ac modico melle*: item *lana ſuccida, ſtupis ſpongia vino calenti imbutis*: atque hæc exempli gratia ſint ſatis.

Quòd ſi his & aliis non videatur materia cedere, tertio materiam contentam ſenſibiliter educere curabis, ſi humor copioſus fuerit, craſſus, glutinoſus, valde inhærens, aut altiùs permeans, vel cute duriuſcula coopertus: qui ſané cùm digeri non poſſit, effundendus eſt, ne in corruptionem aut immedicabilem duritiem affectiu mutetur. Quod facies vel apertis vicinioribus venis, vel ſcarificata parte, cùm dolor non ſubſidet, & tumor adhuc perſeuerat, ac poſtea curabis, ſi corpus præmunitum ſit, ſufficientibus euacuationibus partem fouere, quò faciliùs ſanguis expiret: ſed id cautè facies.

Verùm ſi ex ſignis prægreſſis (ex tenſione nimirum, pulſu, dolore, calore, horrore, & febre, cum ponderis ſenſu) conſtiterit, humorem nec indurari, nec reſolui, nec repulſui cedere, arbitrandum eſt in pus mutari: quo tempore nondum omnino reſoluentibus poſthabitis, ſimul admiſcenda ſunt, quæ vim habeant ſuppuratoriam: quorum quãtitas addenda eſt maior, quantum conſtiterit magis ſuppurari, & ob id á reſoluentium vſu abſtinendum tantiſper, donec ſolis pus mouentibus vtaris. Qualia debeant eſſe huic muneri proficua, leges capite proprio: interim tamen ſcito, pus mouentia eſſe calida & humida, cum vi emplaſtrica, & rurſus eſſe calori partis ſuppurandæ ſimilima: item cuique hominum iuxta ætatem & temperamentum adhibenda ſunt propria & peculiaria. Prætetea pus mouere poſſunt ea omnia, quæ caloris exceſſum remittere poſſunt, aut ſupplere, ſi in membro deeſt. In quo munere plus minusve addere oportet, iuxta humoris ſuppurandi ideam. Quibus præmiſſis, ſuppurantia phlegmones peculiaria ſunt ex *farina triticea in aqua & oleo temperatè cocta, addito modico croco*: hæc enim calori noſtro ſimilima ſunt, & ipſum diſſipari ob lentorem non permittunt. Aliud etiam ſi difficiliùs in pus vertatur humor, conficies ex *radicibus althaea* coctis & extractis per ſetã cum *caricis pinguibus, & farina triticea, vel hordeacea*, ſi calor tumoris intenſior fuerit: item aliud ex *maluarum foliis* coctis & piſtatis cum *butyro vaccino*: atq; hæc exempli gratia ſufficiant. Quòd ſi collectum pus coniecceris, abſceſſumque iam eſſe factum: tunc profectò medicamentis, ſcalpello aut ignito ferramento aperies, ſi adeò parua puris non ſit portio, & ex ſubtili materia & cute rara, quod reſolui facile poſſit. Verúm ſi aliter fuerit, differre apertionem non licet, vt conſuluerat Gal. alioqui ſinus corruptio & grauiſſima mala ſuccreſcerẽt. Id quidem facies ſcalpello, aut ignito ferro, ſi tumor ex grandioribus ſit, aut venis magnis plenus: cauſticis autem non vtêris, in profundis tumoribus, & cute denſiori, neq; in tumoribus erodentium humorum, aut cùm tumor fuerit prope membrum nobile, aut in extremitatibus, neque vſquam, niſi laborans renuerit ignem aut ferrum. Sic apertionem facies iuxta villorum ductum, in loco eminentiori, & in parte eius decliui, cauens venas & arterias grandiores, neruos, ligamenta, & tendones: cauens etiam, ne rugæ frontis te decipiant, quia villi contrario ductu inſeruntur, nimirum à ſuperciliis ad capillos. Præterea neque ex toto in magnis tumoribus plus detrahes, nec orificium facies, niſi pro magnitudine tumoris: verùm ſi cutis praui ſit coloris & tenuis, maius foramen efficies, quám poſtulauerit tumor, quia tota cutis poſtea excidenda eſt. Cæterùm licet tumor ex toto in pus verſus non ſit, *non ſemper omnimoda ſuppuratio expectanda eſt*: nam ante integram, ac forſan ante inceptam, licet apertionem moliri: præſertim vbi calor partis paruiſſimus eſt, & vigiliæ ac dolores adeo vrgent, quòd ſperandum ſit antea laborantem imbecillitari, quám fieri ſuppurationem: item vbi copioſior eſt humor, quám quod poſſit particulæ calor ſuperare, & ob id corruptionem vereri oportet: præſertim cùm pars paruiſſima eſt, vt digitus: item cùm humor eſt craſſus & profundus, aut tumor ex venenoſis eſt, vel prope articulum, aut iuxta neruos, arterias, aut venas grandiores, quæ putrefieri facile poſſunt. Aperto tamen foramine, velut v[illegible] curari debet, ipſum exſiccando, ac citra dolorem detergendo, vt latiùs inferiùs leges.

Lib. de ther. ad Piſ. cap. 2.

De tumore ex maligno ſanguine.

Ex ſanguine maligno & feruidiſſimo oritur *carbo*, ſeu *carbunculus, anthrax* á Græcis dictus, cum pruritu in principio, & mox apparente cruſta, vna, aut plures, vel ſine ipſa cutis exulceratur cum colore nigro, aut cinericio, vel citrino, aut viridi, quæ omnia ſuccreſcunt cum ſomno, & horripilatione, monſtrantia ſummam malignitatem ac feruorem: ſiquidem præter id, quod cruſtam, ſeu cruſtas plures ſecum affert, haud ſecus, quám ſi igne cutis vreretur, ſubiectam carnem veluti emortuam habet huiuſmodi tumor, ob ſummam ac feruidam inflammationem, quæ ob id colore nigreſcit, ſplendetque bituminis ac picis modo, qualis bilis atræ color eſt: quo fit, vt grauis & moleſtus dolor laboranti ſuccreſcat, quaſi particula vinculis ignitis, aut ferramento aliquo eſſet conſtricta, aut cum febre ingentiſſima, & æſtuoſa, atque cordis tremore, palpitatione, & frequenti animæ defectione, nauſea quoq; & frequenti vomitu, maximé ſi venenoſitas accedat.

Cauſſæ.

Huius mali cauſſæ (præter indebitam vitæ & victus inſtitutionem) ſunt ſanguis feruidiſſimus, & craſſus, & ob id multi ex atra bile ob ſanguinis vſtionem facta, aſſeruerunt fieri. Pars enim ſanguinis craſſior cùm putreſcens efferueſcit, vertitur in atram bilem: quo fit, vt ad cutem vergens non tantùm exulceret, ſed etiam adurat, & cruſtam efficiat, tantoque maiorem & feruidiorem, quanto carbunculus exquiſitior fuerit; aut minorem, ſi alteri humori adiungatur. Quo fit, vt ex carbunculis quidam ſint mitiores, quidam, vt exquiſiti, ſæuiores, ſed feré omnes venenati, ac puſtulantes, & pernicioſi; præſertim ſi in emunctoriis, & prope partem principem ſuboriantur, longè tamen deteriores, ſi ſubito euaneſcant.

Curatio. Magni & ſæuiſſimi huius morbi curatio ſita potiſſimum eſt (præter debitam & refrigerantem victus & vitæ inſtitutionem, ex *acidis cibariis*, & medicamentis commiſſam) in cauſſæ extirpatione, & correctione accidentium, quæ grauiſſima ſunt. Cauſſa autem duplex cognoſcitur: antecedens, quæ feruidus ſanguis eſt, & coniuncta: hæc quidem topica deſiderat auxilia: illa verò prouidentiam per euacuantia & attemperantia. Quorum primum fit ſanguinis miſſione, tanquã præcipuo auxilio: quippe his affectionibus ſtatim & copioſe neceſſum eſt ſanguinem mittere, aut iteratò, donec fluxionem ceſſaſſe comperiamus, vel ſaltem quantum vires tolerauerint. Quo facto, præmiſſa humoris præparatione per acida & refrigerantia medicaméta, nulla expectata coctione, purgabis lenientibus & manſuetis pharmacis, vt *manna* diluta in *ſero lactis*, aut ad ſummum in diluto *rhabarbari*, *caſia fiſtula*, aut *ſyrupo* ex infuſionibus *violarum*.

Præmiſſa totius corporis prouidentia, ad topica auxilia te conferes, & interim etiam dum purgamus, aut ſanguiné mittimus: cauens, ne repellentibus, ſiue frigidis, ſiue adſtringentibus vtaris, niſi in circuitu ipſius partis, aut ſi fluxio grandior fuerit, ſupra partem affectam, ne ad eam ampliùs fluat. Primo enim acceſſu partem tumentem in circuitu ſcarificabis profundioribus plagis, aut ſanguiſugas adhibebis, poſtea oxycrato tepente ablues, quo faciliùs venenoſus ille ſanguis per eas ſpiret. Quod ſi non quieuerint accidẽtia, aut malum ſubſederit, ſecundò & tertiò ſcarificabis, donec accidentia miteſcãt: ſin aliter, igne vtêris potius, quàm cauſticis, niſi iam caro computruiſſet: tum enim primo acceſſu *vitellum oui cum ſale* adhibebis, aut *vnguentum Ægyptiacum*, vel *theriacam cum puluere gentianæ*, aut *trochiſcos Vigonis*. Cum hoc tamen ſemper admiſcere oportet, quæ attemperandi vim habeant, ne calor feruidior reddatur: poſtea vero emplaſtrum cõtra eſthiomenum deſuper appones: item emplaſtrum *arnogloſſæ*, vel de *malo Punico*, maxime tranſacto impetu mali, cataplaſma ex *orobi farina*, *& oxymellite*, præſertim poſt vſtionem, ſi ad id peruenire coëgerit te neceſſitas, quam non ſuperficialem, ſed profundam facies. Præterea ſcaram & carbonem extrahes *radice liliorum alborum*, & *foliis caulium cum butyro recenti*, aut *oui vitello cum butyro*: Et exempli gratia hæc dixiſſe ſit ſatis.

Poſt carbunculi extractionem conſiderabis, cruſtoſum ne vlcus remaneat, ſanioſum, aut corruptum: nam iuxta cuiuſque indigentiam præſidia adhibebis. Parabis cruſtoſo *butyrum recens*, aut *axungiam porcinam*, cum modico *vnguento roſaceo*: vel emplaſtrum q.r. *farina tritici & hordei ex ana* ℥.iij. cum decocto *maluarum*, *violarum*, *& althææ*, fiat emplaſtrum, addito *butyro recenti*, *& duobus vitellis ouorum*. Si vero ſanioſum ſuperſit vlcus, abſterges, & modicè exſiccabis, vt ſuo loco leges. Verùm ſi corruptum & putridum ſit, ſectione vtêris, cauterio & auulſione, inſtrumento idoneo, vel medicamentis corruptionem extirpabis lenioribus, vt *paſtillis Andronis*, *Muſæ*, *Paſionis*, aut *Polyde*. Item, *vnguento Ægyptiaco*: aut fortioribus vtêris, vt *radice dracunculi*, *arſenico*, vel *radice ariſtolochiæ* aceto trita, cum aqua argentariorum madefacta, aut irrorata, & aliis huius naturæ. Poſtea vero corruptione ſeparata, mundificatiuo de *apio* vtêris, donec ex toto ſemoueatur corruptum: & tandem reliqua adhibebis, vt in vlcerum curatione latiùs ſcriptum reperies.

Mortificatus ſanguis. Tertio loco ex ſanguine, cæterum mortificato, & eius calore extincto tumores fiunt, quos Medici appellãt gangrænam, ſphacellum, ſeu eſthiomenum, & alij herpeta eſthiomenon, ſeu ignem Sancti Antonij. Eſt quidem gangræna mortificatio ex magnitudine inflammationum, nondum tamen integrè facta, ſed aliquantulum ſenſum in ſe retinens, & carnoſis partibus adueniens. Sphacellus vero, ſeu ſideratio, vel eſthiomenon, eſt integra ſenſus priuatio atq; mortificatio, ita vt percuſſum, vel ſectum, vel vſtum, non ſentiat pars quæ patitur, non ſolum in carnoſis partibus, ſed etiam neruoſis vſque ad oſſa: gangræna vero oſſibus non ſuccreſcit. Fit tamen vno è tribus modis, nimirum, quando adeo diſſoluta eſt miſtio ſubſtantiæ ob corruptionem, quod vitam & ſpiritum à corde tranſmiſſum ampliùs recipere nequeat, diſſoluta miſtione, vel ob impenſam frigiditatem, aut medicamẽtorum, aut externam, vel ab ingente calore, aut maligno. Secundo modo, quando calor ſuffocatur, vt in magnis inflammationibus. Tertio, ob priuationem tranſitus ſpirituum vitalium ad membrum, vt in comprehenſionibus, aut ligaturis, & contuſionibus.

Cognitio. Huius mali cognitio, præſertim gangrænæ, cõſtat ex priuatione ſenſus non integra, ex nigro ſeu liuido colore membri extincto florido colore phlegmonis: item ex dolore, calore ingenti, & pulſatione arteriarum. Sphacellum monſtrat priuatio ſenſus integra, color niger, pars affecta mollis, putrida, fœtida, cadaueroſa, quæ digitis cedit, & non reuertitur.

Cauſſæ. Cauſa antecedens plerunq; eſt ſanguis auctus, acutus & corruptus, ac conculcatus, quem præ copia, aut malitia ſuperare calor partis nequit, quinimo ab eodem ſanguine ſuffocatur & vincitur partis natura. Prodit etiam ab externis cauſis, vt frigiditate nimia, medicamento vltra modum & partis calorem frigido: à calore etiam immodico: à venenoſa qualitate: item ligatura, contuſione, aut compreſſione, quæ vitalem facultatem & calorem innatum extinguere nata ſunt: quo fit, vt ſæpe pars emolliatur, & fiat album eſthiomenon à nonnullis appellatum, factum à mortificatione caloris, & citra humoris ſuffocantis affluxum, ſed ſola diſſipatione aut extinctione.

Præſagium. Hoc ſane affectus niſi celerrimè & initio ſtatim curare aggrediaris, laborans particula facile emorietur, & vicinas inuadet, atque hominem ipſum interimet. Quod ſi mox manũ adhibeas, difficilimum non erit, præſertim in corpore iuuenili, curare. Nam vbi partes affectæ, caro & nerui, vſque ad oſſa lædantur, curari nequeunt: quo fit, vt gangræna difficulter curetur, ſphacelus non niſi poſt ſectionem.

Curatio. Conſiderabis diligenter ad curationem horum affectuum qui ſæuiſſimi ſunt, cauſam morbi, partem affectam, & accidentia, quæ ſuccreſcunt. Quippe ſi frigus fuerit, temperare *fotibus aqua vitæ*, aut *vini ferventis* partem oportet, non ſcarificare, aut partem ſub *fimo* calido & feruido recondere; ſi vinculum cauſſam præſtat, remouere oportet; ſi putredo, auferenda; ſi venenoſitas,

alexi-

Digitized by Google

alexipharmacis compeſcenda. Verùm ſi ſanguinis vbertas ſuffocationem moliatur, ſanguinis, qui influit, & paratus eſt fluere, efferueſcentiam compeſcere oportet victu refrigerante, vt *panelleto hordeaceo, amygdalato, iure pulli, lactucæ, portulacæ, ſcariola decoctis*, tandem potu frigido, aut medicamentis & ſerapiis frigidis, vt *ſyrupo acetoſa, intybi, granatorum, borraginis*, & ſimilium. Interim tamen ſanguinis quantitatem demes ſciſſa vena, pro virium tolerantia, quia affectus cauſſa copioſius extrahi expoſcit, ſed ob ſpirituum diſpendium, & alia accidentia, iteratò præſtat, ac refectis viribus extrahere, quàm ſemel & confertim. Quo facto corpus purgabis *caſſia, manna, catholico, ſyrupo ex infuſionibus violarum cum modico rhabarbaro, in ſero lactis dilato, aut in aqua hordei, vel cucurbita.*

Interim tamen, dum hæc fiunt, primò pars circumiacens munienda eſt vnguento ex *bolo*, aut eo, q.r. *olei roſati & myrtini ana* ℥.iij. *ſucci plantaginis & ſolatri ana* ℥.ij. coquantur vſque ad conſumptionem ſuccorum, & adde *ceræ albæ* ℥.j.ß. *farinæ fabarum, lentium, & hordei, ana* ℥.ß. *boli* ℥.j. *pulueris myrti* ℥.ß. miſce, & fiat vnguentum. Quo facto ad coniunctæ materiæ extirpationem te conferes: ac ſi partem ſenſu priuari, aut minus ſolito ſentire cognoueris, mox á principio id opus aggredieris: celeriter enim membrum ſphacelatur. Quod facies parte, vſque ad ſanam, altè, & donec ſentiat laborans ſcarificata, & abluta aqua ſalſa. Deinceps verò medicamentis vteris, quæ corruptionem inhibeant, & calorem natiuum tueantur, vt emplaſtrum ſupra omnem partem appoſitum, ex *farina erui cum melle, aceto, farina orobi, fabarum, vel lolij, cum oxymellite & lupinorum decocto.* Supra vlcus etiam, quæ exſiccare vehementer poſſint, adhibebis, vt *paſtillos Andronis, Muſæ*, & ſimilium: ac ſi malum adhuc ſerpat, quæ vehementius ſiccent, quale eſt, *vnguentum Ægyptiacum, vnguentum rubrum, aut Arſenicum, vel aqua argentariorum*, quæ maioris ſolet eſſe efficaciæ: item aliud quod.r. *æruginis, minij, aluminis ana* ℥.j. cum aqua terantur, & parti affectæ applicentur, parte exaſperata ſcalpello, ſeruata corporis natura & conditione: nam vehementiora validioribus corporibus, & debiliora imbecillimis ſunt adhibenda. Quòd ſi hæc omnia non profuerint, ferro candenti partem inurere ad ſanam vſque oportet, & ſcaram adſeruare, donec comperias putredinem ceſſaſſe, cauens, ne ſubtus latitet putredo. Verùm ſi nec hæc quidem prodeſſe videantur; ſphacelatum membrum, antequam ad ſanam partem ſeſe extendat corruptio, abſcindere oportet; & poſt abſciſſionem ferro candenti inurere, & ſucco porri illinere cum ſale. Quo facto, ſi ſanguinis profluuium ſubſequatur, partem quæ corruptæ adiuncta eſt, adurere oportet: ita enim & putredini, & fluxui ſubuenies. Poſtea verò, putredine iam ceſſante, cruſtra excidenda eſt *butyro, pane, farina triticea, vel hordeacea, cum apio trito, & hydraleo* incocta, cautè tamen cruſtram mouebis, vbi ſanguinis præfuit fluxio. Deinceps vlcus putulentum abſterges mundificatiuo, q.r. *mellis* lb.ß. *vitellorum ouorum num.* ij. *farinæ hordei* lb.ß. miſce, & vtere, ac poſt triduum adde *myrrhæ* ℥.ß. vel vtere eo, quod fit ex *farina orobi cum melle & thure.* Quod ſi dolor vrgeat, *folia fabarum inuerſa*, mirum in modum ipſum mitigabis.

Supereſt inter ſanguinis tumores alter minoris momenti, & certioris periculi, quem remediis cedere, aut rarò, aut nuſquam viſum eſt: appellatur *aneuriſma*, & apud Auicennam, *mater ſanguinis*. Quem ſanè affectum Galenus dixit eſſe, relationem aut diſperſionem materiæ ſub carne, per diſſultationem ſeſe diffundentis diſtribuentiſque ob arteriæ dilatationem aut diruptionem. Quem fieri vno é duobus modis, euidentiſſimum eſt: primo, dirupta aut aperta interiori arteriarum tunica, externa integra manente, qua colligitur ſpirituoſus ille ſanguis, & vicinas partes in tumorem pulſantem eleuat: aut vtraque tunica ſcalpello puncta, ſed aut extima agglutinata, aut intra ipſam manente ipſo ſanguine, collecto in partibus vicinis, quas in tumorem quoque pulſantem eleuat. Differt ab omnibus aliis tumoribus aneuriſma, quòd in eo cutis color non mutetur, & rurſus, quia cum pulſatione, vt arteria, ſemper repetitur, quod nulli alteri ex tumoribus accidit. De aneuriſmate. Lib. diff.

Huic medeberis, non per apertionem, metuenda enim ſemper eſt, ac fugienda, tanquam præludium proximæ mortis. Supersunt tantùm duo præſidia: alterum conſtat medicamentis adſtringentibus (aut refrigerantibus, vt nix, mox á principio apertionis, maximè ſi extra feratur ſpiritus ob incuriam artificis in venæ ſciſſione) quale eſt *emplaſtrum cupreſſi Aetij, emplaſtrum contra rupturam de pelle arietina*, & alia id genus: reliquum, ſi id non profuerit, conſidera eſſe arteriam laqueare duabus partibus, ſi commodè fieri poſſit, & poſtea per medium ſcindere. Quod licet dictu facile ſit, difficilime quidem fieri poteſt: tum quia nequit laqueari commodè, niſi aneuriſma ſit in plicatura brachij (aut parte alia, vbi conſpicua ſit arteria) quo tempore ligare oportet ſupra ipſam plicaturam: tum vero, quia veritus eſt Galenus, ne vel fluxus immodicus ſuperueniat, vel pars gangræna periclitetur, & ob id quærenda eſt arteria loco conſpicuo, ac leuiter detegenda, & acu incuruo ſubtus ipſam traiecto, filo ea parte eſt alliganda: idem & eodem modo pauló inferiùs facito, vnius digiti ſpatio relicto inter vtramque ligaturam, & poſtea per medium vtriuſque ligaturæ arteriam tranſuerſim ſcindes: & curabis, vt vtrumque foramen coaleſcat, & caro regeneretur. Atque is eſt præſtantior modus deligandi, ſi prudenter & cautè feceris. Curandi ratio. Lib. 5. meth.

DE ERYSIPELATE, ET ALIIS *tumoribus ex bile.*

INSTITVTIO V.

Eryſipelatis definitio.

ERYSIPELAS eſt *biliosæ fluxionis germen, circa cutem vtramque maximè conſiſtens.* Prætermiſſis authorum controuerſiis de nomine huius affectus, ſtatutum apud pleroſque reperio, verè & propriè hunc tumorem biliosum, fuiſſe *ignem ſacrum* nuncupatum, propriamque eſſe cutis affectionem, ſi verum ac legitimum ſit eryſipelas: ſin aliter, carnem quoque ipſam attingere, atque eſſe de genere tumorum præter naturam, conſtareque ex eiſdem morbis, vitio nimirum figuræ, ſolutæ vnitatis, & calidæ intemperiei adeo intenſæ, vt iure optimo nomen ignis ſacri adipiſcatur.

Signa.

Quo fit, vt præ ſe ferat colorem rubicundum in flauum vergentem, & deliteſcentem tactu: tumorem item exiguum, in cute potius conſiſtentem, cum febre vehementi, tertianæ naturam referente, doloreque mordicante & pungente cum horripilationibus ferè per omne tempus febris, donec euidenter appareat per cutem extenſus tumor.

Cauſſæ.

Cauſſas habet eryſipelas, vt reliqui tumores: externas, quas conſultò prætereo, quia tunc ſat eſt nouiſſe circa euacuationem, ſola alteratione eſſe vtendum. Item, antecedentes & coniunctas, ſed omnes vnius rationis & naturæ, quæ ſolo differunt loco. Quippe antecedentes in vaſis humorum exiſtunt, fluxuræ in partem affectam: cõiunctæ iam eryſipelas efficiunt: omnes tamen ad biliosum humorem reductæ. In qua re, prætermiſſa authorum controuerſia de natura humoris biliosi, ſtatuendum erit, flauæ bilis in noſtris corporibus ſecundum naturam duplicem eſſe ſortem: alteram, quam ſeparat natura in ciſtim fellis, & ad inteſtina tranſmittit tanquam alitioni inutilem, flauam peculiari nomine nuncupatam: reliquam verò flauam etiam, ſed tenuiorem, manſuetiorem, & quæ ſolùm á ſanguinis tenuis naturæ conditionibus diſſidet, nimirum colore & calore: nam ſubſtantia etiam eſt alimentoſa, vt ſanguis, ita vt iure optimo á Galen. *tenuis ſanguis* fuerit nuncupata, & pro ſanguine á plerisq; habita. Quo fit, vt multi arbitrentur, eryſipelas ab eo ortum ex ſanguine fieri, & Gal. etiam protulit. Sed reuera ex ſanguine, vt ſanguis eſt, nulla lege eryſipelas fieri poteſt, quãtumuis feruidiſſimus ſit, ſed ſolùm leuis quidam phlegmon, niſi ſanguis ille adeo feruidus ſit quòd eius ſubtile in bilem verſum, eryſipelas efficiat: quo tempore iam nõ ex ſanguine, ſed ex bile á ſanguine facto ſuboritur. Itaque eryſipelas legitimè & exquiſitè ſumptum, ſolùm proficiſcitur á bile naturali, illa quidem, quæ alimentoſa eſt, & ferè ſanguinis altera pars, & vna ex quatuor ſubſtantiis, quibus ſanguis conſtat, prout *maſſa ſanguinaria* dicitur: quæ ſanè, vbi ob aliquam occaſionem contrahit calorem aut feruorem, protinus à venis pellitur, & cutim adiens, eryſipelas concitat exquiſitum.

Eryſipelas duplicis eſt naturæ.

Quibus præmiſſis, ſtatuendum eſt, eryſipelas duplicis eſſe naturæ: alterum exquiſitum & legitimũ, quale nuper diximus, & reliquum ſpurium, & illegitimum: hunc verò mille modis fieri conſtat: primo ex bile flaua naturali, ea nimirum, quam ſeparat ad ciſtim fellis natura, quæ vaſa irruens ob aliquod erratum, vbi copiam aut vitium contraxerit, vel febrem concitat, vel pulſa ad cutem eryſipelas efficit, quod Medici omnes herpetem exedentem ſeu eſthiomenon, ac ſi tenuis fuerit, eſthiomenoſum & corroſiuum, quæ ſanè eryſipelata appellant vlcerata ac puſtuloſa & corroſiua. Quòd ſi prædictus humor craſſior fuerit, & maiorem vſtionem paſſus, tunc quidem phagedenæ nuncupantur: hoc eſt, eryſipelas cum exulceratione & corroſione, non ſolùm cutis, verùm & ſubiectæ carnis. Quòd ſi adhuc craſſior fuerit prædicta bilis per vſtionem acta, corroſiuas puſtulas, ſeu maligna vlcera atque cancroſa progignit. Aliter verò efficitur ſpurium eryſipelas, nimirum cùm bilis, ſiue alimentoſa, ſiue excrementitia, alicui reliquorum humorum aſſociatur, vt tumorem efficiat, & ſic ſuboritur, dum ſanguis cum ea profluit, eryſipelas phlegmonodes, aut œdematodes, ſi pituita, vel ſcirrhodes, ſi melancholia, vt antea latiùs expoſuimus.

Quo fit, vt vniuerſum hoc caput duabus tantùm conſtet partibus: altera continente eryſipelas exquiſitum ac legitimum: reliqua verò ſpurium ob flauæ bilis vitium; nam tertia, quæ variis humoribus adiunctis conſtat, mixtam deſiderat curationem, quam qui ſimplicem cuiuſq; tumoris cognouerit, facile aſſequetur.

Præſagium.

Eſt profecto eryſipelas omne, ſi intra viſcera & corporis cauitates adnaſcatur, aut retrocedat ab extimis, omnino lethale; ſi vero exteriùs, grauius exiſtit in capite prodiens, & periculoſiſſimum, quod in gutture & faucibus, vel ſub lingua, aut prope dictas partes; & vbicunq; fuerit, grauiſſima ſymptomata, ſi in putredinem commigret, ſolet concitare, in omnibus tamen meliùs eſt reſolui, quàm in pus verti. Illud tamen, quod ex bile excrementitia fit, grauiſſimum comperimus & periculoſum, quia excrementitia bilis ſanguini admiſcetur; quo fit, vt intus viſcera lædat; quod illi non contingit, quod ex alimentaria bile prodit, quippe inter ſalubres annumeratur affectus, quia ab intimis corporis partibus & meditullio ad extima emittitur bilis feruidior facta.

Curatio.

Quàm difficile ſit inculpatam in eryſipelate inſtituere curationem, nemo ignorabit eorum, qui eius naturam, conditionem, & quotidianos euentos diligenter intueatur. Quippe plura citra auxiliares manus in priſtinam regrediuntur ſanitatem, ſola bilis ad cutem effuſione; alia vel refrigerantibus ſolis adhibitis, nonnulla periculoſa & grauiſſimis accidentibus inſignita, niſi copioſè ſanguinem miſeris; ſicut alia vel cum leuiter extracto, ex quibus multi copioſo emiſſo pereunt, & alij ſuffocati ſunt præ copia ſanguinis. Item, repellentium miniſterio multi ſalutem priſtinam recuperarũt; alij in grauiores & internos affectus deuenerunt; ſicut alij ſanitati reſtituti ſunt, nullo auxilio appoſito, ſed ſolo ſanguine miſſo. Præterea

Digitized by Google

terea iuuantur nonnulli expurganti cholagogo exhibito, & aliis vel turbantur humores, vel retrocedit ad viſcera commota bilis: quo fit, vt ex ſalubri affectione (quod cutanea ſit) præſidiorum vſu aut defectu mille modis fiat grauis, & mille periculis plena: quod ſanè ex differentia nuper adducta proficiſci arbitror.

Conſiderabis itaq; primùm, vt hæc mala præcaueas, huiuſmodi affectum fieri ex feruidiſſima bile: quem ſanè feruorem non ſolùm contrahit in tumore ipſo, verùm ſecum defert à venis & membro mandante: cuius ratione ab eo, aut ab vniuerſo corpore in affectam partem truditur, cuius etiam calore febris feruidiſſima ſuccenditur, longè magis, quàm ex calore contracto in tumore, licet non parum iuuet. Præterea ſiue bilis ſit naturalis & alimentoſa, quæ exquiſitum conſtituit eryſipelas, ſiue flaua & excrementitia, & copiam maiorem nacta, quàm par ſit, ita vt quantitate & calore peccet, cùm ſanguini ſit admiſta, euidentiſſimum eſt, per maiores venas ad minores, & ad cutem peruenire: quo tempore neceſſum eſt huic copiæ & motui præuenire ſanguine miſſo, idque triplici ratione: *Prima*, gratia deponendi copiam: item, beneficio ventilationis, quod ſanguine extracto commodius exſequimur, quantumuis eryſipelas ſit exquiſitum, tumore ferè carens, & plurimum ſerpens, ac ingentem protinus conciret calorem. *Secunda*, ſanguis mittendus eſt, quo fluxio ab affecta parte faciliùs auertatur: cuius indicationis gratia tanto copioſiùs extrahes, quanto conſtiterit tumorem eſſe extenſum, & partem affectam vel principem, vel prope ipſam. *Tertia*, ſanguinem mittes audaciùs, ſi conſtiterit, phlegmonoſum eſſe tumorem, tantoque copioſiùs, quanto ſanguinis copia præualuerit ſupra bilis abundantiam. Quibus conſideratis, facile erit noſſe, habito reſpectu ad corporis morboſum apparatum, & ad particulam affectam, ex quo loco ſanguis ſit mittendus: nam apparatum morboſum depones baſilica ſecta: partem affectam reſpicies ſanguine ex communi vena, aut humeraria miſſo: inferiorem verò ex eadem baſilica, aut ex talo, ſic & copiam depones & feruorem extingues.

Verùm quia ſæpiùs bilem prædicto feruore magis quàm copia peccare comperimus, compeſcere in venis ſecurius exiſtit, quàm in affecta parte. Quo fit, vt duo ſuperſint ſanguine miſſo, aut interim dum mittitur efficienda: alterum ipſam ſerapiis & potionibus frigidis docet compeſcere, quibus frænatur & minus mobilis efficitur, vt *ſerapio acetoſo, acetoſæ, violaceo, granatorum, roſarum*, vel de *cichorio*, copioſa *aqua deaurata* ſuperiniecta, aut *ſtillatitia ex eiſdem herbis*, vel *ſero lactis*. Nec diſplicet ex eiſdem cum *tamarindis & hordeo* apozema conficere, quod partim refrigeret, & partim euacuet. Vlterius dorſum refrigerabis vnguento refrigerante Gal. ac iecur *ſanthalino & roſaceo*, ſuper poſitis linteis *aqua roſarum, intybi, & cucurbitæ, cum modico aceto & pulueribus ſanthalorum rubeorum* madidis. Reliquum verò inſtituit euacuationis modum per expurgans medicamentum, quod maioris ſolet eſſe momenti. Nam vulgatiſſimum eſt, in eryſipelate exquiſito magis eſſe purgandum, ſicut in phlegmonoſo lõgè copioſiùs ſanguinem eſſe mittendum. In qua re ſtatuendum eſt, in exquiſito eryſipelate, quod ex bile alimentoſa prodit, purgandum quidem eſſe (ſanguine miſſo, vt diximus) cæterum neque ſubito, neq; confeſtim, neque mox à principio. Quippe cùm huiuſmodi ſuccus adeo ſit ſanguine admiſtus & aſſociatus, ſi vehemẽter purges, proculdubio vniuerſam maſſam ſanguinis turbabis, & forſan parum educes: item, ſi mox à principio id aggrediaris, longè minùs efficies, quia nihil, aut parum bilis, vel ſaltem id ſolum, quod eius ad cutim tranſmittit, natura ſeparabit, & ad viſcera reuocabit. Quo fit, vt non niſi in fine augmenti, & leuiſſimis medicamentis, id liceat fieri. In quo caſu traniacto principio, & apparentibus ſignis copioſioris bilis non eo inficias purgandum fore: ſed raro in hoc exquiſito eryſipelate tanta bilis copia congeritur, quod neceſſario id teneamur efficere, quinimo cauere, ne fiat retroceſſus ad viſcera & principaliora membra: quod in hoc malo ſummopere vereri oportet. Secus tamen res ſe habet, vbi ex flaua bile venas maiores ingreſſa eryſipelas ſuboritur: quippe tunc copioſiùs purgare ſtudebis, tanto citiùs, quanto exquiſitiùs fuerit eryſipelas: aut tardiùs, quanto ſanguinis plus admiſtum: quo fit, vt trãſacto primo mali impetu, & ſanguine miſſo (quo ſubſit locus medicamento purganti) ipſa vtêris, porrigens *mannam*, aut *caſiam*, vel *ſerapium*, ex infuſionibus *violarum*, aut *roſarum*, cum diluto *rhabarbari* facto in *aqua hordei*, vel *cichorij*, vel quauis alia refrigeranti: & vtcunque ſit, ſemper aluus turbanda eſt clyſmatis, tum blandis & attemperantibus, tum acrioribus, quæ ad inferas ſedes euocent bilem, & aliquid eius expurgent, reuocata conſuetudine tranſmiſſionis eius ad inteſtina. Quamobrem in vtroque eryſipelate, ſiue exquiſito, ex alimentaria bile, ſiue ex excrementitia fiat, laudo ſummopere, cum *ſerapiis* tertio vel quarto quoque die dilutum *rhabarbari* admiſcere, quo ad inteſtina reuocetur bilis, & eius aliquid extrahatur. In quo opere non oportet vereri retroceſſum bilis euntis ad cutem & per venas paruas, quia vis medicamenti illuc non pertingit: ſed ſolum euocatur illuc itura bilis ad conſuetum locum, puta ad inteſtina. Quinimo id expedit, quia tendit excrementitia bilis quo non oportet cum periculo maiori, quàm ſi ad inteſtina dilaberetur. At in bile alimentoſa non eſt ita tutum ad viſcera reuocare, niſi, vt dictum eſt, vrgente neceſſitate, aut paulatim.

Quibus factis, facile erit noſſe, quid in parte affecta agendum ſit, quod maius ſolet faceſſere negotium. Quippe nil vulgariùs reperies, quàm mox repellentibus vtendum eſſe: aliquando adſtringentibus, nonnunquam modicè ac in totum frigidis. Ex altera parte ſtat morbum eſſe cutaneum ex tranſmiſſione bilioſi humoris à viſceribus, ob idq; nulla lege eſſe repellendum. Nam qua ratione damnauerat Hippoc. eryſipelatis retroceſſum, eâdem repulſum omnino refugere oportebit. In qua hæſitatione duo mihi ſeſe offerunt conſideranda: alterum eſt, fluentis humoris ad cutẽ impetus & motus: reliquum vero efferueſcentia, calor & exuſtio. Sic aduerſus motum, vt qui à viſceribus fiat ad cutem, agendum nihil eſt per repulſionem: nullam enim partem infirmiorem cute ipſa reperies: quo fit, vt repellendus non ſit intro humor; facile enim ea parte reſolue-

ſoluetur, diſſipabiturque, vel nullo præſtito auxilio. Verùm tamen huius auxilij loco impetum aliò transferes, & ad diuerſas partes diuertes, quò minus lædet, & faciliùs attemperabitur à natura miſtione reliquorum humorum. Quod ea ſequetis facile cucurbitis ſcarificatis aut ſiccis, frictionibus, ligaturis, & extremarum partium lotionibus iterum atque iterum factis. Cæterum aduerſus qualitatem & feruorem, atque acrimoniam humoris, rationabile eſt, refrigerantia & humectantia præſtare auxilia, ne vel in corruptionem humoris & partes in exulcerationem degenerent. Quo fit, vt iure optimo conſueuerint authores partem fouere *aqua cucurbitæ, lacte, aqua maluarum, ſolani, ſemperuiuj, portulacæ, lactuca, ſedi, intybi, lenticulæ paluſtris*, & ſimilium. Cum hoc tamen ſi in capite eryſipelas adnaſcatur, in collo, é regione cordis, aut ventriculi, nulla lege eis vteris: nam licet adſtringentia non ſint, quodammodo repellunt frigiditate propria: quod vetari in aliis partibus non licet, quia repulſus non fiet ad principalius membrum, ſicut in partibus prædictis, quia facilis eſt via, & breuis à cute ad intima cerebri, cordis, aut faucium. In quo ſanè refrigerationis miniſterio ſolùm perſtandum eſt, donec cutis colorem acquirat naturalem, cauendumque, ne ad liuorem perueniat, aut ſcirrhoſam duritiem: quod iure optimo omnes authores verentur.

Ceſſante autem fluxione, & corporis præhabita ſufficienti prouidentia, tum per ſanguinis miſſionem, tum verò per expurgans medicamentum, ac per eam victus & vitæ inſtitutionem, quæ ad frigidum & humidum vergat, habita temporis & ætatis ac virium ratione, euidentiſſimum eſt, materiam in parte contentam ſecuriùs reſolui poſſe, quàm repelli, & ob id aqua tepenti cum modico vino fouenda eſt, vel decocto *florum altheæ, meliloti, maluarum*, & ſimilium, cum vino, aut ſecus. Nec deſunt, qui emplaſtra huic vſui parare ſtudeant, ſed quæ difflationem remorentur, ſummopere cauenda ſunt: ſuppurari enim ante exulcerari eryſipelas, periculoſum & graue eſt: ſecus res ſe habet, ſi affectus ob admiſtionem alterius humoris id expoſtulet, tunc enim iam non eſt præſentis inſtituti.

De Herpete.

Ad genus eryſipelatis pertinet alia tumoris biliosi ſors, quam Græci appellarunt *Herpetem*, Latini, *ignem ſacrum*, Auicenna, & ferè omnes Barbari, *formicam*: non quidem eam, quam Græci appellant *myrmecias*, & *acrochordonas*: Hiſpani verò, *culebrilla*. Herpes igitur eſt, quando flaua bilis non naturalis, ſola, & ſecreta in particulam aliquam confluit, atque ibidem conſiſtit, quæ ſi craſſior ſit, acriorque, totam exulcerat cutem vſque ad carnem ſuppoſitam, & tunc vocatur herpes exedens, ſeu depaſcens. In cuius tumoris enodatione expendendum eſt, fieri quoque à bile, vt eryſipelas, cæterùm non ab alimentoſa, ſed ab excrementitia, vt eryſipelas illegitimum, & vlceroſum, aut puſtuloſum, quod his rationibus illegitimum efficiunt, quantumuis à ſola bile fiat. Verùm hanc arbitramur differentiam, quod hoc illegitimum eryſipelas ſæpiùs fit à craſſiore bile, quàm legitimum ea bile excrementitia, quæ nondum craſſa & vitioſa facta eſt: verùm herpes ſemper à tenuiori magis, quàm eryſipelas legitimum, aut ſpurium, quia ob id ad ſummam vſque cutem aſcendit, ibidemque ſe extendit, ac ſerpit. Verùm ſi quis rem hanc diligentiùs penſitet, ac velit authorum contentionem dirimere, reperiet, herpetes eſſe in triplici differentia: Prima ſimpliciter dicta eſt ſola aſperitas cutis extimæ, ad differentiam eryſipelatis, quod infimam, & aliquando ſubiectam carnem depaſcitur, quæ nullum videtur eleuare tumorem, cum immoderato calore: cum hoc tamen minori, quàm in eryſipelate, quia minor eſt materiæ copia, & ipſa tenuior, & ob id calor minùs efficax. Secunda herpetis ſpecies cum vlcere coniungitur, & ab Hippocr. herpes exedens ſeu depaſcens dicitur, quod totam cutem vſque ad ſubiectam carnem depaſcatur; in quo à phagedæna videtur differre parum, quòd carnem quoque ipſam exedat: quam ſpeciem Galenus *herpetem eſthiomenon* appellauit. Tertia verò & vltima, cum prædictum herpes iungitur puſtulis quibuſdam paruulis, & ea ratione appellatur à pleriſque *herpes miliaris*, quòd puſtulæ illæ granis milij aſſimilentur: fit interdum, vt puſtulæ illæ abrumpantur, & fiat vlceratum herpes. Hunc ſanè miliarem cõſtat, Galenum vſurpaſſe pro genere: ſed clarior eſt præſcripta diuiſio. Differunt etiam prædicti tumores cauſſa: nam licet biliosus humor omnibus ſit communis, nihilominus tamen herpetis ſolùm exaſperantis cutem, cauſſa exiſtit bilis excrementitia, tenuiſſima, & calida: vlceroſi verò eadem, ſed craſſior facta, & calidior, atque acrior: eius quidem, quod miliarem appellant, eadem, ſed admiſta tenuiſſima & aquoſa pituita vel ſero.

Lib. 5. aphoriſm. 22.

Lib. 14. method.

Lib. 2 ad Glau.

Nec parui eſt momenti Hipp. ſententia, quatenus pertinet ad horum affectuum præſagium. Quippe inquit: *Herpetes autem minimè omnium vlcerum, quæ depaſcendo proſerpunt, periculoſi ſunt, verùm maximè difficulter ſemoueri poſſunt, quemadmodum cancri occulti. Præterea boni præſaga eſt febris vnius diei, cum pure albo, & æquali: ſecus ſi diu duret febris.* Nec placet Hippocratis & Celſi ſententia, qui laudant in herpete oſſis corruptionem; intelligat quiſque vt velit.

1. prædi.

Curandi ratio, tanquam in affectu cancro vlcerato perſimili, difficillima eſt, necnon quia ſæpe ad oſſis corruptionem peruenit, niſi citò præueniatur, præterquam quod is, qui vlcerando & corrodendo ſerpit, non minus efficit vlcus in parte, vbi primum incepit, ac vbi ſerpit, licet primæ eius ſpeciei id non accedat, nam vt ſerpit, ità ſua ſponte, vel quouis medicamento ſaneſcit, quod primo apparuerat exaſperatum. In cuius affectus curatione (præmiſſa victus & vitæ inſtitutione refrigeranti ex cibariis boni ſucci) duo diligenter expendiſſe oportet: primum humoris biliosi, tenuis, & corroſiui (in herpete primæ ſpeciei, ac craſſæ in ſecundæ) & eiuſdem cum admiſtione ſereæ ſubſtantiæ, aut fluxilis pituitæ copiam & modum generationis; nam ab aliis auſpicari oportet curationis principium. Quippe conſiderabis, an ex calore iecoris & venarũ, bilis tenuior, ſpumoſior, & acrior facta ſit; nam tunc proculdubio à ſanguinis miſſione curationem incipies, quamuis authores non meminerint huius præſidij in hoc malo, idque non erit ab rebus efficere, ſi ex ſanguinis conſueta vacuatione ſuppreſſa, ex calo, vel ietore, aut ex progreſſu laborioſo exer-

Curandi ratio.

cirio, vel quauis alia cauſſa ſanguinem & bilem in feruore agente fiat. Quod ſi nil horum præceſſerit, & conſtiterit effrænem vagari prædictam bilem tenuem, vereri oportet, ne decumbat in membrum princeps, tunc protinus, nulla vel leui præparatione præmiſſa, cholagogo medicamento purgabis. Quippe in viris & robuſtis fœminis purgat Galen. idque iuxta optimam rationem *ſero & ſcammonio*: quapropter non eſt alienū à ratione, ℥.iiij. *ſeri* adhibere, & adiicere g̃.ij. vel iij. *diagridij*, & cum modico *ſyrupo violaceo* laboranti præbere: ſin aliter, diluto *rhabarbari* vteris: vel in eodem *ſero* cum *ſyrupo ſolutiuo roſarum aut violarum*, *& infuſo ſenæ* purgationem inſtitues: aut in eodem infuſo *mannam* aut *caſiam* diſſolues. Sed id ſemel vbi feceris, curandum eſt humorem temperare ac frænare, & eius tenuitatem corrigere *ſerapiis*, quæ nuper diximus. Poſtea verò paulatim corriges, & paulatim expurgabis, prædictis pharmacis in minori copia exhibitis, cum decoctione *tamarindorum & mirobalanorum*, aut cum *ſyrupo cichorij*, *& diluto rhabarbari*. Verùm ſi herpes miliaris fuerit, eiſdem purgabis, ſed admiſcere oportet, vel *lac ſeminis cartami*, aut *agarici* modicum, vel *epithymum*, *ac polypodium*: & poſtmodum per vrinam curandum eſt humorem purgare, ſeroſam enim ſubſtantiam faciliùs per eam partem euocabis. Nec omnino poſthabenda eſt iecoris prouidentia, adhibitis, quæ ipſum attemperent, & refrigerent. Secundum, quod conſideratione eſſe dignum in hac curatione diximus, eſt parti affectæ vtilia adhibere præſidia. Quorum quædam attemperationem moliuntur: alia vlcus, nonnulla puſtulas extirpare nata ſunt; ſic poſt prædictas euacuationes, principio affectus adhibere oportet, non quæ adſtringendo repellunt, vt multi ſunt arbitrati, ſed quæ refrigerando: nam licet incendium non ſit ita vehemens, vt in eryſipelate, cum hoc tamen efficaciſſimum eſt, ſiquidem ignis ſacri nomen meretur, prætérquam quod in herpete, præſertim exedente & exulcerante, longè minùs licet reprimentibus & adſtringentibus vti. Quippe erodens materia, quia eidem fixiùs parti adhæret, longè maiorem exeſionem & exulcerationem efficit: præter id, quod longè minùs ad interiora repellere licebit. Quapropter, quæ frigida ſunt, ex vſu exiſtunt, vt in eryſipelate diximus: in principio, & prima herpetis ſpecie frigida & humida, interim dum non vlceratur, quia eo tempore intelligenda venit Hippocratis ſententia, qua *lib.5. aphor.22.* refert, aquam tepidam herpetibus plurimum prodeſſe. a ad Gla cap. 2. Verùm cùm à Galeno dictum ſit: Herpetes autem, quatenus ad totius corporis vacuationem attinet, vt eryſipelata curare oportet: quantum vero ad patientem particulam, non omnibus ſimilis curatio adhibetur. Nam qui exedentes ſunt, refrigerari quidem deſiderant, ſimiliter & aliis herpetibus, & eryſipelatis: non tamen ea ferunt medicamenta, quæ præter id, quod refrigerant, etiam humectare natura apta ſunt, ſed ſola refrigerantia, quæ etiam poſſunt exſiccare: quo fit, vt ea ſint adhibenda, non herpetis ratione, ſed exulcerationis neceſſitate: in cuius curatione, quæ plus ſiccent, adhibenda ſunt. Itaque ob ignem & morum ſerpentis humoris refrigerare, propter vlcus exſiccare opus erit: & quia vlcus eſt cum humoris affluxu, adſtringere inſuper oportet, quantum par ſit ad fluxus cohibitionem. Quo fit, vt proſint *ſummitates rubi*, *ſumach*, *folia oleaſtri*, *ſalicis*, *oliuæ*, *& balauſtiorum*: ex quibus fiat decoctio vel inſtillatio ex eorum ſuccis, præſertim *foliorum roboris*. Prodeſt & *plantago*, *folia vitis*, & alia huius cenſus: quibus, tranſacto principio, & aliqua parte augmenti, oportet addere, quæ modicè reſoluere poſſint: vt eſt *farina lupinorum, cum ſucco lapati acuti*, *puluis balauſtiorum*, *& modico aceto*. Aliud conficies, quod recipit *ſucci plantaginis & ſolani ana* ℥.j *ſucci radicis lapati* ℥. ß. *balauſtiorum* p.j. *roſarum rubearum* ʒ.j. ß. *aluminis* ℥ j. *aceti* ℥.ij. coquantur ad conſumptionem aceti & ſuccorum, & in mortario plumbeo agitentur, & adde *lithargyrij* ℥.ij. *ceruſæ* ℥ ß. *pulueris thuris* ʒ.ij. & fiat linimentum. Prodeſt & emplaſtrum arnogloſſæ, & reliqua huius naturæ: quæ non licet huc transferre. Quod ſi corroſionem inhiberi non poſſit, proſunt paſtilli Muſæ & Andronis; poſtea vero ad cauſtica, & magis exſiccantia medicamenta te conferes.

Sciendum tamen eſt, eiuſdem qualitatis medicamenta herpeti miliari eſſe proficua, cæterùm non æquè frigida, ob aquoſitatem, quam ſibi habent admiſtam prædictæ puſtulæ, neque vehementer ſicca & exedentia, ſed ſatis eſt, vt Galen. Ad Glau. aſſerit, *glauci dilutum*, *aut arnogloſſi*, *vel ſolani ſuccus*, & alia huius naturæ. Atque hæc ſufficere videntur ad inſtitutionem & notitiam veritatis & naturæ rei.

DE OEDEMATE, ET PITVITOſis ac frigidis tumoribus.

INSTITVTIO VI.

Oedema quid.

PRÆTERMISSO communi œdematis ſignificatu, quo Hippocrates *omnem tumorem præter naturam* intelligit, item, dum pro *phlegmone* accipit, ſolùm hac in parte nomine œdematis ſubaudire oportet *tumorem quendam, quem pituita committit*, ſicut phlegmonem ſanguis, & ſcirrum melancholia, atque eryſipelam bilis. Qui ſanè eſt tumor mollis, laxus, digito prementi cedens, indolens, albus, & minimè calens; quem non eſſe vnius generis, ſed duorum arbitramur; *legitimum* vnum; reliquum vero *illegitimum & ſpurium*. *Verum* atque *legitimum œdema* conſtat ex Galeno, fieri ex pituita naturali, quæ 14 Meth. 1. ad Gla. nil aliud eſt, quàm ſanguis crudus, in conſortio ſanguinis repertus, alitioni pituitoſorum membrorum dicatus; *illegitimum* autem, & *ſpurium*, ex pituita non naturali, & extraneata; quæ talis efficitur vno è duobus modis. *Primo*, per admiſtionem alicuius alterius humoris; qui ſi fuerit ſanguis, fiet œdema phlegmonodes; ſi bilis,

œdema

œdema eryſipelatodes: ac ſi melancholia, ſcirrhodes: niſi præualuerit humor, qui pituitæ adiungitur eo tempore: nam ſic accipiet nomen à prædominante ſucco. *Secundo* autem modo, pituita efficitur præter naturam in propria ſubſtantia, nullo extrinſecus accedente: quo fit, vt quatuor etiam ſuboriantur tumorum genera: *Alterum* ex pituita in aquam verſa, idarodes nuncupatum: aut in flatum, cuius ſuo loco meminero; *Secundum*, ex crudo phlegmate, craſſo, & mucoſo, ex quo procreantur tumores illi, quos abſceſſus pituitoſos nuncupamus, vel exituras phlegmaticas, Auicenna verò dubelet, cuius naturæ ſunt ſteatomata, ætheromata, & meliceridés, ac ganglia, & id genus alia permulta. *Tertium* prodit ex magis indurata pituita, gypſea nimirum, ex qua nodi podagricorum oriuntur, & ſtrumæ ſeu ſcrofulæ nuncupatæ. *Quartum*, ex corrupta & putrefacta pituita, á qua fiſtulæ & vlcera, quæ ſcrofuloſa vocantur, ſubſequuntur. Præter quæ œdematum genera aliud etiam non rarò conſpicimus, quod non habere morbi rationem, vt prædicta certum eſt, ſed ſymptomatis, in hydropicorum pedibus, facie, & oculis, vt Hippocr. teſtatur: ſed hoc non habet circumſcriptum locum, & ſignatam eminentiam, vt quæ verè ſunt œdemata morbi rationem habentia.

Cauſæ eiuſdem quales.

Quibus exactè conſideratis, euidenter conſtat, quales ſint œdematis cauſſæ, nam præter primitiuas, antecedens & coniuncta ſemper eſt, vel vbertas humoris pituitoſi, huius aut illius ſortis ex his, quas numerauimus, in toto vel in parte, quæ efficax eſt ad tranſmiſſionem eius ad aliud membrum, vel in parte (quod plerunque accidit) paulatim congeratur: & vtroque modo poſt collectionē prædictæ pituitæ efficitur coniuncta.

Oedematis ſigna.

Signa verò euidentiſſimè conſtant ex diffinitione: quippe tumor eſt, in quo cutis color non mutatur, quinimo albidior efficitur, & cum frigiditatis ſenſu mollis eſt, & ſine dolore digito prementi cedit, ac preſſura manet, & certè redit ad priſtinam figuram, & permanet ſine pulſationis ſenſu. Iudicantur huiuſmodi tumores vt plurimum per reſolutionem, rarò per ſuppurationem, & frequentiùs per indurationem, ac mutationem in nodos, & alias excreſcentias, quæ à Græcis vocantur *apoſtemata* & *abſceſſus*: & vtrumque ſit, diutiùs durat in quanis terminatione:

Lib.1 prognoſt 30.

nam ob id dixit Hippocr. *œdemata diuturniores faciunt indicationes, & longè diuturniores, ſi in pus mutentur*: vtcunq; tamen ſit, periculum non afferunt, niſi aliquod committatur erratum, aut in membro principe vigeant.

Curatio.

Curandi verò rationem præcedens œdematis diuiſio cogit in tot partes diſſecare, quot genera œdematum eſſe antea diximus: nimirum alterum legitimum, & reliquum ſpurium. At legitimum, quod ex pituita naturali fieri ſtatuimus, vno è duobus modis ſuccreſcere ſciendum eſt: per defluxum nimirum, & ſenſim aut paulatim in parte congeſta pituita. Quod vero per defluxum efficitur, duplicem ſibi præſtat indicationem: vnam præcautoriam, quæ fluentem aut fluxuram materiam reſpicit: & rurſus alteram, quæ ſolùm circa fluxam materiam verſatur. Quæ ſanè conſideratio, & auxilia, quibus eam exequimur, non minùs proficua ſunt œdemati, quod paulatim efficitur, quàm huic, quod per defluxum, ſolùm habito reſpectu ad congeſtam materiam; nam eadem vtrobiq; eſt ratio.

His præmiſſis, ſtatuendum eſt, *fluxionem œdemam concitantem eſſe in duplici differentia*: vnam, quæ cauſſa alicuius morbi grauioris ſuccreſcit, vt hydropis, phthoës, & aſthmatis, ac ſimilium morborum, quod curare fruſtra tentabis, niſi morbo, à quo procedit, & cuius eſt accidens, priùs curato: reliquam veró, quæ triplicem præſtat in curatione œdematis indicationem: vnam, gratia materiæ fluxuræ: alteram circa fluentem: & reliquam ſolùm iuxta eam, quæ iam recepta eſt in parte. Primam exequeris prohibitione generationis pituitæ per victus parſimoniam, ſiccitatem, modicum calorem, tam in cibis, quàm in potibus, ad quorum penſum inſtituenda eſt reliqua vitæ conditio: item euacuatione eius, quæ genita eſt, & in corpore abundat, præmiſſa præparatione per ſyrupum, qui attenuet, inſcindat, calfaciat, & quodammodo concoquat, quod eius poſſibile fuerit, ac reliquum vacuationi aptiùs reddat, *melle roſaceo, ſyrupo de hyſſopo, de ſaluia cum oxymellite*. Purgabis *catholico, diaphenico ſyrupo ſolutiuo roſarum Perſicarum, tam agarico, aut gnico, vel pilulis aggregatiuis, de agarico, & ſimilibus*. Quod ſanè tutiùs facies, ſi iterato feceris: præſertim ſi mens fuerit fluxionem à parte affecta auertere, quod exequeris paulatim euocata materia, vel ad ventrem, vel per vomitum ad ventriculum, ſic etiam fluentem materiam retrahes, & naturam diſſueſces á conſuetudine tranſmittendi.

In œdematis materiæ euacuatione quę conſideranda.

Quo facto ad contentam in œdemate materiam te conferes, in cuius euacuatione hæc proſus conſideranda tibi erunt: quippe mox á principio eis medicamentis eſt vtendum, quæ nulli alteri ex tumoribus proficua ſunt, qualia digerentia exiſtunt, cum ſiccitate, & repellendi etiam vi. Denique ea, quæ illis in augmento proſunt, his in principio adhibenda ſunt, vt quæ reprimendi quidé vim habent, ſed non ex impenſa frigiditate & adſtrictione, ſed quæ non inualidè ſiccant, modiceque digerunt. Quæ triplicis eſſe generis conſtat, vt ex Galeno colligitur, per ſpongiam *poſca* imbutam, & parti admotam: ſecundum recipit *aqua decoctionis nitri, cinerum, & aceti*, quantum ſatis eſſe videtur. Tertium recipit *aloës, myrrhæ, lycij, acatiæ, glauci, cyperi, croci, boli Armeni*, ſingulorum partes æquales, cum *ſucco caulium & aceto* fiat emplaſtrum. Quibus, & aliis huius naturæ, quæ paſſim reperies, attenuabitur humor, retrocedet etiam, ac prohibebitur, quo minus ad partem fluat, maximé quia hæc omnia actu calida parti apponenda ſunt. Quippe modicè calida medicamenta, quæ ſiccitatem habent, adſtringendi quoque vires ſortiuntur; & hæc ſunt, quæ œdemati prodeſſe poſſunt, non quidem impenſe frigida, nam dureſcet & incuneabitur longe magis humor. Quod ſi his videatur tumorem nihil imminui, tunc ad ea, quæ in augmento proficua ſunt, deueniendum eſt, qualia ſunt, quæ vehementer diſcutiunt, vt *acetum cum modico alumine*, cum deligatione maiori ex infima parte ad ſupremam membri, vt conſuluit Galenus, noua ſpongia appoſita. Quam quoque madefacies in *lixiuio ex cinere ficulneo, caulium, tamariſci, & ſarmentorum, cum aqua chalybeata, & aceto*. Verùm ſi con-

ſtiterit aliquid tumoris reſolui, tunc quidem ſoſis digerentibus, iisque validioribus vtēris: in declinatione verò eiſdem, ſed mitioribus, & quæ vim ſortiantur exſiccandi, & abſumendi. At ſi parum tumorem imminui, his factis comperias, coniectabile eſt, tumorem ſuppurari: quo tempore emplaſtris huic vſui proficuis diligenter adhibitis pus mouere, antequam duritiem contrahat, curabis: cuius naturæ eſt emplaſtrum de *branca vrſina, althea, capa eſſa, radice lilij albi, ſemine lini, & fermento cum axungia porcina.* Quo facto, ſi pus apparuerit, etiamſi in circuitu tumoris aliquid induratum ſuperſit, ſciſſionem facito, & vt dictum eſt, rem deinceps perficies.

Quod ſi tumor ſuboriatur ex pituita non naturali, craſſa, vel ad aliam naturam reducta, ſtrumasque, & cæteros abſceſſus effecerit, tunc quidem alia via incedendum eſt, ſi prius eos numerauerim, dixerimque breuiter cuiuſque naturam. Sunt autem hi, Græcorum ganglia, chærades, id eſt, ſtrumæ, ſeu ſcrophulæ, bronchocele, quod bocium, herniam gutturis nominant. Meliceridesitem, ſteatomata, & atheromata, teſtudo, talpa, & nacta ſiue napta fragile Auicennæ, & vulgariter bubo, & alia plurima, quæ in tophaceam duritiem & ſcirrhoſos affectus degenerant, quorum præternaturalis pituita principium exiſtit. Quos omnes tumores ſub genere abſceſſuum pituitoſorum reponi á Chirurgis euidentiſſimum eſt. Glandula enim mollis, vnica, mobilis, & ſeparata á partibus circumiacentibus, plerumque in emunctoriis adnaſcitur: aliquando verò in manu, vel pede, vel in loco tendonibus & neruis coniuncto, quas extirpare raro licet. *Scrophulæ* vulgo vocatæ, nil aliud ſunt, quám indurati, & intra membranam contenti adenes, id eſt, glandulæ, in collo, axillis, & inguinibus præcipuè ſuccreſcentes: has Latini *ſtrumas* vocant, & Græci *chærades*: omnes autem ſuis pelliculis includuntur, quemadmodum ſteatomata, atheromata, & meliceradcs.

Scrophulæ.

Lupia, mollis, rotunda, in locis duris & ſiccis adnaſcens, vt in palpebris, & locis neruoſis: nec ob id credendum eſt, lupiam eſſe eum affectum, quem lupum appellant; eſt enim *lupus* malignum vlcus, de genere phagedænarum. *Nodus*, tumor eſt rotundus, & durus, circa loca neruoſa maximè apparens, quem Auicenna ſub nomine dubeler comprehendit, ſicut & ſteatomata & melicerides. Cæterúm *atheroma* tumor eſt concolor, & indolens, in membrana ſeu neruoſa tunica humorem lentum continens á pulte ſimilitudine ſumpta. *Meliceris* autem dolore etiam vacat, conſtans ſubſtantia melli perſimili. *Steatoma* vero tumor etiam eſt concolor, & tactu lenis, in principio exiguus, ſed temporis proceſſu augeſcens, in quo humor ſepo perſimilis membrana incluſus reperitur, cæteris tamen durior. Ad quæ tria tumorum genera plures aliæ ſpecies reducuntur, qualis *teſtudo* eſt, qui tumor eſt magnus, latiore forma, & mollis, ob pinguem materiam, in modum teſtudinis, qui in capite adnaſcens talparia dicitur: ſed ad hæc atheroma magis accedit, ſicut teſtudo ad melicеridem. Præterea *bocium*, ſeu *bronchocele*, eſt tumor colli grandis, & rotundus inter cutem & aſperam arteriam, in quo aliquando caro excreſcit, nonnunquam humor

Lupus.
Nodus.
Atheroma.
Meliceris.
Steatoma.
Teſtudo.
Bocium, ſeu bronchocele.

melli, aquæ, pulti, adipi perſimilis. *Napta* huic quodammodo ſimilis tumor aliis partibus adnaſcens, magnus, carnoſus, diuerſa ſortitus nomina, iuxta diuerſam ſui figuram. Inſuper *bubo*, qui tumor eſt inguinum, & adenoſarum partium, magis accedit ad naturam inflammationum: verùm prædictis adiungitur ob craſſitiem pituitæ ſibi adiunctæ: fugile ad tumores, qui poſt aures naſcuntur, reducitur. Itaque ex his tumoribus quidam peculiari tunica includuntur: alij carne ſunt implexi & inſerti: quidam baſim ſeu radicem habent gracilem: quidam latiorem: alij inſuper ſunt reſolubiles: alij minimé: nonnulli magni, alij parui: aliqui ſuppurationem ſortiuntur; alij minimè: quidam etiam ſunt ſquamoſi, fiſtuloſi, canceroſi, & alij nil horum recipiunt. Quibus iam conſtare & cauſſam antecedentem & coniunctam, necnon & modum terminationis, facilitatem & difficultatem curationis euidentiſſimum eſt.

Napta.
Bubo.

Curandi rationem vnam omnibus his tumoribus communem eſſe arbitramur: alteram cuique propriam, ſed non plurimum diſſidentem. Primam quidem conſtantem ex victu exſiccante, potus parſimonia, exercitio, niſi pars affecta vetuerit. Quo facto, ſciendum eſt, craſſæ & præternaturalis pituitæ prouentum inhibendum eſſe his, quæ ſi non profuerint, mille modis euacuare poſſint, & diſtrahere á parte affecta, quod eius redundauerit: vomitibus, ſi venter prauè coxerit, frequentibus purgationibus ex *agarico, cartamo, terebinthina, hiera Galeni, pilulis de agarico, turpeto, aggregatiuis & cochiis.* Item eis medicamentis, quæ vrinam moueant, liquentq; craſſos ſuccos, & ad renes traiiciant. Inſuper balneis ſulphureis, & ſudationibus ex *ligno Guaiaco*, aut *ſparta parella*, & frequentibus clyſmatis. Quod ſi ex capite fluxionem deſcendere comperеris, fontanellam altero brachiorum aperies, quo ſpiret dilabens humor.

Curandi ratio.

His factis, vt cuique tumoris ſorti ſatisfacere poſſis, primò obſeruabis pituitoſos abſceſſus, molles, & paruos, quales glandulæ & lupiæ ſunt, ſi in particulis firmiores præſint, tam diu manu ac digitis macerabis & conteres, donec incaleſcant, & materia in ciſti contenta liquetur, quo facilius diſcuſſioni cedat. Quo facto, laminam plumbeam deſuper affigito arctè, præmollita tamen parte vnguento vietis Oribaſij, q. r. *ceruſæ, reſinæ, olei veteris ana* ℥. j. *ammoniaci, galbani ana partes æquales, ceræ* ℥. iiij. Sed mirabilis efficaciæ eſt ſuperponere plagelas ex ſtupis confectas oui candido ſale & alumine inſpiſſato imbutas. Tandem ſi hæc non profuerint, aut alia, quæ paſſim ſcribuntur, cutis inſcindenda eſt, & tumor volſella apprehendendus á radice, & auellendus cute vndique excoriatus, ac poſtea futura partes vniendæ, & curanda plaga eſt vt recens, foramine tamen relicto. Quòd ſi maiores ſint huiuſmodi tumores, præmiſſis medicamentis, quæ proficua diximus eſſe œdemati, emollire, diſcutere, & conſumere oportet. Quæ opera maximé præſtat emplaſtrum, q. r. *olei antiqui* ℥. j. *viridis æris* ℥. vij. *picis* ℥. iij. *ladani* ℥. j. ß. *lithargyrij* ℥. j. *galbani* ℥ j. ß. Sed quia ad ſtrumas varia apud authores ſcripta reperies, præter vſum ſerpentum, quorum vſus maximi ſolet eſſe momenti, tertio quoque die vnguen-

vnguento vteris ex bufone aut puluenbus eius, maximè vbi vlcera fuerint aliqua. Quòd ſi hæc prodeſſe non videantur ſuperficiarias ſtrumas ſic curato: ſi benigni fuerint humores, aut ſanguini miſti, emollientia & reſoluentia proficua erunt, licet id diuturno tempore efficiant, quia aut reſoluunt, aut ſuppurant. Quo facto, tumorem aperies, & pus deterges ex vngoento Apoſtolorũ, aut Ægvptiaco: verum ſi duritiem maiorem contrahant, ſectionem & extractionem curabis diligenter efficere per longitudinem cutis facta ſectioné: in paruis vna, in maioribus per longum & tranſuerſum facta: deinceps, ſeruatis venis & arteriis, ſtrumam excoriato, & paulatim eximito: qua lege Tagaultius proprio cap. conſulit, & reliquam curationem, ac ſanguinis fluxionem eodem modo cohibebis, & facies. Cæterum ſi laborans formidauerit ferri aut ignis contactum, cauſticis medicamentis rem agens, ſciſſa cute, & immiſſo vrente medicamento per vulnus vſque ad ſtrumæ corpus, ſiue cauſticum ex compoſitis, ſiue ſolo arſenico vtaris, vt lèrè & ſenſim molles ſcrophulæ conterantur exedanturque, donec vlcus putum ſubſit, &, vt expoſtulat, curetur. Quod ſi abſceſſus fuerit ex his, qui anguſtam habent baſim, vinculo ſerico ligabis, aut ſetis equinis, vel ſilo facto ex corticibus arboris mori, vel nucis, vinciens indies magis ac magis vinculis compreſſis, donec reſiccari comperias, & ſua ſponte delabi. Atheromata, ſteatomata, & meliceribes peculiarem in Chirurgo præ requirunt diligentiam & curationem. Quippe meliceris tripliciter extirpatur: aut tunica, quam ciſtim appellant, diſcuſſa, & prorſus exeſa, vel ferro ſeparata: atheromata nullam admittunt reſolutionem, ſed ſolum auferuntur ſectione, aut exeſione: ſteatomata vero nec diſcuti, nec exedi poſſunt, ſed ſolùm ſectione curantur. Sed in omnibus periculoſis tumoribus ſummopere obſeruandum eſt, ne tunica ante integram auulſionem dirumpatur, exeatque humor: nam vel eius, vel humoris aliquid intus manet, recidiuam iterum effecturum.

Tumor aquoſus. Inter ædemata, quæ illegitima ſunt, iure optimo annumeratur *tumor aquoſus*, quem laxum & indolentem arbitrantur authores, factum ab aquoſa ſereaque ſubſtantia aliqua parte incluſa. Quæ ſanè vbi in ventris cauitatibus colligitur, aſcitim concitat: ſi verò inter cutem capitis & caluariam, hydrocephalon: ſi autem in ſcroto congeratur, hydrocele progignit. Quod ſi ſub tunica viſceris alicuius contineatur, parua veſicula suboritur, quam vocant idatida: vel in cute ac partibus externis, vnde fiunt puſtulæ, quas phlyctenas vocant. Itaque huiuſmodi tumor aut fit intra tunicam & oſſa; aut intra carnem & tunicam; vel inter carnem & cutem; vel in magnis cauitatibus Cauſſas habet, vel percuſſionem, qua venæ dilatantur, vel alimentorum humidorum immodicum eſum, vel potum copioſiorem, aut impotentiam ſecernendi facultatis, quæ nequit ſanguinem ab hoc excremento purgare, aut imbecillitatem concoctoriæ facultatis ventriculi, aut iecoris, quæ longé maior futura eſt, quám quæ flatum generat. Et vltimo, tam antecedentem, quám coniunctam eſſe aquoſum humorem arbitramur. Hunc ſanè tumorem aliquando vt ſymptoma eſſe conſiderandum, ſtatuunt authores, vt in hydrope, & phthiſi, aut difficili reſpiratione, ac diuturnis affectionibus pedes in tumorem eleuati oſtendunt: & rurſus morbi rationem habet, cúm videlicet in vna parte incluſa aquoſa ſubſtantia, tumorem circumſcribit, figuram, temperiem, & partium vnitatem vitiantem. Hos etiam tumores noſcea, quod molles ſint, & digito prementi cedant, cæterum non manet digiti veſtigium, vt in œdemate ſunt laxi, ſonitũ edunt, lucidi tranſparentesque, & parum cutim imitant, niſi ex cauſſa externa ſuboriantur: ſenibus aut pueris plerunq; adnaſcuntur, & difficilioris ſunt curationis, quám flatuoſi, vt conſtare videtur ex Galeno. Quas habeat cauſas.

1. progn. In curatione prædictorum tumorum, ſit primum conſilium præcauere, ne nouæ materiæ aduentu tumor augeatur: alterum, vt quæ iam collecta eſt, & morbum facit, imminuatur. Primum conſequeris, ſi cauſſas congeſtionis ſereæ ſubſtaotiæ ſubmoueris, cauens, ne amplius generetur praua & exſiccante victus & vitæ inſtitutione: item curabis, ne materia ſuperuacua aut mittatur ad partem, aut ab eadem trahatur. Item, ſi quid ſuperabundat, euacuato his medicamentis, quæ *hydragoga* nuncupantur, quæ aquas educunt, vt *ſemen cartami*, *agaricus*, *terebynthina*, & alia id genus. Prouocabis ſudores, quod corpore purgato maioris ſolet eſſe momenti, vel vrinas promouebis: nam id ſolúm ſolet materiæ antecedentis eſſe præſidium. Quo facto, partem, quæ prædictum ſuccum generat, curabis modicé calfacientibus & temperatis medicamentis ad priſtinum ſtatum reducere: tandem aquam in tumore contentam, vel reſoluentibus in halitum digeres, vel ſi id difficulter fiat, euacuabis aperto foramine: illud facies foribus ex *aceto & ſale*, feruefactis ex lixiolo cum *alumine, ſale, nitro, ſulphure*, vel ex *aqua vita cum ſinapi feruefacta*, emplaſtris etiam ex eiſdem rebus factis, cum vino aut decoctis calidis & digerentibus. Secundum fiet ſcalpello parte aperta, vel ſi fuerit in ſcroto, ſetone affixo eidem parti, aut vulnuſculis infixis, vt propriis capitibus leges. Præterea complicatum ædema mixta curatione tractabis pro natura humoris complicationem efficientis. Curatio.

DE SCIRRHO, ET MELANcholicis tumoribus.

INSTITVTIO VII.

Scirrhus. SCIRRHVS, qui tumor durus, & omnino doloris expers, ac ponderoſus eſt, duplicis aſt naturæ: alter legitimus á naturali melancholia ortus, ſeu á craſſa pituita in parte indurata, (quem non exquiſitum alij arbitrantur,) reliquus vero potius ſcirrhoſus tumor, quám ſcir-

rhus dici meretur, quod omnino ſenſu non careat. Qui ſané duobus efficitur modis: vno, á melancholia etiam, cæterùm alicui prædictorum humorum aſſociata: quo fit, vt huius ſortis tres ſcirrhoſorum tumorum ſpecies reperiantur: *vna*, ex melancholia ſanguini adiuncta, præualente melancholia: & *ſecunda*, adiuncta piruita maiori melancholiæ copiæ: *tertia*, cùm flaua bilis eidem copioſiori melancholiæ adiungitur. Secunda ſors efficitur á quouis humore in parte quauis ſupra modum indurato, ſiue ob medicamenta impenſè reſoluentia, ſiue plus iuſto refrigerantia, quæ ab imperito Chirurgo adminiſtrantur. Tertia autem ſcirrhi ſpecies eſt, quando ex quauis melancholiæ ſpecie, vbi admodum aduſta fuerit, originem traxerit, qui iam non ſcirrhus ſimpliciter, ſed ſcirrbus cancroſus, aut cancer dicitur: cui ſi maior aduſtio, aut tenuis ſubſtantiæ, acris & calidæ aliquid acceſſerit, vlceratus cancer fit.

Cauſſæ ſcirrhi legitimi. Cauſſas habet legitimus ſcirrhus (præter externas, quæ natæ ſunt plurimum melancholiæ prouentum in corpore efficere) ſolúm melancholiam naturalem, hoc eſt, fæcem ſanguinis, aut, vt Galenus aduertit, craſſam pituitam: ſpurius ſeu illegitimus eandem, ſed cum aliquo ex prædictis humoribus aſſociatam, aut vltimò quemuis humorem in tumore quouis contentum, vbi induruerit, aut parte tenui ſupra modum reſoluta, aut vniuerſa eius ſubſtantia congelata & coarctata in eadem parte: cancroſi verò ſcirrhi ſolùm melancholia per aduſtionem facta.

a ad Gla.

Cognitio. Cognitio ſcirrhi ex diffinitione euidentiſſima eſt: nam durior eſt cæteris tumoribus, ſine ſenſu, colore cinericio, aut plumbeo, vel ſubnigro inſignitus, eo excepto, qui fit ex pituita to parte congelata, ſiquidem colorem cutis non mutat.

Præſagium. Inter omnes ſpecies huius tumoris, qui inſenſibilior eſt, difficiliùs curatur, ſicut qui ſummam duritiem adeptus eſt, vel ſupra eius cutem pili adnaſcuntur. Horum etiam tumorum quidam terminantur in cancrum, quidam in maiorem duritiem, & alij rurſus reſoluuntur.

Cauſſæ. Exquiſiti ſcirrhi curandi rationem difficilem iudicarunt omnes Medici, quod adeo induruerit materia, vt nullis ſit ceſſura auxiliis: verùm ſi omnino exquiſitam non contraxerint duritiem, conſiderabis, ſitne materia melancholicus humor, an craſſa & exſiccata pituita: aliquid enim diſcriminis in curatione circumſcribitur, vt mox referam, ſi priùs dixero, inhibendam eſſe propagationem humoris peccantis, victu omnino contrario. Quare in pituitoſo apparatu ad ſiccius & modicé calidum vergant alimenta omnia oportet: ſicut ad modicé calidum & humidum, ſi melancholia cauſſam præſtiterit: ad quorum penſum inſtituenda eſt reliqua vitæ ratio. Poſtea verò, ſi quid alicuius prædictorum ſuccorum in corpore abundat, ex ſuppreſſione conſueti fluxus ſanguinis, ipſum reuocabis, aut venam ſcindes, ſed parcè: poſtea quod melancholiæ ſupereſt, demendum erit frequentibus purgationibus ex *agarico*, *ſena*, *polipodio*, *turpeto*, & ſimilibus, aut efficacioribus: nam talia expoſtulat humoris renitentia. Præterea vtcunque factus ſit ſcirrhus (niſi noua præſit fluxio) nulla lege repellentia deſiderat auxilia, quia materia huic muneri omnino inepta eſt, & ob id neque adſtringentibus, neque refrigerantibus vtendum erit: neque rurſus impenſe emollientibus, quantumuis durus ſit: inſuper neque reſoluentibus vehementer; nam frigida & adſtringentia, præterquam quod emollitionem ac reſolutionem impediunt, humorem denſiorem, & longe magis induratum efficiunt: item reſoluentia, ſi moderata ſint, parte tenui ſeparata, craſſa durior remanet; ſicut emollientia periculum afferunt corruptionis, quo facile in cancrum & vlceratum degenerat affectio. Et ob id omne curantis conſilium dirigi debet, vt mox à principio, & vſque ad integram ſanitatem eis vtatur præſidiis, quæ vim habeant ſimul emolliendi, & deſiccandi; nam vtrumque ſeorſum exhibitum, læſurum fore, antea diximus. Quem vſum præſtat emplaſtrum, q.r. *bdellij, ammoniaci, galbani, ana partes æquales*, terantur in mortario cum *oleo liliorum*, & adde *mucaginum fænugraci, ſeminis lini, & ficuum*, ad pondus omnium, & terantur, donec in vnum coeant. Reliqua autem auxilia huic vſui proficua, reperies *parte 2. cap. de Emollientibus*.

Quod ſi ſcirrhoſus tumor ex condenſata pituita fiat, vel ex phlegmone indurato, longe alia deſiderat emollientia; nam calida & ſicca huic muneri eſſe proficua, docuerat Galenus, vt quæ calore liquandi, quod frigore concreuit, vires habeant, & ſiccitate ebibendi nimiam humiditatem, quam hi affectus ſibi habent adiunctam, licet coërcitam & conglaciatam, & ob id hæc medicamenta dici ſolent emollientia, quia liquant, & ob id emolliunt, quod congelatum eſt, & poſtmodum reſoluunt, quod liquauerant, & ea ratione dicuntur reſoluentia. Emolliunt tamen diuerſo modo á prædictis, quia illa pinguoſa natura & malactica emolliunt induratum ex calore & ſiccitate, & ex adiuncta ſiccitate ebibitur, quod emollitum eſt; hæc vero, vt quæ calida ſunt á ſecundo ad tertium gradum, & ſicca in primo, modo dicto emolliunt; quæ ſane vbi hos gradus excesſerint, longe maiorem duritiem acceſſunt, niſi iam in fine affectus, vbi maiorem tumoris partem emollitam fuiſſe conſtiterit, quo tempore validioribus reſoluentibus vti poteris citra periculum. 1. Simpl.

Reperies autem emollientium medicamentorum varias eſſe ſortes; nam quædam ſunt debilia, vt quæ ſiunt ex *oleis amygdalarum dulcium*, *ſeſamino*, *de ſemine lini*, *& axungiis, medullis, ac pinguedinibus*. Maioris efficaciæ efficies, ſi addideris gummi nonnihil, vt *bdellij, galbani, & ſimilium, cum oleo liliorum*. Etiam efficaciùs efficies, ſi addas *terebinthinam, abietinam, oleum irinum*: quibus & mineralibus additis, quo reſolutio & attemperamentum ſecuriùs fiat, vtiliùs efficies; maxime ſi addideris *mucagines ſeminis lini, fænugreci, & althaa*. Quibus profecto mirum in modum ad inſciſſionem craſſæ pituitæ efficaciam præſtat aceti modicum, maxime in inueteratis tumoribus, ac ſupra tendones ſitis. Sic partem iunges oleo aliquo tenuium partium, in quo ferbuerit *cucumeris ſylueſtris aut althaa radix, vel anethum viride*. Præſtat & partem ſcirrho affectam ſuffire euaporatione aceti iniecti ſuper lapidem molarem ignitum; & hæc dixiſſe ſufficiat.

Fiunt

De illegitimo ſcirrho. Fiunt ſcirrhi illegitimi mille modis, vt dictum eſt: nam per adm ſtionem alicuius ſucci ex tribus naturalibus, ſuboriuntur, & ſic miſtam admittunt curationem, ex his quæ diximus hac inſtitutione, & ex eis quę in curatione tumoris cuius humor ei adiungitur. Vel efficitur illegitimus ob indurationem à frigidis & repellentibus importunè adhibitis, aut ex reſoluentibus quæ plus iuſto exſiccatam reddunt duritiem: quos ſanè *tumores*, ſic in duritiem verſos, *ſcirrhoſos* Medici vocant, qui vbi integram acquiſierint duritiem, & prorſus ſenſu priuentur, immedicabiles fiunt, ſicut legitimi, ſi ad eandem peruenerint duritiem.

Curatio euſdem. Eam curandi rationẽ huiuſmodi ſcirrhoſæ durities expoſtulát, quæ è directo cauſæ duritiei aduerſa ſit: nã ſi ex impenſa frigiditate indurueriut, quæ modicè calfaciant & exiccent, ſunt adhibẽda, qualia diximus proficua eſſe ſcirrho ex condẽſata pituita. Verùm ſi ex his quæ ſupra modum reſoluunt, durities contracta fuerit, tunc quidẽ minus calida, magis humida, aut in primu gradu ſicca eſſe oportet quæ hanc duritiem emolliant: ob id quidem *medullæ, adipes, axungia cum bdellio & thymiamate* adhibenda ſunt, *oleo liliino admiſta*. Prodeſt *œſypus, althææ radix cum mucaginibus fœnugræci & ſeminis lini.* Verùm in tendonibus & ligamentis ſcirrho obductis, aceti modicum addere erit vtile, aut vaporem eius ex lapide ignitu ſuſcipere, à fotu aut inunctione ex aliquo prædictorum: inſcindere enim quod viſcidum & adhærens eſt oportet, quo facilius abſtergatur, aut digeratur per halitum, niſi admodum reſiccata fuerit durities.

Quæ in illa ſint conſideranda. Cæterùm vt his medicamentis & aliis, quæ *li. 2. cap. de emollientibus* reperies, probè vti ſcias, hæc diligenter conſidera. *Primum*, quantum diſtet corpus ab humiditate temperatainam pueris, fœminis, eunuchis, & his quæ humiditate natura abundant, ſufficiunt qui modicè humectant, quæ etiam paruis tumoribus & nõ plurimum duris prodeſſe poſſunt, ſi qui maiora ſunt neceſſaria, ſi durior fuerit tumor. *Præterea* rataæ partes vehementiora requirunt, & mediocria expoſtulant medicamenta. Quibus conſideratis, quantum tumor, corpus aut particula à dictis conditionibus deuiauerit, tantum recedat medicamentum à mediocritate opus erit. Hæc tamen duo in omnibus adſeruabis: primum, quod foueatur pars ſcirrhoſa aliquo decocto emolliente pariter & reſoluente, cum modico *aceto, ſale & oleo*, aut ex uleo in quo hæc eadem feruerint: & euaporatione ex aceto ſuſcepta, tertio vel quarto quoq; die hæc medicamenta adhibebis, non tamen ſeparatim operantia, nimirum per ſe emollientia, & poſtea reſoluentia: ſed ſimul iuncta, vt quod emollitione liquatum eſt, antequam corrumpatur, diſſolui digeríque faciliùs poſſit. Sed omnia in horum affectuum curatione cautius oportet priùs tentare, & paulatim proſequi, nam facilè exacerbantur, & in cancroſam duritiem degenerant.

De cancro. Cùm dictum ſit, facilè in cancrum hos tumores commigrare, neceſſum eſt ſcire, *quid ſit, qualiter fiat, & à quibus cauſis, & qualis futura ſit prouidentia, ſeu curatio, ſi quam admittit.* Cancrum eum tumorem appellant Medici omnes, qui durus eſt, inæqualis, rotundus, venoſus, liueſcens ſiue fuſcus aut nigricans calidus, non tamen æquè ac inflammationem ſubitò accreſcens, ægros maximè affligens & perpetuò dolore fatigans.

Quæ ſint eius Cauſæ. Suboritur hæc duri tumoris conditio, ſolum ex aſſata melancholia, aut vt rectiùs loquar, ex quauis atræ bilis ſpecie, ſiue ex bile, ſiue ex ſanguine, ſiue ex melancholica vſtione crematis, fiat. Plerumque etenim aduaſcuntur, quibus vel menſes, vel hæmorrhoides, vel varices ſuppreſſæ ſunt. Vtcunque tamen fiant, quatuor cancrorum ſortes inueniuntur: vna *vlcerati*: *non vlcerati* altera: tertia *manifeſta in partibus extimis corporis*: & quarta *occulti*, hoc eſt, *intra corporis cauitatem*, nam ſæpe adnaſcitur vtero, ano, veſicæ, intra nares, & in abditis corporis ſedibus, quos curare vetuit Hippocrates, Galenus etiam appellat *occultos non vlceratos*, hoc eſt, qui intra cutem iam duritiem habent exulceratam: cæterum cutis extima citra noxam & vlcerationem apparet.

Præterea quiuis prædictorum tumorũ vel incipiendo procedit, vel à ſcirrho degenerat, vt contingit fœminis, quibus ex mammarũ ſcirrho fiunt hi tumores, quos Hiſpani *caratanes* vocant, qui medium quoddam ſunt inter cancrum & ſcirrhum, aut via à ſcirrho in cancrum.

Quę cognitio. Noſces autem incipientem (quod difficiliùs eſt) ex duritie & inæqualitate tumoris, quæ tactu facilè deprehenduntur: colorem præ ſe fert liuidum ſiue fuſcum, cum ſenſu punctionis & dolore iuxta tumorem ipſum: venas oſtendit in circuitu tumentes cancrorum brachiis perſimiles, cum extranea caliditate, vt Galen. aduertit. Quo loco ſtatuit *cancros incipientes difficulter cognoſci*, quia licet incipiat cum eiſdem accidentibus, à paruiſſima (vel ciceris) magnitudine initium ſumunt. *Li. 14. meth. & 2. ad Glauc.* Magnum ſolet cancer faceſſere negotium, nam à toto genere morbus eſt grauis & perniciosus, quod mitiora contemnat remedia, & maioribus exacerbetur, & fiat *particularis elephantiaſis*. Probat euentus, *nullam aut difficulter admittere curationem*: nam ſi radicitus euellas, vel vlcus remanet cancroſum & immedicabile, vel malum reuertetur, aut in aliam partem humor decumbet, vbi maius & breuius acceſſit periculum, & ob id dictum eſt ab Hippocr. *citius perire eos qui curantur.* Cum hoc tamen qui ſunt prope cutem, curationem admittunt, quam ego conſulerem antequam vlcerentur: nam poſtea in cancroſum vlcus degenerant, tum etiam ſi radicitus venas circunſtantes non extirpaueris: eos verò qui magni ſunt & inueterati, curabis ne augeantur: curationem autem aliam non aggredieris.

Curatio. Curandi ratio in huiuſmodi tumoribus, neq; vnica eſt, neq; eorum ſtatus vnus. Nam vel incipiens eſt, aut nuper à ſcirrho degenerauit: quo tempore reſiccantibus aut refrigerantibus, quæ minimè mordentia ſint, & mediocres vires habeant, ipſum reſoluere, & tenue quod influit repellere eſt curandum. Quod ſi hæc non profuerint, ſtudẽdum erit inhibere, quo poſſit maiorem molem contrahere, ac ſi contraxerit, exulcerationem prorſus impedire: difficulter enim aut impoſſibiliter curantur vlcerati. Verùm ſi id non conſequaris, ipſum extirpare & radicitus vellere oportebit. Ad quam ais prædictam operationem

opus eſt corporis maximam habere prouidétiam victu reſrigeráte modicè, & humectante, ac reliquo vitæ inſtituto ad penſum præhabito. Corpus inſuper curabis à recrementis melancholicis expurgare. & ſanguine bis terve in anno miſſo, maximè ſi ex ſuppreſſione varicum, menſium aut hęmorrhoidum malum oriatur, quo locus ſuperſit ſequentibus purgationibus ex *confectione Hameh*, diſſoluta in ſero, aut ex *manna cum decocto ſena*: vel ex *caſia, aut pruni damaſcenis decocto ſena, & ſacchara confectis*: vel vltimò alio fortiori medicamento, ſi corpus ſit robuſtum.

His præmiſſis, primum curandi cancrũ ſcopum adimplebis per repellentia & digerentia medicamenta, quę nullatenus mordentia ſint, & mediocres vires habeant: nam cum materia cancri craſſa ac repulſioni & reſolutioni inepta ſit, & cum hoc maligna, ſat erit quod tenue fluxerit, repellere & diſcutere, ne amplius creſcat. Ob id metallicis medicamentis vtendum erit, veluti *plumbo vſto & loto, vnguento diapampholygos, ſucco ſolani* ac ſimilibus, factis linimentis & vnguentis, abluta priùs parte ſero, aut *aqua ſemperuiui*, quibus ſæpius mutatis vtêris, ne in parte incaleſcant.

Cancrorum augmentũ quæ prohibeant. Prohibent cancrorum augmentum frequentes purgationes, & per longiora interualla ſanguinis detractiones, velut diximus: item *emplaſtrum cancrorum fluuialium pars cadmiæ menſura admiſta*, & alia, quæ paſſim apud ſcriptores reperies. Cæterum longè præſtantiùs & vtilius impedit augmẽtum aperta fontanella è directo partis affectæ, per quam facilè expiret quod futurum eſt, non ſolum augmenti, verum & exulcerationis cauſa. Eandẽ inhibet frigidorum & humidorum cibariorum eſus: item *vacca lac*, aut *puls ex farina hordei*: tandem calorem ac feruorem tumoris compeſcere curabis omni diligentia, appoſitis frequẽtiùs, quæ impenſiùs refrigerent, vt *portulacæ ſucco, ſemperuiuĳ, plantaginis* & ſimilium, cum *vnguento pampholygos*, præſertim parte ſæpius abluta aliquo ex prædictis ſuccis.

Quod ſi hæc omnia prodeſſe non comperias, coniectandum erit, an neceſſum ſit ad chirurgicã manũ deuenire, & an laborans ferre poſſit. Quod ſi aggrediaris, cautè & cum maxima præmeditatione facito: nam aut non ſaneſcunt, etiamſi proſpere ſuccedat ſectio, vt Celſus prædixit, aut fluxu ſanguinis periclitantur laborantes, aut in cancroſum vlcus degenerat affectio, vel in maniam, paralyſim vel animi deliquium & grauiſſima mala commigrat humor, qui ad eam partem fluere aſſueuerat. Et ob id paruos cancros ſcindere aggredieris, non occultos, non internos ac infartos, nõ prope membrum princeps, neq; vlceratos: ſolum ergo extirpare conſulo, quos vulgus (*caratanes*) appellat, cui medij ſunt inter ſcirrhum & cancrum: nam in his, præſertim facta fontanella, nõ ſuccreſcunt prædicta mala. Quos aliquando curatos vidi, infixo cauterio vno vel duobus, & immiſſo grano *arſenici*, & cooperto vulnere *butyro vaccino*, quo ferè paucis horis aut diebus decidit glandula vniuerſa, aut tumor, ſi nondum cancri naturam attigerit.

Quòd ſi manuali operatione opus ſit, id diſces efficere, tum apud Chirurgos, tùm *lib. noſtro de ſæm. morbis cap. de mammarum tumoribus*. Interim tamen ſcito, cutem inſcindendam eſſe, manu prius apprehenſo tumore, ac per latera eius cute & carne nouacula ſeparata, tumorem hamo vel acu apprehendes per medium tumorem ipſum, vt faciliùs poſſis ab omni carne vndiq; ſeparare, & radicitus extirpare. Quod ſi ſanguinis fluxus non ſit admodum copioſus, non protinus compeſces: ſin aliter, ſtatim eis vtêris medicamentis, quæ ſanguinem reprimunt, vbi ſufficienter eum qui in radicibus & venis proximis incuneatus erat, extraxeris, aut fluere permiſeris. Quod ſi fluxum non ſperes ob grandem impetum poſſe compeſci, ferro candenti curabis id efficere, alioqui igne opus non eſt, niſi verearis aliquid tumoris relictum fuiſſe, quod extirpare ſtudeas. Poſteà verò vlcus curabis *mica panis imbuta ſucco aliqua ex prædictis*, ſi vſtio præceſſit: tranſactis duobus aut tribus diebus, penicillus intinctus *melle & farina lentium* apponendus eſt, ac deſuper digeſtiuum, donec ſcara procedat. Verùm ſi igne opus non fuit, primò *ouo conquaſſato cum oleo roſaceo, aut albumine oui* in penicillis vtêris, poſteà verò vt reliqua vlcera curabis. Cæterum ne materia quæ ibidem confluere aſſueuerat, perſeueret, & recrudeſcere malum efficiat, aut ad principaliorem partem irruat, neceſſum erit fonticulam aperire, quemadmodum nuper diximus.

DE TVMORE FLATVOSO.

INSTITVTIO VIII.

Tumor flatuoſus. TVMOREM flatuoſum Latini *inflationem* & Græci *emphyſema* nuncuparunt: quem ab œdemate iure optimo ſeiungimus, quamuis à pituita flatus originem trahat, quod iam in aliam naturam verſa ſit pituita, longè diuerſa à ſuis conditionibus & accidentibus.

Quid ſit. Erit igitur tumor flatuoſus, *in quo coadunatur & iungitur flatus craſſus, nec diſpergitur, ſed partem in tumore eleuat & replet cum tenſione*. In qua re ſtatuendum eſt, huiuſmodi tumorem ſuccreſcere ſub cute aut membranis, quæ oſſa circundant, aut muſculos viſcerumque aliquod includunt. Sed inter has collectiones, ea ſola iure optimo tumor flatuoſus dicitur, quæ in vno loco incluſa, nullibi extenditur, ſed in loco quopiam circumſcriptus, propter denſitatem cutis vel membrorum circũſtantium, & ſpiſſitudinem, aut flatus ipſius craſſitiem, alioqui non fiet tumor flatuoſus.

Causæ eius Cauſæ. Cauſas huius tumoris, & flatus ipſum procreantis, non eſt ita difficile noſſe, cæterum non eſt adeo facilè, quo modo & à qua parte in affectã prodeat & includatur. Conſtat vnanimi omnium conſenſu, flatum fieri (vbicunque generetur) ex craſſa pituita, aut frigidis & crudis humoribus, concoctione debili, ocio & quiete, & calore mediocriter diminuto. His ſuppoſitis, includitur flatus in parte tumorem effecturus, vno è tribus modis: Aut quod aliunde genitus in eam partem trãſmitta-

Digitized by Google

mittatur, vt in tympania & ventris torminibus: Vel generatur in eadem parte, vbi tumorem mollitur ex pituita præexiſtente in prædictæ partis venis, à qua eleuatus vapor, ad proximamq; partem tranſmiſſus, tumorem excitat. Tertiò gignitur flatus in eadem parte vbi tumor apparet, ex pituita in eadem cauitate etiam contenta, quæ miſtæ naturæ tumorem gignit, œdematoſum videlicet ſimul & flatuoſum. Itaq; conſiderabis harum cauſarum, quas coniunctas arbitramur, antecedentes (non poſthabitis euidentibus vt percuſſio) ſic victus deprauata conditio in habitu & toto corpore antecedentis materiæ maximum prouentum producit, ſicut de fluxu pituitæ craſſiſſimæ ad aliquam particulam mediocriter calidam: cauſſa eſt antecedens eius tumoris, qui miſtæ eſt naturæ, & in eadem parte habet materiam, ex qua & flatum.

Signa. Noſces autem affectum & cauſam, quia tumor apparet cum lucido quodam ſplendore, ſonitū, vt vter, vel tympanum, dum percutitur, reddēs: flatus ſępe ſentitur per totum corpus, aut iuxta partē trementem cum palpitatione, qui ad varias partes diſcurrit cum dolore extenſo, & per interualla exacerbatus, renititur tangenti tumor cum tenſione. Et licet in tumoribus genu, & grandioribus (quod deſuper ſit carnis grandior moles) aliquando appareat poris tactus, cōijcere oportet, falſam eſſe prædictam repręſentationem, & nulla vis eſſe inſciſſione vtendum, ſed ſignis omnibus ſimul iunctis conſideratis, ad peculiaria auxilia deueniendum.

Curandi ratio. Erit igitur in his tumoribus curandi triplex ſcopus: vnus cum materia flatus in vniuerſo corpore exiſtente, flatus eleuati, in vna parte concluſi, tumorem efficiunt: quo tempore per victum flatus expertem, calidum modicè & exſiccantem prouidebis, conſiderans diligenter, ſit ne vitium crudi tatum redundantium aut pituitæ, ex vbertate aut vitio alimentorum, vel ex naturæ aut caloris defectu, vt poſſis cuiq; pro ratione indigentiæ prouidere, cibi copiam imminuens, qualitatem mutans in commodiorem: caloris copiam & ſubſtātiam adaugens in ventriculo, inunctionibus calidis: in jecore & in vniuerſo corpore excitato calore frictionibus aut balneis ſulphureis poſt purgationem. Quam ſane aggredieris, ſi quæ diximus non proſint, medicamentis per aluum pituitam & crudos ſuccos purgantibus, qualia diximus *in inſtitutione de œdemate*. Laudo paulatim & ſenſim corpus purgare, ſudare, balneare, aut ſuffire: ac ſi ventriculus mali cauſa fuerit vomitibus vti, & his etiam quæ intus & extra ventrem roborent, donec conſtet pituitæ prouentum longe eſſe minorem: quo tempore aggredienda eſt partis tumentis curatio. Verùm ſi malum oriatur eo quod in parte tumente pituitæ craſſæ copia ſit, quæ flatus progignat, tunc mixta curatione opus aggredieris: partim ea, quam œdemati conſcripſimus: partim vero ea quæ ſoli tumori flatuoſo debeatur, vt mox referam.

Quod ſi tumor ex flatu contractus, à pituita exiſtente in venoſo genere prope partem affectā ſuboriatur, tunc depoſita venarum pituita per expurgantia medicamenta, conſumptisque recrementis, per fomenta, balnea ſolphurea & ſudationes, tumori prouidendum eſt: ſi ex ictu aut caſu prodierit, per ea, quæ præter id quod dolorem inhibeant, modicè repellant, ne dolor maior fiat, & ob id humorum confluxus: verùm cum hoc ſimul rarefacientia & reſoluentia pharmaca ſunt adhibenda. At ſi ex antecedente cauſſa coniuncta ſuboriatur, mens tibi ſit, cutem rarefacere, flatum attenuare, & ipſum per inſenſilem halitum digerere: sc ſi dolor ob tenſionem adfuerit, ſimul adijcies ex anodynis aliquid, quemadmodum Gal. conſuluit. Cæterùm ſi dolor fuerit cum inflammatione, ex anodynis temperatis nonnihil etiam addes, & ſic ſenſim, quo magis quieuerint inflammatio & dolor, remittere magis oportet anodyna & temperata, ac erit opus addere quæ merè reſoluentia ſint: quæ primo ſubtiliter triturare oportet, quo facilius ad intima peruenerint, & ſic efficacius calfaciunt, medium quidem ad reſolutionem neceſſarium, maximè ſi accedat actualis caliditas. Quæ ſanè tantò calidiora, ſubtilis ſubſtantiæ & attenuata eſſe oportet, quantò flatuoſus humor profundiùs ſitus fuerit: cui muneri oportet præcedant partis fomentationes per ſpongiam ex lixiuio, ex vino, ex decoctis calidarum herbarum cum modico vino & ſale: poſtmodum verò partem inunges *oleo anethino*, *camemelino*, *laurino*, *coſtino*, *rutaceo* & reliquis calidioribus. Item in eiſdem oleis incoquere poteris ſemina *cumini*, *apij*, *aniſi*, *fœniculi*, *rutæ*, *dauci*, *lauri*, *& caryophyllorum*. Prodeſt etiam ſupra partem apponere ſacellos ex eiſdem ſeminibus minutiſſime tritis, & ex eorum herbis. Item adhibebis cataplaſma ex *ſapa*, *pane*, *furfure & prædictis pulueribus*, *addito modico vino*, *aut lixiuio & guttulis aceti cum ſtercore caprarum aut columbarum*. Sæpe enim adeo maligna & contumax eſt flatuoſa ſubſtantia, vt cogat Chirurgum ad apertionem partis tumentis peruenire, tum igne, tum ſcalpello. Quibus factis emplaſtra adhibebis, vt de *baccis lauri*, & vnguenta ex prædictis rebus, addito *ſemine ſinapis*, & ſimilibus.

2. ad Glauc. 14 Meth.

DE TVMORIBVS EX CARNEA ſubſtantia.

INSTITVTIO IX.

Tumores ex carne. SVNT præterea alii tumores, qui potius ex carne quam ex humore vel re aliqua extranea partibus adnaſcuntur: aut totum corpus in maiorem molem ſuccreſcit, ſiue ex pinguedine, ſiue ex carne fiat, aut ſi in membro aliqua pars excreſcat, aut caro adnaſcatur, vt polypus, fungus, caruncula, & quæuis alia carnea exuberantia. Creſcit tamen in particulis vlceratis aliquando caro præter naturam: quæ ſi extra promineat, morbum in figura progignit: ſi verò in capite emineat, morbum etiam in via, & nonnunquam in numero aucto efficit, vt polypus in naribus, & caruncula in meatu vrinario, aut carnis fungoſæ exuberantia in vlceri-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

viſceribus,quæ quid additum pꝛeter naturam efficit: nam ſi membrũ aliquod plus juſto excreſcat, ad magnitudinem præter naturam adauctam referri debet.

Cauſæ carne excreſcentiæ.

Huius excreſcentiæ cauſa eſt,vbertas alimenti, cæterùm adeò vitioſi quod in ſimilem ſubſtantiam omnino vertere nequeat natura, quòd non valuit excrementitiam partem ab eo ſeparare: & ſic caro quæ fit, vt præter naturam & morbum efficiens indicatur: vel fit propter naturæ impotentiam,quæ nequit reſoluere & ſeparare ab alimentoſa parte quod inutile eſt,& vitioſum: & ſic caro quidem fit, cæterum vitioſa & præter naturam,adeo inutilis & aliena à præexiſtentis carnis conditione, vt nullatenus ſortiatur veram vnionem, & cohærentiam. Sic profectò fiunt fungi, ob ſpumoſum & quodammodo viſcidum ſuccum: caruncula,ob terreſtre alimentum & craſſum: fiunt polypi ex maligno humore, craſſo tamen vt Hippoc. ſtatuit, & confirmauit etiam Galen. qui copia plus carnis efficiunt, vitio tamen exulceratam & ſine cute, & ob leuem quandam ſimilitudinem cum præexiſtente carne caro efficitur,coadiuuante praua partis temperie & vlceroſo calore.

Li.de aff. ʒ. per loca.c.ʒ.

Eius Curatio.

Quos ſanè tumores,vt nemo eſt qui facilè non noſcat,ita difficile eſt ipſos curare, quia plerunq; in cancrum commigrãt, & cancroſa accerſunt vlcera. Quo fit, vt eos prudenter tractare ac præcauere & curare oporteat,ne in prædicta mala cõmigrent. Verùm cum quadruplex ſit eorum cauſa,tot quoque erunt curandi viæ ac rationes: vna quæ humoris copiam demat: ſecunda quæ vitium corrigat: tertia quæ quod carnis genitum eſt,conterat: quarta verò quæ temperiem partis, & eius vires ad antiquam ſanitatem redigat, quominus deinceps iterum creſcat. Copiam vitioſi alimenti demes victus parſimonia, exercitio, frictionibus, & ſanguine prius miſſo, ac ea hibitis medicamentis purgantibus quæ ideam humoris reſpiciant: ſunt enim plerumque pituitoſi craſſi,& nõnunquam acres & ſalſi aut nitroſi, adhærentes & reſolutioni ineptiſſimi,& ob id ſudationibus,balneis, & his quæ humorem corrigant, & per inſenſilem halitum digerant, vtendum erit. Item ſi membrum aliquod materiam præſtiterit, fontanellam iuxta ipſum aperies,inſuper caput exſiccare curabis. Humores tamen peccãtes ſemper corrigere ſtudebis,& expulſioni pręparabis,& alitioni,quantum poſſibile fuerit aptos reddes,ſerapijs & potibus,quæ attenuent, liquent, fundant, calfaciant, & concoquant. Item præſtitis alimentis boni ſucci & tenuis ſubſtantiæ: tandem factis per epicraſim purgationibus.

Li.1.de morb.

Quibus præmiſſis, ad carnis ſupercreſcẽtis extirpationem deuenies,ſumpta pro exemplo polypi creſcentis carne. Cuius rei gratia,in memoriam reuocare oportet Hippocratis doctrinam,vbi varias polypi annumerat ſpecies, quibus ferè comprehendit omnes carneas excreſcentias. Inquit etiam: *Si polypus fiat in naſo,ex medio cartilaginum depẽdet veluti gurgulio,& vbi ſpirationem facit, progreditur foras,& eſt mollis,vbi vero inſpirationem,retrocedit,& loquitur obſcurè.* Altera ſpecies eſt quando naſus carne impletur dura,quæ omnino reſpirationem per naſum impedit: item altera quando ex naſi cartilagine ſupereminet caro quędam rotunda,mollis tamen, ſimilis fœminarum mammillis, vt ſtatuit Celſus. Præterea iuxta cartilagines adnaſcitur caro duritie lapidea inſignita: deniq; variis ſuccreſcit figuris,& modo ſubſtãtiæ: nam quidam adeò creſcunt, quod extra nares promineant: alij ſecus: nonnulli ab intimis naſi foraminibus appendent: alij prope pinulas aut cartilagines adnaſcuntur: ſicut alij radices habent exiles, plures craſſas: quidam rectà procedunt,alij varicoſi ſunt: & nõnulli cancri fluuiatilis figuram æmulantur.

Lib. 1. de morb. ʒ. per reng c.ʒ

His ſuppoſitis,carnem adnaſcentem ſic tractare oportet: ſi enim nup exorta fuerit, & adhuc increſcere incipiat, repellentibus vteris pharmacis, vt conſuluerunt Hipp. & Gal. quibus admiſcere oportet quæ vim etiam ſortiantur diſcutientem cum adſtrictione & ſiccitate: cuius naturæ eſt ſuccus granatorum acrium & dulcium cum corticibus expreſſus, *melli* & *origano* admiſtus, ſumptusq; per nares, aut penicillo linamento madefacto intra nares poſito. Prodeſt eadem forma *radix acori* cum prædicto ſucco & *pulueribus myrrhæ*. Verùm ſi augmentum non ceſſauerit, conſiderabis, ſit ne polypus aut quæuis alia carnis excreſcentia, alba, mollis, cui mitiora medicamenta ad eroſionem ſufficiunt: nam hæc eſt indicatio,quæ aliis inutiliter tentatis exequenda venit, ſicut ſi ſiccus,aut ruber vel malignus fuerit: nam cautiùs eis agendum erit: quippe à vehementioribus exacerbatur, & mitiora nihil proſunt. Sic conficere poteris id q.r. *aluminis,myrrhæ,ſandaracæ,ana* ℈ ij. *gallarum*, *vitrioli cremati,ana* ℈ ſ. fiat puluis,qui vtcunq; poſitus vim habet exedendi leniter carnem illã ſupercreſcentem. Alia loco citato innumera conſcripſit Galen. efficaciora,quibus ſi vtaris,laborantis os aqua frigida plenum per interualla tenere conſulunt Aëtius. Quo facto vt decidant ſcaræ, ſternutamentum mouere oportebit hydromellite, aut alio leni auxilio: ſic enim reiteratum medicamentum hoc plurimum prodeſt. Quod ſi hæc ſufficere nõ videantur, prætermiſſis curationibus Hippocr. ad manualem operationem peruenire oportet, vel ferramentis ignitis, eo ingenio quod conſulit *loco citato* Hipp. nimirum immiſſo cauterio per fiſtulam argenteam intra nares poſitam, quo citra narium læſionem, ignis attingat carnẽ ſupercreſcentem: quam ſi manibus habere poſſis, ſicut in extimis partibus, foret vtiliſſimum nouacula ſcindere, & igne partem vrere: poſtea vt vlcus vſtum curare; vt ſuo loco reperies. Paulus tamen vulgatem ſciſſionem & curationis viam oſtendit, qua ferè omnes Chirurgi vtuntur, dum ſciſſione eſt opus.

Lib. ʒ. de morb.

DE

DE TVMORIBVS REDVCTIVIS ſeu extrauagantibus.

INSTITVTIO X.

SVNT inſuper aliæ tumorum ſortes, quæ licet reduci ad aliqood ea prædictis generibus facile poſſint, cum hoc tamen quia contenta intra hos tumores ſubſtantia omnino aliam formam adepta eſt, & protſus degenerauit ab humore ea quo fit, atq; etiam clarioris doctrinæ gratia, taoquam ſuperuacuos & extrauagantes, ſeorſum eorum meminiſſe decreoi. Huius profectò naturæ ſunt *atheromata, meliceride, & ſteatomata, verruca ſeu porra, myrmecia, acrochordones, claui, thymion, cornua, calli, dracuncali, puſtula, lepra, lichen, ſcabies, alphi, vitiligo, ionthi, epinyctides, ſudamina, pſydraces, morbilli, varioſa, exanthomata, ecthymata, papala, terminthi, dactra, & mentagra*: item ſunt aliæ cutis tomoroſæ defœdationes ea morbo Gallico ortæ.

Sunt itaq; *atheromata, meliceride & ſteatomata*, de genere pituitoſorum tumorum: cum hoc tamen, quia ante eorum generationem pituita à propria forma deſtitota eſt, ſeparare fuit æquom, ſiquidē *atheroma* tumor eſt concolor & indolens, in membrana ſeu neruoſa tunica humorem lentum continens pulti perſimilem: & *meliceris* etiam tumor eſt ſimili modo dolore carens, ſed rotuodus, in quo neruoſa etiam tunica incluſus humor reperitur, tennis & mellis ſubſtantiam repræſentans: *ſteatoma* verò tumor etiam eſt concolor & tactu lenis, ſed temporis progreſſu augeſcens, in quo homor ſæpe perſimilis, membrannla ſimiliter inoloſus reperitur. Præter quas ſubſtantias etiam in eis viſi ſunt veluti pili, oſſicula, carbones, teſtarum fragmenta, & plures aliæ ſubſtantiæ.

Curatio. Horum tumorum curationem, præmiſſa cauſæ aotecedentis prouidentia, per pituitoſi, crudi & pinguoſi humoris præparationem, & porgationem, vt de œdemare dictum eſt, fiet: cæterùm ad cauſæ conionctæ ablationem accedendo, eam extirpabis, per ea quæ reſoluendi vires habeant, quale eſt emplaſtrum qood recipit *radicis cyclamini quod ſatis, axungia veteris, ſulphuris viui, ana partes æquales*, contundantur & fiat emplaſtrum: idem facies eo quod recipit *paſſularum ſine acinis num. x x, ſquamæ æris* ʒ ſ. miſce. Item *paſſularam ſine granis* ℔. ſ. *cumini triti*. ʒ iij. *nitri*. ʒ j ſ. coniungantur & miſce. Aliud efficacius recipit *ſalis ammoniaci, ſpuma argenti, ceruſa ana* ℔. ſ. *cera, terebinthina, galbani, opopanacis, ana* ʒ j. *rubrica ſinopica*. ʒ vj. *aceti*. ʒ iij. ſ. miſce. Quod ſi diſcutere aut reſoluere nequiueris, ad erodentia medicamenta te cōferes, quale eſt qnod fit ex *calce, ſapone & lixiuio* & illud qnod recipit *calcis viua*. ʒ ſ. *facis vini combuſta, nitri toſti, ana* ʒ ij. *minij*. ʒ j. cum liaiuio fiat emplaſtrum. Vt etiam poteris eo quod recipit *ſpuma aris*. ʒ ſ. *arſenici rubri*. ʒ. ij. *ellebori nigri*. ʒ j. ſ. cum roſaceo fiat emplaſtrum: quo facto ſcaram profundam inducito, abſceſſum per medium ſecato, recta linea ſectionem ad carnem vioam producito, in ſectionis locum *arſenicum ſublimatum*, aut aliod ex iam dictis cauſticis immittito, donec excdatur totum illud quod præter naturam eſt, & ciſtim ex toto extraaiſſe compereris: aut ſcalpello vndique ſeparabis, & poſtea ſanguis qui fluit ſpongia oaycrato imbuta ſiſtendus, vel oui albumine cum polueribus adſtringentibos, admiſtis anodynis. Ad quorum penſum reliqoi *tumores glanduloſi & ſtrumoſi* ſunt curandi: quippe ex his nullus ad ſuppurationem perueniet.

Verrucarum varia ſunt nomina, diuerſæ etiam ſortes: *Porra* nonnulli appellarunt: quarum quædam *myrmecia* nomine inſigniontur: aliæ *acrochordones* nominatæ, diſſidentes vaſi latiori *myrmecia* ab acrochordonibus quæ exili vaſi appendent: ex harum ſorte ſunt *claui, thymion*, in obſcænis plerumque adnaſcentes: item in hoc genere reperiuntur *cornua* & *calli*. Quæ omnes præmiſſa corporis prouidentia, per emollientia & excidentia pharmaca aut abſciſſione auferuntur.

Puſtularum & impetiginum & cutis defœdatiooum curationem, inſtitutionibus de vlceribus latius reperies, nam ad inſtitutionis cooditiooem hæc dixiſſe ſit ſatis.

TRACTATVS SECVNDVS, *DE VVLNERIBVS IN GENERE.*

INSTITVTIO I.

Vnitas enti perfectio. CVM vnitas tanquam entis perfectio habeatur, merito ſanitas, quæ noſtri corporis perfectio quædam eſt, vnitatem poſtulat, ſine qua nequit obire munia vſitata: qua integritate diuiſa, morbus qui oritur ſolutio vnitatis in genere dicta, *vlcus* aut *vulnus* ſpecialiori nomine nuncupatur, pertinens ad partes ſimplices atq; compoſitas, vt ea Gal. conſtare videtur: vtraq; enim pars naturalem amittit vnitatem: nam quod vere ens eſt, continuo vnum eſt: quod vere vnum idem & vere ens, ſimplex quidē magis propriè: nam quæ- uis multitudo (vt qua conſtat compoſita pars aliqua vnitate debet contineri, compoſita verò minus, vt quæ ſolum per nexum quendam vnita tātum ac ex ſimplicibus coagmētata ſit: & cum hoc adeo arcto nexu vna eſt, vt in partes ſibi ſimiles minime diuidi queat: quippe multitudo per ſe affinis eſt non enti tanquam imperfectio, vnitas verò enti tanquam perfectio. (Li. art. me. c. 8 & de conſ. art. me. c. 6.) At verò vtcuoque quæuis earum diuidatur, morbo in ſoluta vnitate afficiuntur, quē Hipp. appellārabſceſſum, licet Gal. hoc verbū *ſolutionē continuitatis* cū ſuā expoſuerit. (Li. 4. de off. text. 27.) Quo fit, vt etſi ſoluta vnitas in vlcꝰ & vulnꝰ diuidatur, cum hoc tamen aliud *vlcus* & aliud *vulnus* ſignificare videntur: nam *ea vnitatis diuiſio qua in carnoſa fit parte, & ex vulnerando relicta eſt, & ab vno quopiam telorum facta, vulnus proprie dici meretur*, vt expreſſis verbis diffinierat Galenus. (Vulnus quid.)

Quum-

Quamobrem Guido & reliqui Chirurgi vulnus Lib. 3. meth. Li. de conſt. art me. diffinierunt, *ſolutionem continuitatis in mollioribus partibus extrinſecus incidentem, quæ recens ſit, cruenta, ſine vllo pure*, quod Latini plagam nuncuparunt, Vlcus quid. vlcus verò *quod ab eroſione ſit carnis ab interna cauſſa, aut ex valacre macerato*: nam oſſis eroſio, non ſolutio continui, ſed caries propriè dicenda eſt. Sed ad vulnaris diuiſiones accedamus.

Vulneris diuiſiones & differentiæ. Vulnus igitur prima ſui diuiſione diſſecatur in tot ſpecies, quot ſunt quæ ipſum à ſe ipſo differre efficere poſſunt. Sic prima deſumitur *à natura partium quibus inſidet*: ſecunda *ab ipſa vnitatis ſolutæ eſſentia & complexu cum aliis morbis aut accidentibus*: tertia *à propriis differentiis ſolutæ vnitatis: nempe à quantitate, ſpatio, figura, ſitu*.

I. Quæ verò à partium natura fiunt, pro ipſarum diuerſitate diuerſa quoque nomina ſortiuntur: nam quædam partes ſunt *ſimilares*: & aliæ *inſtrumentales organica & compoſita*, & ſic pro ipſarum diuerſitate diuerſa quoque nomina ſortiuntur. Præterea, pars ſimilaris diuiditur in *mollem, duram atque mediam inter duras & molles*: partes autem molles ſunt *caro & adeps*: duræ, *oſſa & articuli*: mediocres, *neruus, tendo, ligamentum, vena & arteria*. In partibus autem inſtrumentariis *vulnera* quoque accidunt, impropriè tamen, quia earum vnio ſolum per adhærentiam & coagmentationem partium ſimplicium conſtat, & membro ſuccreſcit commoda figura, & ob id ſolutio illis competit ſimplicium ratione, niſi partes ſeiungere. Sunt autem ex organicis, quædam *principes* partes, quædam *his ſubſeruientes*, aliæ vero *viles & obiecta*. In quibus ad præſagium & curationem multa notatu digna ſuis locis leges.

II. Quæ verò à ſolutæ vnitatis eſſentia vulnerum differentiæ ſumuntur, duæ ſunt, ab ipſorum *ſimplicitate* vel *cum alia complexa* petendæ. *Simplex* ea appellatur, in qua vulnus, nec morbum alium, neque ſymptoma aliquod ſecum habet admiſtum, neque cum propriæ carnis deperditione, aut contuſione eſt. *A ſymptomatis* etiam *complexu* oritur vulnus cruciens, doloroſum, pruriens, vel cum delirio, reſolutione, ſpaſmo, animi deliquio, ſanguinis profuſione, ſed ſimplex quædam ſolutio vnitatis exiſtit. *Compoſitum* verò *vulnus* id cenſeri debet, cui adiungitur vel intemperies vel dolor, vel inflammatio, vel quoduis aliud quod alienum ſit à vulneris ſimplicis natura & conditione.

III. Tertia diuiſionis vulnerum ratio deſumitur à propriis differentiis ipſius ſolutionis vnitatis, ex vulnere & vulnerante excitatæ. Inter quas primum locum ſortiuntur, quæ à *quantitate vulneris* deſumuntur. Sic vulnerum quoddam eſt *magnum* quoddam *paruum*, aut *longum*, *breue*, *anguſtum*, *latum*, *profundum*, vel *in ſuperficie*, aut *æquale* vel *inæquale*. Sic *à figura* appellatur *rectum*, *obliquum*, *cauum*, *retortam*, *rotundum*. Ex *cauſa* verò *quæ extrinſecus accedit*, non paucæ emergunt vulnerum differentiæ: nam ſi *caſim* feriat, dicitur plaga vel vulnus: ſi *punctim* ab acuto telo, punctio: ſi *colliſum* à re graui, in carne quidem *contuſio*, ſicut in oſſe, ſed in eo proprius *fractura*, at in membrana, neruo atque vena *ruptio* nuncupatur. Quarum ſanè cauſarum inſcindentium, quæcunque longiore ſunt acie pungunt, quæ mucrone ſunt prætenui, vt ſagitta: item animalium morſus. Contundunt, caſus, violentia, motus vehemens, vociferatio. Multifariam agunt venabola, retuſa tela, & quæcunque vulnerando contundunt. Ex quo fit, tres eſſe primas ſolutæ vnitatis differentias: *vulnus* quod partis eſt mollioris aut mediæ, vt cutis, carnis, pinguedinis, venæ, arteriæ, nerui, aut membranæ: *punctio*, quæ vniuſcuiuſque partis perforatio exiſtit: *contuſio* ſeu *colliſio* mollioris partis frequens interior diuiſio, externa facie integra. Durioris verò partis, vt oſſis, quod irruenti corpore duro, dum non intro cedit, nec in ſe compellitur, ſolutio *fractura* eſt: cæterum ſi propter mediam oſſis ſpongioſitatem, intro cedat, parte extima ſimulante integritatem, pari ratione *contuſio* in oſſe reperitur. Ex quarum partium læſione variæ reperiuntur nominum differentiæ: nam in carne *plaga ſeu vlcus* ſoluta vnitas nuncupatur: *fractura* in oſſibus: *conuulſio ſeu diſtenſio* in neruis: *auulſio* in ligamentis: *ruptio* in muſculis: *contuſio* ſeu *colliſio* à re graui in vaſis propriè incidens. Eſt & *ecchymoſis*, cùm ab ictu ſanguis ſubter cutem effunditur, liuorem in parte inferens, quæ vt plurimum cum contuſione ruptioneque incidit. Præterea cauſæ quæ vulnus inflixit, *materia & figura*, *magnitudo & vires* extimandæ ſunt: quippe *materia* aut lignea eſt, lapidea, arundinea, ferrea, ærea, plumbea, cornea, aut vitrea. *Figura* item, quæ aut acuta eſt, aut obtuſa, recta, curua, anguloſa, ſulcata, aut ſpeculis allata. *Magnitudo teli* conſideranda etiam eſt, & vis etiam irruentis: item *teli ipſius vires* intueri licet, nam aut ſimplex eſt, aut venenata qualitate intenſum exiſtit; ſimplici vt cauterium & ſepticum medicamentum; venenata, vt tela toxico immerſa, aut rabidi canis, ſerpentia morſu: quæ ſanè non amplius ſimplicia ſolitaria ſunt vulnera.

Signa vulnerum. Signa verò vulnerum, ſenſuum iudicio conſpicua ſunt, præſertim cum præceſſerit notitia cauſæ vulnerantis: ictus nimirum ab enſe, gladio, lapide, aut alio teli genere: ſignis autem diſtinguere, quæ pars intra partem extrinſecus ſolutam diuiſa ſit, maioris eſt momenti. Inſciſſa autem *vena*, ſanguis abunde profunditur, eoque abundantior, quo maior ea fuerit. Profluit autem continenter & æqualiter nullo ſubſultu, ſanguis craſſiuſculus atque rubicundus: ab *arteria* verò tenuis, flauus, feruidúſque emanat, neque is æquabiliter, ſed pulſu quodam & ſaltu. *Neruo* autem ſeu punctim ſeu *caſim* vulnerato, motus ac interdum ſenſus perit, aut certe offenditur, torporque accidit partibus vulneri ſubiectis, dolor ingens excruciat, inflammatio parti ſuccreſcit, nonnunquam in gangrænam deſinens: febris, & ſæpe delirium excitantur, conuulſio quoque inſequitur, idque frequentius puncto, & quadantenus ſecto potius quam præciſſo neruo. Vulneratis quidem *tendonibus* aut *membranis*, quæ tum caluariam, tum reliqua oſſa conueniunt, eadem ſigna ſed obſcura obtinuit, multoque magis cæſis articulorum vinculis. *Os* vulneratum eſſe, ſi nodatum eſt, crede, aut ſaltem contuſum. Inſuper, quam intus partem, vnumquodque vulnus penetrans attingat, ſic noſces, ſi ex capitis vulnere *meninges* vulnus occupauerint: atrociſſimus dolor ineſt, qui & manſit, adductiſq; maxillis & ſpiritus contentione

tione exacuitur. Protinus vomitio conſequitur: ſanguis intro effuſus nonnunquam vel è naribus, vel ex auribus, vel ex oculis promanat: ſenſus interdum obtunduntur, neruique diſtenduntur, nec multò poſt febris, atque mox delirium, exoriuntur, præſertim ſi inflammatio eas partes occupauerit. Si *cerebri* quoque ſubſtantia offenditur, vt facilè fit, cùm amplificatum (vt in plenilunio) omnem capitis cauitatem implet, mens vacillat, & omnia ſymptomata exacerbãtur, ac ſæpe cerebri portio excidit. At ſi altiùs in cerebri ventriculos vulnus ſit inflictum, aut ſi caui ſint oculi, repentina mors ſequitur. Cum *pectoris* vulnus in canum ſubit, expiratione flatus erumpit, atq; vel aloës, vel myrrhæ, vel ariſtolochiæ puluere in vulnus effuſo, mox amaror impartitur ori. Vulneratis pulmonibus præter hæc, ſputio ſpumans, cruentaque fertur, ſpiritus difficile atque cum ſonitu illiditur, & marcor ac febris (ni repente homo moriatur) ipſum corripit. Conſanciato corde aut pericardio, protinus extrema frigeſcunt, & mors in propinquo eſt, præeuntibus frigidis ſudoribus, effuſo ſpiritali calore. Transfixum *diaphragma* præcordia conuellit, ſummam infert difficultatem ſpirandi, delirium quoque, nonnunquam tuſſim & ſputitionem cruentam. Vulnerata gula, nullus cibi potusve tranſitus eſt: nam quidquid aſſumptum fuerit, protinus euomitur, ſingultus, animi defectus, & plerumque conuulſio diſtorquet. Ex *ventriculi* vulnere, quod in capacitatem ſubit, cibus & potus erumpunt, vomitio quoque frequens eſt, & ſingultus. Diſſectis inteſtinis fæces minimè deſcendunt, ſed in abdominis ſpatium dilabuntur, graui exorta putredine, atque plaga vel fæces ipſas, vel earum odorem fundit. Iecoris aut lienis vulnus, cum per ſumma eſt, præcordia ad ſpinam reducit, cruentas, tum deiectiones, tum vomitiones mouet, lateris punctiones, doloresque ad iugulum quod è directo eſt, animi defectiones atque febrem, & alui profluuia, quibus tandem corpus quaſi atrophia liqueſcit & abſumitur: & quod altiùs vulnus infligitur, animi defectione frequenti, ſudoreque frigido mortem accelerat. Rene etiam læſo, mictio fit cruenta, eaq́ue parcior, dolor ad inguina atque teſtes deuoluitur, vrina ſub abdomine collecta hydropis quandam ſpeciem exhibet. Eadem propemodum & percuſſa veſica exhibet, atque inſuper vomitionem, ſingultum, deliria, vrinæ profuſionem ex vulnere proijcit. Diſcuſſa ſpinæ medulla, infimæ partes reſoluuntur, earumque motus ac ſenſus, omniſq; functio interdicitur, vt etiam modo ſtercus, modo vrina, modo ſemen præter voluntatem exeat. Raro inſuper ſimplex vulnus exiſtit, ſed ferè partes plures occupat atq; comprehendit, ex quibus & multa & varia ſigna exiſtunt.

Vulnerum iudicia.

Adeo iudiciorum in vulneribus cognitio Chirurgo apprime neceſſaria eſt, vt ipſis ignoratis, neque prædicere, neque efficere quidquam certum, tutum ac vtile poſſit: & ob id ſciendum eſt, quæ vulnera lethalia ſint, ac inſanabilia, & quæ difficilem curationem habeant, aut quæ promptiorem. Eſt enim, vt monet Celſus, prudentis hominis primùm, eum qui ſeruari non poteſt, non attingere. Elicies quidem ex tribus vulnerum omnium iudicium: ex partis nimirum affe-

Lib. 5.

ctæ ſubſtantia, vſu atque actione: ex propria ipſius diſpoſitionis eſſentia, & accidentibus, quæ vulnerato ſuperueniunt. Iudicat enim Gal. magna & grauia vulnera non mediocre habere periculum: nam ſiue in parte principe ſint, ſiue ſua natura magna ſint, ſiue mali moris, ſemper verenda ſunt. Sic vulnera *capitis, thoracis, & ſimilium*, lethalia iudicat Galen. item, quæ adeo magna ſunt, quod *ſutura aut ligatura indigeant*, cuiuſmodi ſunt, quæ principales muſculos per tranſuerſum ex toto diuidunt, magnaſq́ue venas, neruos, & arterias habent ſolutas. Vulnera etiam cacoethe eſſe, *quæ in articulis fiunt*, arbitrandum erit: vbi enim tendones & nerui ac ligamenta carne vacua, atque oſſea loca ſunt, hic doloris, vigiliarum, conuulſionis & delirij periculum inſtat. Quorum etiam vulnerum meminerat Hipp. & Gal. ſtatuentes ea eſſe, *quæ fiunt in capitibus aut finibus muſculorum, & maxime neruoſorum*, ſiquidem capitibus eorum nerui adiunguntur, & finibus tendones.

4. Meth.

Vulnera lethalia.

Li. 5. aph 66.

Lethalia & inſanabilia ſunt vulnera *cordis* ſubſtantiam attingentia, ſicut & *tumores præter naturam*: item magna & profunda vulnera ſubſtantiæ *cerebri, iecoris, diaphragmatis, œſophagi, ventriculi, aſperæ arteriæ, pulmonis, lienis, ciſtis fellis, renum quoq; & tenuium inteſtinorum*, ſicut quæ *ſpinæ medullam* lædunt, & *venas & arterias magnas iuxta fauces* ſcindunt.

Vulnera inſanabilia.

Ea autem vulnera, non ex neceſſitate, ſed vt plurimũ lethalia dicuntur, quæ ad *prædictarum partium regionem* perueniunt, vel eas leuiter duntaxat attingunt: quæ ſi recte tractentur, conualeſcere poſſunt, & ob id non ex neceſſitate lethalia debent iudicari.

At vulnera ea omnium tutiſſima ſunt, quæ *in partibus carnoſis* exiſtunt, vbi venæ paruæ & arteriæ & pauci nerui reperiuntur, & ea quæ in corporibus boni ſucci & habitus infliguntur.

Vulnera tutiſſima.

Medio autem modo ſe habent vulnera, quæ *in capite muſculorum carnoſorum longe à iuncturis & temporibus, thorace & ventre* incidunt. In quibus ſi peccatum ſit, vereri oportet ne lethalia fiant, & ob id cautè eſt procedendum. His omnibus fidem maiorem ad ſalutem aut ad mortem prædicendam præſtant accidentia quæ ſuperueniunt, aut ſecus: nam febris, ſyncope, perturbatio mentis, conuulſio, grauis dolor & coploſus ſanguinis fluxus verenda omnino ſunt: ſi verò citra hæc curatio fiat, ſecuritatem ac certam ſalutem promittit. Cum autem periculoſa vulnera eſſe dicimus, periculi nomine, vel *mortem*, vel *partis ſphacelum* dicunt, aut *affectæ partis impotentiam perpetuam & ſenſus aut motus abolitionem* intelligimus. In ſumma, *quæcunque vulnera magno impetu & magna vi illata magnam attulere noxam & grauia accidentia, vel interiora viſcera læſerunt, ea omnia habenda ſunt inter lethalia aut difficilia.* Quod ſi hæc omnia adinuicem cum viribus laborantis conferre volueris, poteris quidem & coràm populo ac magiſtratibus certum proferre iudicium de ſalute aut morte laborantis. Quæ ſanè omnia ſumma animaduerſione expectare atque dignoſcere peritus Medicus debet, vt ſi quando illi coram magiſtratu de illatis vulneribus pro teſtimonio dicendum ſit, rem totam ad veri normam exprimere queat: quæ vna cautio illi ſummopete tenenda eſt, vt nunquam à verò diſcedat,

Periculoſa vulnera quando dicuntur, quid periculi nomine intelligendum.

Cautio Medici peritu.

præſertim vbi de capite agitor, nec liuore, inoidia, odio aut alia vna perturbatione affectus, aut metu minis ve cuiuſpiam impulſus, à D a i timore, à veritatis amuſſi declinet, ſed vulneris naturam, magnitudinem, ſedem affectam, & quæ in eo lethalia ant ſecus ſymptomata apparuete, accurate deſcribat, & quoto die inſequnta mors ſit explicet, quæ intus læſa ſint, quàm altè telom deſcenderit, vt cautè & prudenter ſententiam proferat, canens ne temere quidquam pronuntiet: nam ſæpe ex minimis & omnino contemnendis vulneribus mortem innpinato ſuccreuiſſe viſum eſt.

a. Aphorism.

Quippe dictum eſt ab Hippocr. *ab omnibus cuiuſuis generis vulneribus mori homines contingit: ſicut & magnis & lethalibus citra vllam ſpem laborantium plurimos ſaluti eſſe reſtitutos:* vt etiam loco citato, & in epidemiis mille hiſtoriis retuletat idem author, & Galeo. *lib. 8. de vſu part.* Nam *vires*, inquit Gal. *vbi valentes ſunt, omnia contemnunt ac tolerant: vbi verò infirma, vel à quouis offenduntur.*

Li. 6. aph 18.
Li. 10. meth.

Et ob id profetendum non eſt in iudicio, *ſi non fuiſſet vulneratus, nunquam interijſſet, quantumuis in victus ratione peccaſſet*: nec ſufficit dixiſſe, *vulneratum mortem nunquam ſubijſſe, ſi omnia ſecundum rationem effeciſſet*, ſiquidem non ſolùm famæ tuæ conſolere teneris & opinioni, ſed nihil quod cedat in damnom laborantis, aut liberorum eius proferes: nec omnino culpam regeres in percuſſorem, ſi te vera vulnus ſoa oatura lethale non fuit. Sed curationem etiam adhibitam recenſeat, ne vel incuria, vel ignoratione, perijſſe æger videri poſſit, aut mancus ſupereſſe.

DE VNIVERSALI VVLNErum curatione.

INSTITVTIO II.

VVLNERVM curatio (propter diuerſa, quæ conſideratione digna ſeſe offeruot) adeò eſt varia & diffoſa, vt neqoe memoria teneri, neque intellectu diſcerni, atqoe comprehendi facile poſſit. Quapropter compendio ea omnia, quæ huic miniſterio neceſſaria ſunt, complecti ſtudui, initio ſumpto à enmmoniſſima vulnerum indicatione.

Li. 11. me. c. 90 91. 92. lib. 3 4 5 & 6. method.

Omnis itaque *continui ſolutio*, vt Galen. eſt mens, *vnionem & agglutinationem poſtulat, & ad ſui medelam indicat*, quæ in inſtrumentalibus quidem partibus diſſectis minimè perfici poteſt, in ſimplicibus quibuſdam, carne videlicet ac pinguedine, poteſt, in oſſe verò ſolùm interuentu calli, niſi in pueris. Conſtat enim quod diuiſum eſt, vnione eſſe ſanandum, quod vnio diuortio ſit contraria: at verò per quæ ea fieri debeat, non eſt ita facilè inuentu: nam operatio hæc à natura ceu opifice, ſuarumque virtutum & alimenti adiutorio perficitur, atque etiam à Medico, ceu idoneo naturæ miniſtro.

Ad coalitionis finem aſſequendum quibus ſcopis vtendū.

Vt autem coalitionis finem aſſequamur, quatoor veluti ſcopis vti oportet: quorum *prior* eſt, vt extrinſecus incidentia, quæ multa labris vulneris incidere poſſunt, qualia ſunt pili, ſanguis concretus, arena, puluis, oſſium fruſta, armorum cuſpides, & alia minura infixa ex vitro, aot ligno, vel haſta, ea omnia amoueantur. *Secundus* ſcopus, extrema diſtantia applicare, atque ad ſe ipſa addocere iubet. *Tertius* ſic commiſſa labra atque adducta conſeruare. *Quartus* læſæ partis ſubſtantiam tueri ſeruareque præcipit. Quibus accedere quintus ſcopus poteſt, vt ſymptomata quæ ſuccreſcunt corrigamus.

Cauſæ vulnerantis amotio.

Primam itaque intentionem aſſequemur amotione cauſæ vulnerantis, ſi quid eius aut alterius rei, quæ coalitom vulneris impediat, ibidem manſerit. Nam licet *cauſa externa* nullam præſter in curatione vulnerum indicationem, quia protinus abijt, vt Gal. eſt mens, magni etiam eſt momenti ad cognitionem: nam talem impreſſit effectum qualis ipſa eſt, & vis quæ vulnus effecit.

5. meth. c. 4.

Telorum eductio.

His habitis, dum infigitur & remanet in parte vulnerata telum, aot teli pars, aut quodois aliud, ante omnem curationem, tanquam impedimentum, ſui remotionem indicat: quamobrem illud prohibens, protinus oportet inſtrumentis aot medicamentis auferre, ſi prius diligenter conſideraueris, an extrahi poſſit, & an tuto, & rurſus an poſtea vulnus curari poſſit, vel fruſtra ſit carnem vlteriùs lacerare: cum hoc tamen, ſi ſpes vitæ ſubeſt, telo extracto, tentare extractionem oportet, idque vel protinus, ſi fieri poſſit, ante inflammationem, vel poſtea, carne putrefacta. Inſtrumenta antem talia ſunt effingéda, qualia poſtulauerit teli infixi forma, aut modus infixionis. Nam ſic tela *longa & anguſta*, vt ſagitta eſt, educenda ſunt parte adoerſa, præcipuè quæ magis laniant, ſi retro, quam ſi cōtra trahaotur: itaq; contra aperta via, caro deduci debet ferramento apto, deinde vbi apparuerit, ſi mucroni arundo inhæret, propellenda eſt ſagitta, donec ex altera parte apprehendi poſſit. Verùm ſi haſta diſceſſit, ſolumque manſit ferrum, digitis aot forcipe apprehēdi debet & extrahi. Quòd ſi per quam partem infixa eſt ſagitta extrahere velis, eodem modo ampliato vulnere, digitis, volſellis, aot forcipe quàm molliſſimè, ac citra dolorem extrahes.

Quòd ſi tela ſint *ſpiculata & parua*, forcipe ibidem comminui debent, vacuomq; & immune ab his telum educi. Verùm ſi *ſpicula maiora* fuerint, fixis ſcriptoriis calamis contegenda ſnot, ac ne diu lacerent, ſic euellenda. Alij ſpicula ipſa forcipibus aut tenaculis apprehendunt, atq; ita telum eximunt.

Quòd ſi telum *latum* ſit, & *reconditum*, ab altera parte educi non expedit, ne ingenti vulneri ipſi qooq; ingens vulnus adijciamus: euellēdom ergo eſt genere quodam ferramenti, qood *Diocleum graphiſcum* Græci vocaot.

At ſi tela *rotunda* ſint, nempe globolæ, plombeæ aut ferreæ, quę bellicis tormentis mittuntur, ſic extrahenda veniunt. Corpus vulnerati hominis

minis ea figura conſtitui debet, in qua erat in eo tempore quo vulnus accepit, atque ita quo tetenderit telum ſpeculo explorandum eſt (hoc autem in omnibus telis extrahendis obſeruandum erit) ſi autem æger id non poteſt, iacens ſaltem, ita debet collocari, vt ad eam figuram maxime accedat. Quo facto, latius vulnus aperiendum eſt, idque quo ineſt, ea qua venit recipiendum denticulata forcipe, ſi eam vulnus admiſerit, extrahendum. Quod ſi telum infixum ſic intus lateat, vt non ſatis commodè extrahi poſſit, dimittendum eſt, donec natura ipſum trudat aut manifeſtet: tela aliquando integra intus infixa, cicatrice obducto vulnere, citra noxam delituerunt, & longo temporis ſpatio partem eam abſceſſu occupante ac dirupto exilire viſa ſunt.

Præterea non ſat eſt conſiderare tela intra vulnus manſiſſe, ſed diligenter rimari oportet, an carni, an oſſi vel articulis adhærentia & fixa ſint. Nam ſi *carni*, tunc vltra conſiderabis, an præſint in ſuperficie, & qua venas magnas non ruperunt, ea tantum parte extrahenda ſunt: quod ſi altius penetrauerint, aut ea parte, ſi telum amplum ſit, aut ſi ſecus, vt antea dixeram, cauentes venas, arterias, neruos, & ne magna fiat ſanguinis profuſio, maxime ſi fluxiu detinebatur telo infixo, quo extracto ſanguis libere profluit.

Verum ſi tela *oſſi* inhæreant, non niſi attrahendo ipſa eximere tutum eſt: eo autem vſque mouendum eſt telum, donec it locus laxetur in quo mucro infigitur, & tunc vel manu vel forcipe telum extrahendum eſt. Quod ſi telum altius in oſſe deſcenderit, quod cognoſcimus, ſi firmiter nulla vi moueatur, exciſorio culto oſſe, quod iuxta eſt, exempto, aut etiam terebro, ſi craſſum ſit, prius perforato, quo facilius telum extrahemus.

At ſi in *articulo* infixum telum fuerit, circa vulnus duo membra faſciis aneniſve deliganda, & per has in diuerſas partes deductas trahenda ſunt, vt tendones, ligamenta & neruos diſtendant, quibus extenſis, laxius inter oſſa ſpatium eſt, vt ſine difficultate telum recipiatur: ſed illud quoque videndum eſt, ne quis neruus aut vena aut arteria à telo lædatur, dum extrahitur.

Vulneris vnionem impedientium ablatio.

Quibus peractis, quæ impedire poſſunt vulneris vnionem, diligenter rimari oportet, ſuperſit ne aliquid intus extraneum, vt pili, ſpinæ, officula, ſurculi, lapides, vitri fragmentum, puluis, arena, ſanguinis grumus, aut aliquid eiuſdem naturæ. Quæ ſanè medicamentis, ſi manu, aut tenaculis vel penicillis abſtergi vulnus non poſſit, auferenda ſunt. Verùm ſi oſſis fragmentum adhuc perioſtio adhæreat, prætermiſſis de hac re opinionibus, ipſum digitis, forcipe aut quouis alio inſtrumento prius extrahes, cauens ne membrana dirumpatur, laceretur've, dolores enim & conuulſiones non raro accerſit, & ob id tutius eſt forcipe ſcindere, citra periculum venæ aut arteriæ, quàm violenter euellere: raro enim coaleſcet os ex toto ſeparatum. Reliqua verò medicamentis ſimplicibus extrahes, præmiſſa vino facta ablutione: poſtea verò reliquum extrahit *dictamnus*, *tapſia*, *ſagapenum*, *ammoniacum*, *ariſtolochiæ radix*, *rana combuſta*, *radix arundinis*, *propolis*, *rigius*, *opopanax*, *fex vini vſta & fermentum*. Quod etiam efficacius præſtat emplaſtrum ex *radice arundinis & mellis*, vel alio quod recipit *lapidis magnetis* ℥j. *radicis ariſtolochia vtriuſque ana* ℥j. *polypodij*, *viſci*, *ana* ʒj. *ſtercoris anſeris* ℥j.ſ. *ammoniaci*, *galbani vino diſſoluti*, *ana* ℥ſ. *propolis* ℥ij. *olei liliorum* ℥iij. *mellis* ℥j. fiat emplaſtrum. Cui ſimile efficies linimentum ex *puluere magnetis* cum aliquo detergente in torunda poſito, ita vt torunda non attingat rem quam nitimur extrahere.

Labrorum quæ dehiſcũt commiſſio & vnio.

Secunda vulneris curandi intentio ab ipſius morbi natura, in partium ſeparatione ſita, petenda eſt: quæ labra quæ dehiſcunt committere & vnire docet & præcipit. Neque enim agglutinari vulnus poteſt, niſi prius orarum ipſius deductio fiat. Variis autem modis coniungi in vnum diſſidentia poſſunt, *vinculo* nimirum, *ſutura*, & *fibulis*.

Diſſidentia quomodo cõiungẽda.

Vulnus quidem ſi ſimplex eſt & exiguum, atque in parte molliore conſtans, ſola partis *deligatura* orbicularim faſcia circundata, coaleſcere facilè poteſt. Coalitionis eius opifex & præcipua cauſa natura eſt, quæ alimenti interuentu ex ſanguine carnem generat, partibuſque vulneratis ex æquo applicat, vnde coalitus fit. Deligationum autem triplex eſt modus: vnus *agglutinatorius*: *expulſiuus* alter: & tertius *ad retinendum proficuus*. *Primus* quidem ſimpliciſſimis vulneribus & oſſium fracturis ex vſu eſt: *expulſiua deligatio* varicibus, ſinuoſis vlceribus, & his in quibus præcauere ne ad partem amplius fluat, aut quod retinetur exeat, curamus: *retentiuus ligationis modus* his proficuus exiſtit, quibus non licet compreſſionem moliri, vt in gutture & ventre, vbi ſolum mens eſt medicamenta continere fixa in parte. Fiant autem ligaturæ ex *linteo veteri*, *mundo*, *& non admodum tenui*, at cum *compreſſione mediocri*, *& ſine nodo*, *ſolùm ſutura alligata*, vt placuit Celſo & Galen. faſcia autem ſit eius amplitudinis quæ impleat longitudinem vulneris ſufficienter.

Vinculo.

Li. 5. de officina med. & 6. Meth. 5.

At verò vbi maius vulnus fuerit, labraque longè diſſita, tum vt coëat vulnus, *ſutura* opus erit, tum etiam ligatura, atque iis præſidiis quæ glutinandi vim habeant, quæque collectam ſaniem deſiccare commode queant. Sui autem carnoſæ partes vulneratæ per longitudinem muſculi commodè debent, vt quæ ſuturam facile admittant: nam tranſuerſæ fibulis opus habent: quæ ſanè tribus modis vniri & coniungi poſſunt. *Primò* ſutura ex filo forti, æquali & leui, euiuſmodi eſt ſericum, in communibus ſaltem vulneribus: in quo opere neceſſum eſt primum punctum efficere in medio diuiſionis vulneris: deinde alterum in medio ſpatio vtriuſque lateris, & eodem modo deinceps procedes, vt inter duo quæque puncta punctum intercedat, donec vulneris labra rite commiſſa fuerint, ita vt ſutura, nec nimis rara, neque admodum crebra ſit: nam illa non coniungit, hæc verò plurimum afficit, & inflammationem accerſit: item ſutura neque nimis arcta ſit, ne dolorem concitet, & impedimento ſit expulſioni ſuperflui, neque nimis laxa, quia labra non coaleſcent. Atque vbi acus vna cum filo permeauerit ſpecillo huic parti applicato, veluti fulcimento & adminiculo nitatur, ne cum filo labrum etiam trahatur: poſtea duobus nodis ligatum filum ſcindatur, aliquantulum remote à nodo. Hanc autem *ſuturam incarna*-

Suturat.

tiuam vocarunt Chirurgi, proficuam quidem prædictis *carnoſis vulneribus*, quæ ligatura coniungi nequeunt. Deinde glutinatoriis vtendum eſt, qua collectam humorum colluuiem deſiccare & conſumere queant: ac ne amplius influat prohibeant.

Verùm in *cutaneis affectionibus*, & membranarũ aut inteſtinorum vulneribus, alio ſuendi modo vtendum eſt (præſertim ſi fluxus ſanguinis alio vti non conceſſerit) qui fit ad peuſum & modum quo pelliceæ veſtes ſuuntur: quem ſuturæ modum ſanguinis retentiuum aut fluxus cohibitiuum nuncupant.

Quibus ſuturis *tertia* addi poteſt labiorum vnitorum conſeruatina, ſimilis quidem prædictis, minus tamen compreſſa, quia ſolùm nititur vnita continere labra, interim dum vlcus curatur: ex quibus conſtat triplicem eſſe ſuturæ modum.

Fibulis. Quod ſi adeo patens vulnus fuerit, vt ſutura aut ligatura eius labra committi non poſſint, *fibulis* impoſitis adducere ora ſolebant antiqui, ſed harum nunc vſus periit, & in leuibus vulneribus, aut faciei, earum loco ea *ſutura* quæ *ſicca* à Chirurgis appellatur, ſucceſſit: quæ ſane fit ex pannis adſtringenti glutine illitis, & parti admotis, filiſque ſericis validioribus ab vtroque linteolorum capite impoſitis & inuicem copulatis: linteola ſint magnitudine, quæ membro læſo congruere videatur: glutinum verò recipiat *pulverem ſanguinis draconis, thuris & maſtiches, ſarcocollam, picem, & pollinem farinæ volatilis*, quæ omnia cum *oui candido* ſubigi debent, & ſupra pannos extendi: qui vtrinque poſtea ad latera vulneris ad pollicis vnius diſtantiam poſiti, agglutinandi ſunt, atque poſt exſiccationem comprimendi ſufficienter: nam polita fiet cicatrix, aut amplior, & euidentior, ſi labra non ſatis comprimantur. Alios coniungendi vulnerum labra modos breuitatis gratia, & quia iam ab vſu receſſerint conſulto prætereo: præterquam quod fere omnes Chirurgi eorũ meminerunt: ſic enim vulnera ciliorum, aurium & narium ac labiorum, ſuuntur modo ſecundo vt plurimum.

Labrorum coniunctorum conſeruatio. Sequitur *tertius* ſcopus in vulnerum curatione ſeruandus, vt diductorum ora, quæ iam in vnum per adductionem coniuncta ſunt, maneant, & ſeruentur: quod iiſdem ferè auxiliis perficitur, quibus in idem adducta ſunt, *congruo* inquam *membri poſitu, quiete, deligatura*, atque *ſutura*, adhibito *albumine oui*, ac ſi id non profuerit, & pars ex humidioribus ſit, addito *puluere thuris & ſanguinis draconis*. In qua re ſtatuendum eſt, duplici ratione agglutinari quæ commiſſa ſunt: alia quidem per ſe, nulliuſque alienæ ſubſtantiæ interuentu, vt caro ipſa, & quæcunque ſequacem habent ad vnionem materiam, præexiſtenti ſimilem factam; quæcunque verò dura ſiccaque ſunt, vt oſſa, nerui, ligamenta, cutis, & quæ ſeminalia ſunt, eorum partes ſine glutino coire non poſſunt. Denique adhibebis ſiccantia auxilia, quæ duplici nomine proficua ſunt, vt Hippocratis eſt mens *de vlce.* & Galeni 4. *Method. capit.* 5. *& 5 capit.* 2. nimirum vt abſumatur humor ſuffuſus, & vt reſtituatur vnitas: illud quidem fit aſſumpta humiditate, quæ tum ex affluxu humorum, tum ex morbo & intemperie partis congeritur: hoc verò, quia partes redduntur ſimiles ſano, qua ſimilitudine conciliata reſtituitur vnitas. Itaque medicamenta, quæ cruentis vulneribus ſtatim proficua ſunt, omnia habent vim ſiccandi & nonnihil adſtringendi, vtroque autem nomine contrahunt partes diuiſas, & idcirco ſeruant inter ſe coniunctas: repellunt præterea influentem humorem: exprimunt ſi quid inter oras funditur, quod poſſit contactum impedire: redigunt ſolutam partem ad ſiccitatem naturalem, neque ſuppurare humiditatem permittunt: cum hoc tamen non ſunt adeo ſicca, quod omnem humiditatem conterant, vt quæ cicatricem inducunt: præter id quod morſu carent, & facultate detergendi: qualia ſunt quæ nuper diximus primo die debere apponi. Idem profecto facies ſequenti die, leniter ſemoris ligamentis, & ſic eodem modo, donec labra vnita eſſe comperias ex ſuturæ laxitate, & carentia doloris, & excrementorum in vulnere: quo tempore & antea *vino* vtêris *ſtyptico*, maximè poſt ſuturæ abſciſſionem, ne vnita labra facilè ſecedant.

Partis autem ſubſtantia adſeruatur (quod *quartus* ſcopus pollicetur) duobus modis: vno cuſtodito eius temperamento, ſubſtantiæ modo, & habito reſpectu ad partis officium. Temperatio partis ſimilibus præexiſtenti temperamento perficitur. Sic caro & adeps, quæ humidiores ſunt, medicamentis egent minus ſiccis quàm articuli, qui ſicciores. Pari ratione attendimus duritiem & mollitiem, ac denſitatem & raritatem: ſic duræ partes ſicciora deſiderant, & molles minus ſicca. Præterea officium præſtantius maiorem roborationem in particula quærit, & ſic multa oportere conſiderare dicemus *parte ſecunda circa particulam affectam*. Læſæ partis ſubſtantiæ adſeruatio.

Verùm defenditur à dolore & inflammatione, vel quouis alio ſymptomate, multis modis: namque facile ad partem dolentem humores affluunt, etiamſi corpus plethoricum non ſit. Et ob id dolorem mitigare oportet & fluxionem auertere, atque partis calorem compeſcere, depoſito ſanguine (niſi ſufficienter ex vulnere fluxerit, aut laborans debilis fuerit) per ſanguinis detractionem, primo è longinquo, ac mox ex proximis vulneri partibus. Item victus parſimonia, & ex temperatis aut refrigerantibus cibariis. Similiter omni diuerſionis genere, vt 4. *Method. cap.* 6. Galenus conſulit. Prohibemus etiam defluxum ad partem, repellentibus, ſitu membri commodo, frigorificis, & faſciis, vt conſulit Hippocr. *lib. de offic. Med. text.* 24. 25. 26. *&* 1. *de frac.* 25. *&* 26. Item habita ratione totius corporis, vt conſuluerat idem author *lib. de vlce. à principio.* Quibus præmiſſis, vtêris *oleo roſaceo*, aut ſupra partem vulneratam emplaſtro ex *bolo*, aut in parte affecta ex *radice ſolani trita*, *& foliis maluæ coctis & piſtatis cum* vnguen-

guen-

guentis roſaceo, aut butyro vaccino. Poſtea vero leuibus medicamentis (ante ſeptimum ſi cacochymiæ ſigna præualuerint, aut poſt ipſum ſi ſecus) corpus purgabis, veluti *manna, caſſia, catholico*, *aut ſyrupo ex infuſionibus violarum & roſarum*, iuxta ideam humoris peccantis.

Symptomata in vulnere euenientia quomodo corrigantur.

Corriguntur porro in vulneribus euenientia ſymptomata, pro ipſorum varietate. Nimiæ enim ſanguinis profuſioni, vinculis, faſcijs & ligamentis ex *poſca* imbutis, aut *adſtringenti vino*, puluere reſtrictino, qui ex *Armenia terra, leporis pilis, ſanguine draconis, thure, & manna eiuſdem* conſtat, *ouis albo* excepto & admoto, tum quiete & congruo membri poſitu medemur. Conuulſioni, inguinibus, ceruici & neruorum propaginibus admotis, & *calente lana pingui oleis leniorib. imbuta* ſuperimpoſita: ſeruata tamen prius exacta victus ratione, corporeque purgato. Fit autem vnctio in ſpaſmo ex *oleo liliorum, violaceo & anthemidis florum, coſtino, laurino & butyro recenti, additis ſtyrace, calamyntha & rubia, maſtiche chia, olibano*, & ſimilibus. Syncopi & animi defectionibus, vini meracioris hauſtu, frictionibus validioribus, clamoribus & ſtrepitu: & facies ex roſacea aqua vino optimo irroretur: ſic enim facilè reuiuiſcit æger: arcenda tunc à conclaui ingredientium turba eſt, & aqua frigidiori lauandus æger. Dolorem ſedamus variis ingeniis: auerſione facta ſanguinis miſſione, aut purgatione: anodynis item remediis, fotibus, cataplaſmatis ex *mica panis lacte imbuti: vitello oui & croco*, interdum momentum *opij* ob vehementiam doloris admiſcere cogimur. Delirio ſuccurrimus ſanguinis miſſione, ſi vires valentes ſint, purgatione, ſomniferis admotis, & crurum lotionibus atque ſimilibus. Paralyſis etiam quæ ſuperuenire non raro aſſolet, peculiaria expoſtulat præſidia, vt ſuo loco latius monſtrabo.

Vulnerum *in genere* naturam, differentias, cauſas & ſigna atq; curationem, pro inſtituto huc uſque ſcripſimus: ſupereſt quarundam *ſpecierum* ex his quas memorauimus, & partium etiam principalium ſeorſum gratia exempli meminiſſe: cæteris quæ *ſpecialiora & ſingularia* ſunt, prætermiſſis, vt ſtudio quotidiano, diligentia atque vſu practico Chirurgus ea expendat. Sic profectò inter vulnera, quædam ſunt ſimplicia, & quædam compoſita, quarum rationem & curandi indicationes ſeorſum ſcribere inſtituo quam breuiſſimè, prætermiſſo ſimplici vulnere: nam quæ generatim diximus, ei ſolum proficua exiſtunt.

DE VULNERE CONTUSO.

INSTITUTIO III.

VT conſtet eſſe plurima vulnerum, quæ per primam illam & communiſſimam intentionem ſeu curationem ſanari nō poſſunt, neque eorum labra vniri, quod caro deficiat, contuſa ſit, tumore affecta, intemperie extranea, fluxu ſanguinis ſordida & praue affecta, aut aliis accidentibus oppreſſa: ob id ſecundam intentionem, hoc eſt, remotionem prohibentis morbi adiunctiant ſymptomatis, non cauſæ, vt in omnibus ſimpliciſſimis vulneribus dictum eſt, moliri prius oportet, quam vel labra vniantur, & cicatrix induci poſſit. Sic initio ſumpto à contuſo vulnere, ſciendum eſt, huiuſmodi vel aëre alterari, vel durum eſſe & calloſum, aut dolore vel phlegmone, aut alio quouis tumore coaffectum. Itaque in huius vulneris curatione quadruplex erit indicatio ſeu intentio exequenda. *Vna*, accidentia mitigare: *Altera*, adiunctum morbum auferre: *Tertia*, contuſam carnem ſuppuratione conuertere: & *Quarta*, loco eius, quia vlcus remanebit cauum, carne implere, præter cicatricem. Nam *certum* eſt, inquit Galen. *ſiue contuſa fuerint circumpoſita vulneri loca, ſiue phlegmon, aliusve tumor in his conſtiterit, propriam eius ſanationem vulneris ſcilicet non eſſe, ſed prior illius affectus qui cum vulnere eſt*. Præmittamus, carnoſam particulam telo tum ſciſſam, tum contuſam eſſe: præmiſſa debita vitæ inſtitutione, quid deinceps agere oporteat, indicant primò prædictæ affectiones, ſeu ſymptomata, quæ vulneri accidunt: ſic dolor primò mitigandus eſt, *oleo anethino, camemelino & liliorum*, aut ſi calor cœperit eluceſcere, *oleo roſaceo & vitello oui*, linamento excepto & parti admoto. Quod ſi tumor præſit ex confluxu ad partem, fluxionem alio auertes, & fluxurum humorem venæ ſectione imminues, quantum affectus magnitudo, doloris immanitas, & magnitudo inflammationis præſentis aut imminentis poſtulauerit, ac vires ferre poſſint: quod etiam facies victu tenui & refrigeranti. Reuelles autem fluentem humorem ſanguinis miſſione ex oppoſita parte, ſi plurimum tumor aut dolor non vigeant, cucurbitis, frictionibus & ligaturis oppoſitarum partium. Vtêris inſuper repellentibus, vt *oleo myrtino, roſaceo, vnguento ex bolo Armeno, oleo & aceto*, quo partes circumiacentes illiniantur: emplaſtro etiam ex *pulueribus myrtillorum & oui candido cum roſaceo*. Reliquos autem vitioſos ſuccos iuxta eorum naturam purgabis, vt antea ſcripſeram. Prætetea carnem contuſam, & humores, qui iam in partem vulneratam decubuerunt, in pus vertere curabis quam citiſſime, tum ſimplicibus, vt *malua cocta, radice althææ, pane tritico, aut farina triticea, cum oleo & aqua*, vel fomento vtêris ex aqua calida. Sic ex compoſitis eo vteris, quod recipit *radicis althææ, radicis cucumeris agreſtis ana* ℥ j. *florum camemali. & ſeminum lini ana* p. j. *origani & hyſſopi ana* m ſ. *prunorum pinguium, num.* vj coquantur, & eis preſſis & contuſis adde *galbani, myrrhæ, ſtyracis liquidæ, œſypi ana* ℥ j. ſ. fiat emplaſtrum. Aliud conficies, vbi calor præualuerit, quod recipit *maluarum & violarum ana* m. j. *radicis althææ*, ℔. ſ. coquantur iure carnis abſque ſale, & adde *farinæ hordei & tritici ana quod ſatis* vt fiat emplaſtrum. Prodeſt & tetrapharmacum, ac digeſtiuum vulgo appellatum, ex *oui vitello, & terebinthina*.

In vulneris contuſi curatione quadruplex intentio exequenda.

Qua prouidentia facta, vulnus deinceps diligenter inſpicies, ſit ne ſordidum, cauum, plenum, aut dilaceratum. Quod ſi ſordidum ſit,

In vlcere ſordido quomodo procedendũ.

detergendum erit *melle roſaceo*, *mundificatiuo ex apio*, *vnguento apoſtolorum*, *aut facto ex farina hordei*, *cicerum*, *fabarum*, *orobi*, *ouorum vitellis*, *& melle*.

Verùm ſi ſordities interanea ſit, & caro quoq; vitioſa, *vnguento rubeo*, *aut Ægyptiaco* vtendum erit, quo facilius exſiccetur vlcus, donec ad puritatem perueniat.

Itẽ in cauo.

Tunc verò conſiderandum eſt, an cauum vlcus ſupetſit, quo tempore carne implere curandum ſummæ diligentiæ erit. Cui vſui inſpicere oportet, quod poſſit carnis generationem remorari: nam cum in carnis generatione excrementum duplex prouenire ſoleat: alterum quidem craſſius, vt ſordes: alterum verò tenue, vt ſanies, ac cum ex tenui hoc excremento vulnus humidum reddatur, & ex craſſo ſordidum, duplici medicamentorum ſorte egebit, nimirum modicè ſiccantibus & detergentibus. Verùm hæc non ſunt quæ verè ſarcotica exiſtunt, ſed quæ remouent impedimenta carnis generandæ: nam verè ſarcotica (vt reperies *ſecunda parte cap. de generantibus carnem*) alterius ſunt naturæ, nimirum quæ carnem ſimilem præexſiſtenti reddere nata ſunt. Cæterùm quæ vtrumque præſtant ſimplicia, ſunt *thus*, *thuris lacryma*, *cortex thuris*, *maſtyx*, *aloes*, *vinum rubrum auſterum*, *pix*, *reſina*, *farina hordei & fœnugræci*, *ariſtolochia*, *iris*, *farina orobi*, *lupinorum*, *panax*, *centaurium*, *polium*, *glaucum*, *cadmia*, *pompholix* & aliud genus. Compoſita etiam non pauca reperies, vt puluis qui recipit *olibani*, *aloes*, *ſarcocollæ*, *ſanguinis draconis*, *radicis ireos* *ana* p. j. prodeſt vbi fluxerit vulnus plus humidi, quam par ſit. Aliud recipit *thuris*, *maſtychis*, *myrrhæ*, *boli Armeni*, *ſanguinis draconis*, *farinæ hordei*, *ana* p. j. fiat puluis, quo cum *melle roſaceo* vtêris. Conficies autem vnguentum huic vſui proficuum, quod recipit *reſinæ* ℥ ij. *terebinthinæ* ℥ iij. *mellis* ℥ j. ß. *thuris*, *maſtychis*, *myrrhæ*, *ana* ʒ ij. *olei* ℔ ß. *ceræ* ℥ v. fiat vnguentum. Aliud etiam conficies maioris momenti, quod recipit *agrimoniæ*, *abſynthij*, *centaureæ*, *chelidoniæ*, *ſcabioſæ*, *ſemperuiuij*, *cynogloſſæ*, *caulium rubrorum*, *plantaginis*, *ana* m. j. ex quibus ſuccus extrahatur, & adde *aceti* ℥ iiij. *olei roſacei* ℥ ix. *ceræ albæ* ℥ iiij. *axungiæ berbecis* ℔ ß. *reſinæ* ℥ x. coquantur lento igne, & adde *ammoniaci*, *galbani in aceto diſſoluti*, *ana* ℥ ß. *terebinthinæ* ℔ ß. *mellis* ℥ iiij. *thuris*, *maſtychis*, *ana* ℥ j. fiat vnguentum.

His factis, hæc medicamenta & alia, quibus vſurus es ad carnis generationem, hac lege mutabis: quo enim vlcus fuerit humidius, eo ſiccioribus vtêris, & è contra minus ſiccis: verùm ſeruare oportet corporis & partis naturam contraria protſus lege: nam quo humidius fuerit corpus, aut membrum vulneratum, eo minus ſiccis vtendum erit, & quo ſiccius, ſiccioribus, ſiquidem ſimilibus fieri debet præexſiſtentis carnis conſeruatio. Nam productam carnem ei quæ præfuit, ſimilem eſſe oportet, vbi igitur priſtina ſiccior fuerit, nouellam quoque ſicciorem fieri conuenit. Sic profectò facilè erit carne vlcus implere, & ad antiquam figuram reducere.

Cicatrix quomodo obducenda.

Vlcus autem ad planitiem ſeu cauitatis plenitudinem, & æquabilitatem reductum, cicatrice obducendum erit: quod facies medicamentis quæ non modo ſuperfluam, ſed naturalem quoque humiditatem abſumunt: ſunt autem talia quæ adſtringendi modicè facultatem habent, & plurimum ſiccandi, *epulotica* à Medicis nuncupata. Quorum ſimplicia ſunt *galla*, *balauſtium*, *oſtrea vſta*, *cortex malorum granatorum*, *malicorium*, *ſpina Ægyptia*, *bolus Armenus*, *terra ſigillata*, *ceruſa*, *plumbum vſtum & lotum*, *lithargyrium*, *cortex pini*, *æs vſtum & lotum*, *ſquama æris*, *alumen vſtum & lotum*. Sed ex compoſitis ſunt plurima huic miniſterio apta, vt fotus qui fit ex *balauſtiis malicorioque* vino incoctis: item ſunt pulueres quæ recipiunt *corticis pini* ℥ j. *nucum cupreſſi*, *centaureæ minoris*, *ariſtolochiæ vſtæ*, *ana* ʒ ij. *ceruſæ*, *lithargyrij*, *ana* ℥ ß. fiat puluis, quo vulnus reſpergatur. Eundem vſum præſtat vnguentum, quod recipit *ceruſæ* ℥ iij. *lithargyrij* ℥ ij. *albumina ouorum* num. iij. *adde minij* ℥ j. *caphuræ* ʒ. ij. *olei roſati* ℔. j. ß. *aquæ roſarum* ℥ ij. *albumina ouorum* num. iij. *ceræ albæ q. ſ. fiat vnguentum*. Aliud recipit *lithargyrij* ℥ ß. *ceruſæ* ℥ j. *olei roſarum* q. ſ. fiat vnguentum cum cera. Emplaſtrum etiam conficies q. r. *ceruſæ*, *lithargyrij*, *ana* ʒ j. *terebinthinæ* ℥ x. *thuris*, *maſtichis*, *aluminis*, *cochlearum limacum vſtarum*, *ana* ℥ ß. *caphuræ* ʒ j. coquantur *lithargyrium & ceruſa*, *oleum & cera* lento igne, & adde *terebinthinam*, & poſtquam ſemoueris, adijce pulueres. Quibus etiam ſupercreſcentem carnem demes, ſi addideris *vnguenti Ægyptiaci*, *aut Apoſtolorum modicum*, *vel chalcanti*, *atramenti ſutorij*, *calcis viuæ*, *ſublimati hydrargyri aliquid*. Quem quoque vſum præſtat aqua quæ recipit *aquæ vitæ* ℥ ij. *æruginis raſilis* ʒ ij. *miſce*, vel alius q. r. *hydrargyri ſublimati* ʒ ij. *aluminis crudi* ʒ v. *aquæ roſarum & plantaginis* ℥ v. coquantur ad conſumptionem quartæ partis. Quod ſi non profuerit, nouacula licebit additam carnem abſcindere, aut candenti ferro inurere.

Verùm ſi cicatrices non probè fiant, curandum eſt, eas quantum poſſibile fuerit pulitas efficere, aut ſi praue procedant, corrigere: ſic recentes incraſſuodæ ſunt *diachylone*, *lithargyrio nutrito oleo in quo vtriuſque brioniæ radix incocta fuerit*, *calaminthâ in oleo coctâ*, *argenti ſpuma cum roſaceo lota*. Quod ſi craſſa ac dura fuerit cicatrix, attenuanda eſt *oleo balſamato*, *radice cucumeris agreſtis trita & impoſita*, *pinguedine pueri naſcentis cum argenti ſpuma*, *oleo liliorum*, *de myrrha & gummi cuiuſuis conditionis in aqua roſarum diſſoluta*. Aqua etiam quæ hoc modo ſtillatur vtiliſſima eſt. Excipe *myrrhæ*, *aloës*, *ſtyracis*, *ana* ℥ j. *mumiæ*, *baccarum lauri*, *ana* ℥ ß. mediocriter trito, & in alembico vitreo lento igne deſtillato. Præſtat & huiuſmodi linimentum quod recipit *olei de tartaro* ℥ iij. *mucilaginis ſeminis pſyllij* ℥. ß. *ceruſæ in oleo roſaceo diſſolutæ* ℥ j. *ſalis gemmæ* ʒ ij. fiat linimentum. Huius naturæ eſt emplaſtrum, q. r. *axungiæ ſuillæ*, ℥ iij. *lithargyrij* ℥. j. *æruginis raſilis*, *vitrioli combuſti ana* ʒ ij. fiat emplaſtrum.

In vulnere dilacerato quomodo curatio inſtituenda.

Quod ſi vulneris caro contuſa plurimum ſit laniata, ſi labra vulneris fuerint dura & calloſa, ſi caro contuſa in gangrænam degeneret, ſcalpello (ſi nihil obſtiterit) corium amouendo renouare oportebit, deinde conſuere. Verùm ſi aut ex

frigore,

frigore, vel ex contuſa carne, defectu caloris, in pus verti nequit, tunc quidem *vnguento Ægyptiaco*, donec caro illa excidat, & vlcus humiditate ſuperabundanti turbatum appareat, procedendum eſt. & poſtea exſiccantibus & abſtergentibus, & his, quæ nuper diximus, proficua eſſe in cauo vlcere, rem agere oportet.

DE VULNERIBUS NERuorum, & neruoſarum partium.

INSTITUTIO IV.

NERVORUM, ac neruoſarum ferè omnium partium officium, dignitas, & ſubſtantia adeo munere præſtantiſſimo funguntur, vt ſenſus & motus vehiculum ſint, & aliis miniſteriis aſſiſtant. Verùm a cerebro oriuntur, á quo parum diſſident, niſi quatenus compactiori materia ſunt conſtituti, ob vſus, quos exſequuntur, tum ſentiendi, tum muſculis circumfuſi in tendones deſinentes. vbique motus arbitrarios efficiendi: quorum ſubſtantia mollis eſt, humida, forma oblonga, tereti, & alba tenui membrana obducta, & inter ſeminaria & ſimilaria membra numerati. Eiuſdem ferè naturæ ſunt *tendones*, ſiue *eneruationes*, in ſecundo neruoſarum partium ordine habiti, qui á muſculorum extremitate originem ducunt: namque cúm neruus á cerebro aut ſpinali medulla ad lacerti initium terminatur, in eo inſeritur, & in multas ac minimas & capillares partes, aut membranaceas fibras diuellitur, quæ totum muſculi corpus intertexunt: denuo in fine coaleſcunt, & corpus quoddam album, denſum, & ſatis latum generant, chorda communi nomine appellatum: cuius munus eſt, parti ſibi annexæ motum abſoluere: ſentit autem, & mouetur ea ratione, qua nerui eſt particeps, & ob id mixtam habet naturam inter neruum & ligamentum: tantoque neruo eſt durior, quanto ligamento mollior. In tertio autem neruoſarum partium ordine ſunt *vincula*, ſeu *neruea ligamenta*, quæ ab oſſe oriuntur, & in oſſe aut muſculo terminantur, omnino ſenſus expertia. Sunt poſtremò inter partes nerueas, *panniculi neruei* ſeu *membranæ oſſa contegentes*, ex quarum ſubſtantia plures partes in corpore procreantur, vt inteſtina, veſica, vterus, vtraque membrana cerebrum inuoluens, & aliæ id genus, quarum vulnera magni ſunt momenti, & ob id maiori diligentia opus eſt in eorum curatione.

6. meth. Diuiſiones vulnerum partium neruoſarum.

Neruea igitur ſubſtantia vt Galeno viſum eſt, vulnerari poteſt vno è tribus modis: per *Sectionem* nimirum, *Puncturam*, & *Contuſionem*. Præterea ſi accidat neruum cæſim vulnerari, id vulnus, vel tranſuerſum, vel iuxta longitudinem infixum erit, atque ex horum vtriſque quoddam fit ſine ſubſtantiæ carnoſæ amiſſione, quoddam cum carnis & cutis deperditione: in vtraque etiam, vel ex toto neruus præciſus eſt, vel ex parte diſſectus: quod pariter puncturis aduenire ſolet, quæ aut manifeſtæ ſunt, aut cœcæ, & occultæ, quarum ora ſic coniunguntur, ac inter ſe coëunt, vt ſenſum effugiant: quæ rurſus vel ſecundùm partem nerui fiunt, vel iuxta medietatem, aut ſecundùm totum perforatum relinquunt. Dum vero *contuſio* neruo accidit, ea quidem erit vel ſola, vel ſimplex, abſque carnis diuiſione, & nerui attritione, aut cum manifeſta continui ſolutione: adeo vt quandoque neruus nudus appareat, interdum punctus aut ſectus. Inſuper cum aliquo ex vrgentium ſymptomatum genere complicantur, nempe ingenti dolore, inflammatione, aut conuulſione premuntur: aliæ mites ſunt: aliæ ſimplices, & nonnullæ compoſitæ. Atq; hæ ſunt diuiſiones á morbi eſſentia deſumptæ.

Signa, quibus neruoſarum partium vulnera cognoſcuntur, ea haberi debent, quæ ob earum vehementem ſenſum protinus ſuccreſcunt, velut ſunt dolores ingentes, inflammationes, reſolutiones, conuulſiones, febres, deliria, & frequenter mors. Cum hoc tamen quantumuis neruoſæ partes ſenſu tactus polleant, non eſt arbitrandum, ſauciati nerui inſeparabile ſignum eſſe dolorem, vt multi ſunt arbitrati: quod Auicenna firmiter ſtatuit, dicens: *Sæpè neruorum vulnera perducunt ad ſpaſmum abſque anteceſſione læſionis ptaua, & non ſit ei ex excuſatio, quia in illis ſit apoſtema magnum, abſque dolore magno, & ſimiliores eorum diſpoſitiones ſunt febres, & apoſtemata multa apparent in aliis locis, quàm in vulneribus, & ſitis, & vigiliæ, & deſiccatio linguæ.* Ex quibus conſtare videtur, conuulſionem fieri poſſe, aut inflammationem, nullo præcedente vehementi dolore, idque vel quia ſenſus obtunditur, & vitiatur inſtrumentum, vel ob partis conditionem, vt de muſculo, capite vulnerato refert Galenus, in quo protinus ſuccreſcit conuulſio: in femore item & partibus genu anterioribus, in cuius vulneribus repentina conuulſione & morte, abſque dolore corripiuntur laborantes, od idque ſtatuendum eſt, vt inquit Galenus, *conuulſiones & mentis commotiones ſequi inflammationes neruoſarum partium, tanquam proprias vulnerum neruorum notas*: quibus accedit febris continuis aſſociata rigoribus, nullam ſeruans periodum: paralyſis etiam, dum neruus ex toto præciſus eſt, aut arguit copioſam humiditatem ad neruum confluxiſſe, ſed id monſtratur, quia præcedunt tumores.

Signa neruoſarum partium vulneratarum.

4. 4 tract. 4. cap. 51.

Lib 5. meth. c 6

5 aph 63.

Lib. 5. de loc. aff c. 5.

5. aph. 2.

Ex ſenſus acumine, quo neruoſæ partes pollent, & ex colligantia cum cerebro prodit *grauiſſima, & periculo plena eſſe neruorum vulnera*: ſiquidem ad leuem adhuc neruorum læſionem acutiſſimi dolores ſequuntur, quos celerrimé inflammatio ſubſequitur, & lege conſortij ad ſua principia retrahuntur, & conuulſi fiunt, ſitque tunc paſſio acuta & lethalis, quia in ea protinus contrahitur ſeptum tranſuerſum, & deficiente reſpiratione cor oblæditur. Sed futuram

Præſagium. Narium vulnera periculo plena.

conuulſionem monſtrant tumores ſubitò euaneſcentes, aut inſaniam, vel dolorem lateris acutum. Vulnera, quę tranſuersè fiunt, deteriora ſunt his, quæ longitudinaliter, ſicut ea, quæ neruum penitus non ſcindunt. Sic contuſiones verendæ ſunt ob humorem craſſum & viſcidum, qui ibidem colligitur, quo facilimè nerui vel replentur, vel putreſcunt. Quæ omnia maximè ſuccreſcunt, cùm iuxta articulos vulnus fuerit illatum, ob ingentes dolores, qui ibidem concitantur ob quantitatem tendonum ibidem inſertorum. Et ſic iuxta dignitatem partis neruoſæ læſæ, aut officium, de periculo iudicare licebit, & prout ex ſtrictiori ſenſu præualuerit, vel maiori fruatur cum cerebro colligantia & communione.

Vulnera deteriora.

Prædictarum partium vulnera, vt grauia & periculoſa ſunt, ita in curatione & Medico, & laboranti magnum faceſſunt negotium. Ob id duo hæc in animo habere oportet, nimirum, ne quis dolor vulneratam partem occupet, & vt partem affectam ab inflammatione tueamur: quibus ſeruatis, omnis conuulſio, quæ ab his cauſis ſuboriri ſolet, prohibetur. Quamobrem, vulneris conſolidationem accelerare non expedit, ſed apertum cuſtodire, vt per id nerui vulnerati ſanies exeat, quo interdicimus & febris & conuulſionis aduentum. Quæ ſanè omnia vt exactè poſſis exequi, vitam inſtitues in omnibus rebus non naturalibus exquiſitiſſimam, eum victum miniſtrando qui tenuiſſimus ſit à principio, vſq; dum ſymptomata miteſcant: frigidus etiam & modicè ſiccus, potus, *aqua decocta cinnamomo, aut radice cichorij, & deaurata.* Aër ſit tepidus, nam calidus inflammationem acceſſit, ſicut frigidus neruis maxime aduerſatur. Cubiculus ſit etiam ab omni frigido præmunitus; lectulus mollis; quies vtiliſſima, & frictio leuis, præcipue partium oppoſitarum: aluus laxa vſu clyſterium. Quibus ſic inſtitutis, conſiderabis, an corpus plenum ſit, & ſcateat prauis ſuccis. In qua re, ſiue plenum ſit, ſiue ſecus, ſemper à ſanguinis detractione auſpicari curationem oportet, idq; à principio, ex diſtantiori parte, quo certiùs futura accidẽtia & inflammationem inhibeamus: quod ſi iam adſint, è propinquiori loco, vt quod in parte affecta aut prope ipſam eſt, euacuemus, ea quantitate, quam vires permiſerint, & mali præſentis aut imminentis ſæuitia poſtulauerit. Quo facto, *caſia,* aut *manna,* vel quouis alio pharmaco, leui tamen & leniente, corpus purgabis, & deinceps ventrem mollem eſſe, diligenter curabis.

Curatio vulneratarum partium neruoſarum.

Quatenus verò ad vulnus attinet, præter indicationes, quas ſuperiùs adduximus, omnibus vulneribus communes, huic vulnerum ſorti & parti affectæ, quædam ſunt peculiares: nimirum vulneris forma, quæ licet aliis ſit communis huic peculiari dote magis ex vſu eſt. Nam aliter tranſuerſalis ſectio neruorum, quàm longitudinalis tractari debet, & aliter punctura latens & obcæcata, quàm aperta & patens curatur: aliter neruus contuſus, & ſuo modo detectus, & cum carnis deperditione. Quamobrem iuxta cuiuſque ideam curationem inſtituere oportebit.

Neruorum contuſio inter moleſtas & cacoëticas affectiones annumeratur à Medicis ſapientiſſimis, rarò tamen accidit, vt Galen. ſtatuit. Eſt enim interdum ſciſſuris aut puncturis neruorum deterior, & curatu difficilior: nam in neruis, qui non niſi acerbiſſimo cruciatu & longiſſimo tempore in ſaniem vertuntur, non accidit, quod in reliquis contuſionibus, quæ citò & ſecurè ſaneſcũt, quia nerui putrefacti nec ampliùs augentur, neq; coaleſcunt. Sic profectò Galen. in contuſis aut ab alto delatis primam operationem inſtituit, ſanguinis detractionem, nulla prohibente cauſa: victu tenuiſſimo inſtituto, cauentes tamen in hac curatione medicamẽta aut humida, aut pus mouentia, quia nerui ſicut caro ſuppurationem non admittunt, quod ſaniei generatione vehementiſſimis doloribus crucientur. Quapropter mox à principio partem fouere oportet *oleo roſaceo, & maſtichino, aut vnguento alabaſtrino, aut camemelino, ſambucino, & irino, & ſimilibus,* quæ calfaciendi, & citra dolorem ſiccandi vires habeant. Verùm ſi cutis diſſecta exulcerataq; fuerit, ea medicamenta opportuna ſunt, quæ exiccant etiam, & ſimul fluxiones prohibent, ac dolores ſedent, & diſgregatas partes vniant: quare in vulnere impoſita *terebinthina & hypericonis oleo* cooperiatur emplaſtro ex *fabacea & lenticea farina, oxymellite, & ſapa cum puluere lumbricorum terreſtrium, & maſtiche:* aut emplaſtro ex *betonica, maſtichino oleo ſoluto:* tota enim pars contuſa, quæ in via ad putredinem eſt, valde exiccari debet, quo ſana etiam cõſeruatur. Quòd ſi aliqua vulneris cruditas apparuerit, & dolor nõ quieuerit, præparetur medicamentum ex *terebinthina, pice liquida, manna thuris, vitello oui, & croco,* & vniuerſa pars cõtuſa in circuitu foueatur *oleo lumbricorum, maſtichino, roſato completo & camomali:* interim tamẽ frictiones & diuerſiones fiant, & iterum ſi fuerit in augmento dolor, ſanguis mittatur. Verùm ſi inflammatio ſuccreſcat, medicamentum appone ex *ſapa, oleo roſaceo, farina hordei, & modico aceto,* in quo infuſa ſit lana *œſyps,* & eis vtẽtis, donec malum decreſcat.

De neruo contuſo.

Lib 6. meth. c 3.

Lib 4. meth. c. 6.

Niſi erratum aliquod committatur, proculdubio *ſectio nerui longitudinaliter inflicta cæteris ſecurior exiſtit.* Sic præmiſſa totius corporis per victum tenuem & ſanguinis miſſionem prouidentia, vulnus ab extraneis mundare oportebit, & partes vulneris adinuicem, ſi cutis laxa pateat, ſutura & faſciis vnire, & vnitatem conſeruare, vt in ſequẽti paragrapho reperies, & in ima parte emiſſarium aliquod relinquere, quo ſanies collecta effluere poſſit, poſtea affectum locum ab aliena fluxione cuſtodire, ſeruata partis vulneratæ temperie, ne dolor ſubſequatur, aut inflammatio, cauentes ſemper, ne intra vulnus ſanies aut humiditas aliqua colligatur, facilè enim putreſcit neruea ſubſtantia, vnde praua ſequuntur accidentia. Quo fit, vt torunda illita *terebinthina,* & *oui luteo* in decliuiori loco immiſſa, neceſſum ſit ſaniem per eam partem primis diebus expurgare, vulneris circumferentia inuncta *oleo roſaceo, myrtino, & maſtichino,* donec nullum ampliùs inflammationis aut conuulſionis periculum immineat. Verùm ſi cutis & caro, quæ ſuperiacebat, deperdita fuerit, adeo vt neruus nudatus appareat, nullum præſtantius adinuenit Galen. medicamentum, quàm *terebinthinam,* & reliqua pharmaca, quæ temperatæ ſint caliditatis, maioris tamen ſiccitatis, quorũ ſubſtantia tenuis ſit, & fluxilis, ſtipticitatis, & omnis mordacitatis expers. Porro ſiccitas neruoſas partes à putredine præſeruat, eas corroborat,

De neruo longitudinaliter ſciſſo.

Lib 6. meth. c. 2.

& omnem

& omnem dolorem tollit, & ob id *terebinthina*, præſertim lota, omnium cõſenſu, nullum eſt præſtantius medicamentum. Inſuper expendendum eſt, nudatos neruos non poſſe ferre vim & efficaciam medicamentorum, quæ ex euphorbio & ſimiliter acribus emplaſtris fiunt: optimè igitur eo caſu calce elota, multo *oleo roſaceo* aut *maſtichino* ſoluta, aut quod ex *pompholyge* medicamentum fit, ſalutare & tutum admodum eſt. Denique omnia medicamenta actu calida ſint, non tamen impensè & guttatim inſtillanda, & linamenta mollia imponenda, & pars fouenda, vt dictum eſt.

De neruorum ſciſſione tranſuerſa.

Quòd ſi tranſuerſim neruus ſcindatur, conſiderare tũc oportet, an ex toto, an ex dimidia parte ſauciatus ſit: nam ſi totus præciſus fuerit, metus nullus inſtat, licèt debilis ſuperſit particula, præſertim ſi neruus inſignis fuerit magnitudinis: cuius curandi ratio communis eſt cum ea, quam mox explicuimus. Verùm ſi tantum ex dimidio ſciſſus ſit, conuulſionis aut phlegmonis maius impendet periculum, communicata inflammatione à diſſectis fibris ad non diſſectas, & conuulſione ab ipſis non ſectis excitata. Quo caſu longè tenuiori victu inſtituto lõgiùs licebit ſanguinem extrahere, & vt conſulit Gal. *oleo calenti* vbertim & ſæpiùs in die inungere oportebit: ſi in manu aut brachio fuerit vulnus, axillas, collum, & ſpinam: ſi in crure aut pede, inguina, pecten, & ſpinam. Mox verò conſiderare oportet morbi naturam, hoc eſt, neruum tranſuerſim præciſum, qui ſui vnionem indicat, priùs tamen cutis, ſi non ſatis pateat, ampliori diuiſione aperienda dilatandaque eſt: poſtea ſutura vna cum carne, ſi fieri poſſit, diſcuſſum neruum vnire oportet, neruis priùs cõiunctis, & veluti adhærentibus, quo tempore carnem profundiùs ſuere oportet, neruis intactis, hos enim ſuere non licet, nam ſat eſt ad vnionem, coalitus, quem efficit & conſeruat carnis profunda ſutura, hoc enim tutius eſt: nam punctura ex ſutura facta, aut ignis contactu, ſummoperè læduntur neruoſæ partes. Poſtea adhibebis torundam per infimum emiſſarium, vt antea dictum eſt, *terebinthina* & *vitello oui* imbutam: aut ipſam *terebinthinam calidam* inicies guttatim, & deſuper appones aliquod ex emplaſtris, quæ mox referam, ſi priùs dixero, quod ſi ichor aliquis, aut ſubtilis humiditas á vulnere emanauerit, ad ſicciora tranſire licet: nam ea, quæ viriliter exſiccant, licèt ea nerui excarnes non ferant, in tranſuerſalibus vulneribus admittuntur: qua ratione in duris corporibus nequaquam verendum eſt eis vti, q.r. *terebinthinæ* ℥.ij. *olei hypericonis* ℥.j. *ſulphuris viui non petroſi, ſed leuis, ſubtiliter puluerizati*, ʒ.ij miſce, & aliquantiſper bulliant. Præſtat & aliud, q.r. *olei terebinthinæ, maſtichini, & lumbricorum, ana* ℥.ij. *euphorbij recentis & ſubtiliter puluerizati* ʒ.iiij. *croci* ℈.ß. miſce. Ex vſu quoque eſt aliud, q.r. *lumbricorum præparatorum* ʒ.iij. *caudæ equinæ* ʒ.ij. *pulueris betonicæ & vrticæ, ana* ʒ.j. *olibani* ʒ. iij. *carnium limacum, quod ſatis ad vniendum reliqua*. Quod ſi hæc non ſuffecerint ad exſiccationem vlceris, curabis dolorem omnibus modis mitigare, quo minus trahatur ad vulnus, ſuperpoſito emplaſtro, cui inſit virtus corroborandi, exſiccandi, ac putredinem inhibendi ſine multa adſtrictione: quod poteris conficere ex *dictamno, matricaria, polio, chamæpityos, conſolida, iba, betonica, lumbricis terreſtribus, & farina lupinorum, fabacea, & oleis ſupradictis*. Quod ſi ſuſpicio inflammationis ſuboriatur, hoc emplaſtro vtêris, quod recipit *florum roſarum & myrti ana m*.j. *betonicæ, camemali, ana p.ſ.* coquantur *in vino rubro*, & piſtentur, & adde *farinæ hordei* ℥.iij. *farinæ fabarum* ℥.j. *olei roſati & maſtichini ana* ℥.j.ß. *lixiuij quod ſatis, vt fiat emplaſtrum*. Verùm ſi tranſierit ſeptima dies citra inflammationem, aut aliud accidens, mundificatiuo ex melle vtêris, quod recipit *lithargyrij vino albo loti* ℥.ij. *olei maſtichini, ceræ, & mellis, ana* ℥.j. miſce. Quod ſi his omnibus factis vniri vlcus adhuc non poſſit, puluere vtêris ad vnionem vtiliſſimo, quod recipit *pulueris lumbricorum terreſtrium præparatorum, grana tinctorum, equiſeti, olibani, ariſtolochiæ, ana partes æquales*, miſce, & fiat puluis tenuiſſimus, quo ſinus impleatur. Huic etiam vſum præſtat vnguentum, quod recipit *centauri minoris, plantaginis, cynogloſſæ, piloſellæ, conſolidæ vtriuſque ana m*.j. *vermium terreſtrium* ℔.ß. cum modico vino & aceto terantur, & macerentur ſeptem horis, deinde adde *ſepi arietis* ℔.j. *picis, reſinæ, ana* ℥.iij. coquantur ad aceti & vini conſumptionem, & colaturæ adde *ammoniaci, galbani, opopanacis, in aceto diſſolutorum, ana* ʒ.v. *terebinthinæ* ʒ.j.ß. *thuris, maſtichis, ſarcocollæ, ana* ʒ.iij. *croci* ʒ.ij. *ceræ, q.ſ.* fiat vnguentum, quo vtêris maximè in robuſtis corporibus, donec partes ab accidentibus immunes vnitas eſſe comperias, & curationem finies *emplaſt. barbaro, aut diapalma, vel emplaſt. Græco*.

De neruis punctis.

Lib. art. me. c. 22.

Lib. 4. Method. c. 24.

1 de conſt. pha ge.

Galen. de neruorum tendonumve puncturis ſic refert, eadem verba Paulo & Aëtio atteſtantibus: *Nerui & chordæ punctura, propter ſenſus vehementiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, promptu eſt ad neruorum conuulſionem excitandam, ac tunc præſertim, cùm nihil extrorſum expirat, obcæcato cutis vulnere*. Quibus conſtare videtur, puncturarum quaſdam eſſe hiantes, apertas, & manifeſtas, & rurſus alias & longè grauiores occultas, & in quibus ora & extima caro & cutis ſic inter ſe coniunguntur, & coëunt, vt ſenſum effugiant. In quibus profectò ingentes dolores, conuulſiones, febres, inflammationes, ac deliria ocyſſimè & lethaliter ſuccreſcunt, niſi magna diligentia præueniatur.

Curatio neruorum punctorum.

In cuius vulneris curatione plurimum confert oras anguſtorum vulnerum punctorum eſſe apertas, vt calidum medicamentum extrinſecus applicatum, per eas vapores educat, attrahens humiditatem circa affectum locum in alto latentem. Qua de re in huiuſmodi puncturis orificium in cute duabus ſectionibus rectis diuideſe oportet: ſectio autem ad modum crucis debet fieri, nam hæc eſt, quæ rectos angulos conſtituit: item ſanguinem exire permitties: tandem curabis, ne labra coaleſcant, ſed ſic aperta cuſtodies, quo coaceruatæ humiditates minùs ibidem morentur, ſed virus perpetuò effluat. Cauebis tamen, ne ſciſſio admodum patula ſit, ne detegatur plurimum neruus. Quibus factis, diligenter curabis dolorem mitigare, inflammationem & accidentia inhibere: quod facies, ſi aërem tepidum parareris, cubiculum lene, habitationem iniuriis temporum præmunitam, & vltimò victu tenuiſſimo inſtituto, donec tempus accidentium præterierit, ſaltem ſeptima dies. Præterea mox á principio ſanguinem mittes iuxta virium robur & accidentium ſæuitiam, aut corporis plenitudinem.

Item

Item, ventrem curabis mollem eſſe, tum clyſmatis, tum leui pharmaco, vt antea dixeram, & paulò diſtautiùs á parte affecta defenſinia appellatis vtêria, quale eſt, quod ex bolo conficitur vulgaritet.

His autem præmiſſis, puncti nerui curatio medicamenta expoſtulat, quæ & tepidum calorem excitent, & validè ſiccent, tum quæ ex ſubſtautiæ ſuæ natura attrahendi vim habeant, & tenuiom ſint partium, ſiquidem nodato oeruo, omne curantis conſilium eò dirigi debet, vt minima cum roſione ſiecet. Huius naturæ medicameota ſunt *oleum ſabinum, ſambucinum, irinum, ſicionium, de terebinthina, aut iaſminorum, aut oleum in quo ſirbuerit terebinthina*, quæ citia dolorem ac motſum (quod maximè caueodum eſt, vt Gal.

Lib 3 art. med.

conſoloerat) ad Intima permeare poſſit: qoæ

Lib 6. Method.

etiam actu calida adhibenda ſunt, & eis admiſcebis *euphorbij modicum, vel ſulphuris viui*, quantum cum oleo tenoi ad ſordinm ſpiſſitudinem redigi

Lib. 5 Aph.

poſſit. Laudat etiam Gal. *terebinthina cum ſulphure aut euphorbio* vſum, tanqoam vnicum præſidium, aut ipſam ſolam, quæ tenuis ſit, clara, iota *vino*, aut *aqua betonica*. Ex quibus varia apnd antiquos & Iuniores inuenies parata medicamenta, ex quibus guttatim inſtillabis in vulnus parum: & deſuper appones vuguentom, quod recipit *reſinæ pini claræ & odoratæ* ℥.xij. *olei laurini, terebinthinæ ana* ℥.ij. *gummi elemi electiſſimi* ℥.iiij. pooantur primò *reſina & gummi* in vaſe æneo nitido ſuper ignem leotum, cum perpetua agitatione, donec liqueſcant: deinde addatur *laurinum* & *terebinthina*, & iterum bnlliant, & pariter agiteotur, & cùm craſſitiem acquiſierint, per ſtamineam percoletur, & quod ſtillauerit, ac percolatum eſt, vſui ſeruetur io vaſe vitreato, & vſus tempore extendatot ſuper tenue cotium, ac ſupra vulnos, & eius circumferentiam apponatur, eſt enim mirabilis efficaciæ. Cnins loco vti poſſumus emplaſtro *de gummi elemi*, vel de *centaura Guidonis*, aut ex *farina fabarum, hordei, orobi, pari portione, decocta in lixiuio & oxymelite*. In circuitu autem vlceris, qoo partes & minùs doleant, & minùs inflammentur, fouere oportet *oleo roſaceo, maſtichino, aut camemelino, vel lumbricorum*. Quod ſi res ex voto ſucceſſerit, perſta in his, donec integram conſequaris ſanitatem.

Symptomatum in neruis punctis curatio, & 1. Doloris.

Verúm cúm in huiuſmodi curatione ſymptomata maioris ſint momenti, ob id ea præcauere, vt dictum eſt, oportebit, ac ſi adſunt, mingare ſedula diligentia, initio ſumpto à dolore: quem mitigare poteris, & ſimul ſaoiem extrahere, primò mitiotibus, vt *oleo ex vitellis ouorum, roſarum, lumbricorum, aut oleo vetuſto, aut iaſminorum, vel ſabino*, idque facito ter quaterve in die, dum calorem nanciſcuntur temperato maiotem, & vlcus eo tempore leniter abſterges *goſſypio ſapa madido & expreſſo, atq; calente*. Confert & id, qood recipit *euphorbij* ʒ j. *olei roſacei & lumbricorum ana* ℥. j. coquantur, & coletur olenm. Præterea ex vſu eſt emplaſtrum, q.r. *muſci quercini m.ij. furfuris p.j olibani* ℥. j. coquantur io vino, donec in formam poltis redigantur. Alterum recipit *micæ panis in lacte bubulo imbutæ, olei roſati & camemali, & vitella trium ouorum, & ex reliquis q.ſ.* fiat emplaſtrum, quo vtere, quantum par ſit, vt doloria vrgentia mitigetur: nam in neruorum vulnetibus nulla ratione adhibenda ſunt, quæ humida aut ſuppuratoria exiſtunt, & ob id ad alia protinus eſt tranſeundom. Præſtat & aliud ex *floribus camemalis, ſertulæ campanæ, maluarum, farina hordei, cum iure capitis veruecis & cribratis, addito roſaceo cum ſapa & vitellis ouorum*, fiat emplaſtrum, cui adde *pulueris vermium terreſtrium* ʒ.iiij. *vnguenti roſati* ℥.j.ß. Securiùs aotem conficies ex *farina fabarum & lentium cum ſapa, lixiuio, & oleo roſaceo, & camemelino, ac terebinthina, & croco*. Quòd ſi dolot adeo ſit vehemens, ad maiora cogit vrgentiæ ratio peruenire, quale eſt, quod recipit *mica panis in lacte bubulo macerata, quod ſatis, papaueris albi modicum, opij* g̃. iiij. contundantur optimé, & calida loco dolenti adbibeantur, tandem omni diligenoa oleis & emplaſtris partem fouebis.

Verùm ſi conuulſio fiat, coniectabile eſt in vulneribus neruorum, pletunque ex repletione ſucci mordentis ſuccreſcere, lacertis, tendonibus, aot neruis, aliena humiditate replenis, qua nonnunquam inflammatiooē patiuntur, & conuulſi ſunt: licet aliquando ex acri materia irritant motus potius conuulſiuos, cerebro quoq; compatiente fieri comperiamus. Quibus cognitis II. Conuulſionis.

cauſis, eodem victu tenui vtêris: ſed qui ſit facilis, & boni ſocci, quo vires non pericliteutur: ac ſi ſufficientet ſanguis miſſus non fuerit, parcè tamē iterum mittes, noo qoidem, quantum exigit affectio, vt Galeous conſuluerat, quia opus eſt viribus robuſtis. Purgabis igitur corpus, & frequentibus clyſmatis aluum turbabis: tandem capot, collum, totamquē ſpinam dotſi innnges *oleo liliorum calente, laurino, coſtino ſpicato, ex pulegio, aut cumino cum caſtoreo, vel ex terebinthina*, quibna aromatum aliquid adiicies: confert & *vnguentum marciaton*, vel *pinguedo lupi*, aut *vulpis*, aut *parui canis*. Quod ſi oon profuerint, baloea olei communis ex decocto *hyſſopi, calamenti, pulegij*, & ſimiliom, proficua erunt. Si tamen conuulſioncs, deliria, ac febris, nulla cooueoientium vi remittantur, ex Galen. & reliquotum veterum decreto oeruus totus præcidendus eſt, & pariter ſi puncto muſculi capite coooulſio fiat: ſine motu enim aut ſenſu particula ſupereſt, cæterum accidentia temittuntur, & ſuperſtes manet laborans.

Lib. 1. ad Glau.

Lib. 1. de morb. mul. c 6. Lib. 6. meth. c 3. & lib 3. c. 9. Item Aetius 14 c. 29. & Paulus lib. 4. c. 54.

Quod ſi inflammatio vtgeat, conſiderandum eſt, an in vna, vel in plutibus partibus (vt ſæpe in netuorum vulneribua accidere ſolet) adnaſcatur, & vtcuoque ſit, eam præcauere oportebit: aut ſi adfuerit, mitigare, & reſolnere: quippe neruoſarum partium inflammationes non admittunt medicamenta, quæ aliis inflammationibus ſunt proficua: oerui eoim nullam refrigerationē aut repercuſſionem admittunt, ſed ſanguine miſſo, & defenſiuis ſupra partem affectam appoſitis, inflammatis, ea ſunt adbibenda, quæ dolorem leniant citra humiditatem, vt *roſaceum* iuxta vulnus irrigatom ter quaterve in die. Poſtea diſcotere, quod influxit, oportet, & partem roborare, quo minús recipiat, & magis ac faciliùs receptum diſcutiat. Qua ratione ab antiquis quám plurima comprobantur medicamenta, veluti *fabacea farina, orobi, cicerum, hordei, lupinorum, cum oxyrhodino, aut oxymelite*, vt recipe *granatorum ſemidulcium, num.ij.* decoquantur in vino oigro, & ſubtiliſſimè terantur, & tranſmittantur per cribrum, & adde *farina hordei* ℥.ij. *pulueris foliorum roſarum & camemali ana* ℥.j. *olei roſati, & rob.q.ſ.* pro emplaſtro. Tranſ-

Inflammationis neruorum punctorum mitigatio & reſolutio.

acto

acto principio, diſcuſſionem materiæ curare oportet eo, q.r. *foliorum maluarum, violarum, & roſarum, meliloti, ana p.j. hordei, fabarum detractis corticibus, ana p.j. medullæ panis* ℥.x. bulliant in ſufficienti aquæ quantitate, donec hordeum aperiatur, deinde per cribrum tranſmittantur, vbi ſubtiliſſimè contriueris, & adde *olei roſati completi, camomelini, ana* ℥.ij. *rob. q.ſ.* fiat emplaſtrum. Tandem quo magis quieuerint accidentia, eo magis reſoluentia addere oportet. Verùm ſi ad ſuppurationem vergat inflammatio, ad ſuppurationem confugiendum eſt, ſed quæ vim habeant calfaciendi cum temperata humiditate: fiat igitur cataplaſma ea *farina triticea, communi oleo & aqua, aut ex farina triticea, ſapa, & oleo roſaceo*, addes tamen *camomali nonnihil*; & ſanie collecta curabis quàm citiſſimè extrahere, facilè enim neruea ſubſtantia computreſcit, quod ſummopere cauendum eſt in hac curatione.

Cæterùm quia nerui ſubſtãtia ex humida materia á frigido coagulata efficitur, ob id á calidis & humidis, aut á ſanie non expurgata, vel ab inflammatione prauè curata in putrediné & corruptionem degenerat, ſuccreſcente nonnunquam adeò copioſa humiditate, aut craſſiori ſubſtantia, quod niſi citò præueniatur, in integram membri corruptionem coniectandum ſit affectum commigrare. Quo fit, vt cauſticis medicamẽtis, & valenter exſiccantibus vtendum protinus ſit, vt eſt *vnguentum Ægyptiacum, vnguentum rubrum*, & alia, quæ ex *myſi calcitide adusti, ſquama æris*, & ſimilib. fiunt, quorum ſyluam reperies *cap. de Eſthiomeno*.

DE VVLNERIBVS VENARVM, & arteriarum, ac de ſanguinis profuſione.

INSTITVTIO V.

CVM difficile admodum ſit venarum vulnera curare, & longè difficilius arteriarum, quia ſanguinis & ſpiritus profuſiones & periculoſæ & difficiles exiſtunt, præterquã quod plerumq; accidat in magnis vulneribus, diligenter oportet harum partium vulnera & ſanguinis fluxiones hac inſtitutione docere curare, & compeſcere. In qua agendum eſt, de vtriuſque partis vulnere, & ſanguinis fluore, qui longè magis vrgere ſolet. In primis ſtatuendum eſt, quod licet multis modis ex vena & arteria ſanguinem fluere conſpiciamus, nimirum aperta, exeſa, aut vulnerata, nos hac in parte non loqui, niſi de vulnere venæ & arteriæ. Vulnerantur etenim huiuſmodi vaſa ab inſcindentibus gladio aut ſagitta: ab his, quæ rumpunt, vt caſus, ictus, aut repletio vaſorum, vel á lapide aut ligno contundentibus.

Conſtabit aliquod prædictorum vaſorum eſſe diſſciſſum, ex vulnere copioſum ſanguinem profundente. Sit ne vas arterioſum, cognoſces, ſi ſanguis cum impetu aut ſaliendo profluat, ac flauus feruenſq; appareat: quòd ſi craſſior ſit & nigrior, cum quiete, ſine pulſu ac citra ſaltum effundatur, indicium eſt, ipſum á vena fluere.

Vtcunq; tamen ſit, omnium ſententia periculoſum eſt, ni citò præueniatur. Quippe accerſit protinus ſyncopen, conuulſionem, ſingultum, & delirium, ac ſi ex arteria fluat, longè citiùs mala hæc ſuccreſcere conſpicimus, & protinus mortem. Cum hoc tamen ſtatuunt authores nõ contemnendi, arteriam per tranſuerſum diſſciſſam, citiùs coaleſcere, quàm ſi longitudinaliter vulnerata fuiſſet, ob dilatationem, quia hoc modo dirupta non permittit coalitum: vtcunque tamen fiat, difficilior eſt ſanatu arteria, quàm vena.

Venarum & arteriarum vulneratarum curatio.

Curandi autem ratio duabus tantùm indicationibus conſtare videtur: primò, adfluxus cohibitionem attinente, qui maioris eſt momenti & vrgentiæ: ſecundò, ad vulneris coalitum. Primus inſuper tribus omnino modis completur: auertentibus nimirum, tum ſanguinem, tum ipſius impetum reuellendo, aut deriuando: item ſanguinem incraſſantibus, & topicis auxiliis. Reuellunt autem citra euacuationem (nam in magnis profuſionibus id eſt laudabilius) cucurbitæ ſiccæ, frictiones, ligaturæ partium oppoſitarum. Verùm ſi non profuerint, ad venæ ſectionem erit perueniendum, ex parte oppoſita, quæ parca ſit, & repetita: Deriuationes verò in his fluxionibus raro ſunt ex vſu, licet aliquando proſint. Quo facto, vtendum eſt frænantibus atque intercipientibus ſanguinis impetum, quorum alia ſunt incraſſantia: vt *lentes, oriza, iuiuba, fructus omnes ſtiptici, ac ſyrupus ex roſis ſiccis, & cotoneorum*: alia ſtupefacientia, & ſimul condenſantia ſanguinem, & vias, veluti aqua frigida, tum epota, tum circa locum, ex quo profluit ſanguis, proiecta, minimè ſupra vulnus ipſum: nonnulla etiam frigida, vt *ſyrupus ex granatis, roſis, portulaca*, & ſimilium. Quod ſi his factis non quieuerit ſanguinis fluxus, ad topica auxilia deueniendum erit. Primo igitur ex vſu erit digiti admotio ſuper os vulneris blandè & ſine dolore comprimens: item vulnus forinſecus faſcia alligabis ex tenui linteo, cuius faſciæ primi quatuor quinqueve amplexus profluenti vaſi inicientur, abhinc vaſis radicem verſus ducere licet, præterquam in cerebri membranis. Præterea *puluilli ex ſtupis oxycrato madefacti & expreſſi* vtẽtis, qui poſt admotionem pulueris adſtrictorij vulneri alligandi ſunt. Quod ſi in promptu non ſint, poſt admotionem pulueris *tres aut plures panni linei oxycrato madefacti & expreſſi* medicamento ſanguinem ſupprimenti imbuantur, & vulneri applicentur. Præſtat inſuper ſutura (maximè vbi nulla partis ſubſtantia deeſt) qua facilius labra vniantur: ſic vulnere repurgato á ſanguine concreto, ipſius vulneris labra in idem adducenda ſunt, manuum opere, vbi ſic ad manus vulnus ſe exhibet: poſtea conſuantur ſutura communi, qua qui pelles ſuunt, facere ſolent, præſertim ſi magno impetu ſanguis prorumpat. Acus autem, dum vlcus ſuitur, ſatis altè in carnem mittenda eſt: poſt hæc puluis adſtrictorius ſuperponendus erit, deinde ſtupæ *oui albumine & puluere adſtringente* imbutæ ſuperponendæ ſunt. Quibus peractis, membrum affectum deligandũ erit, & ſitu appoſitiſſimo collocandum. Quod ſi conſui non poſſit vulnus, quia aliqua deeſt

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantia, linamentis, & ellichinis, *aceto, oui candido, vel adſtringenti medicamento* imbutis & expreſſis, vulnus opplendum erit, & deſuper ſpongia aqua frigida expreſſa, imponenda, & obliganda eſt

Verùm ſi adhuc his factis non ſubſideat fluxus, ei medeberis præciſione totius venæ vel arteriæ, quando ſcilicet in profundo deliteſcit, & mox puluis aliquis ſanguinem cohibens ſuper vulnus imponendus erit, ac deſuper ſtupæ, aut ſpongia adſtringentibus medicamentis imbuta & expreſſa alliganda. Cæterùm ſi ſciſſionem veteatis efficere, funiculo vaſi ſanguinem fundenti circumpoſito (præſertim cùm venæ vel arteriæ in conſpectu ſunt) denudato vaſe, & hamo apprehenſo, mox filo ſerico excepto valenter ipſum adſtringes, poſt hæc medicamentum agglutinans vulneri impones, & membrum faſciis decentibus deligabis, & ſitu conuenienti appones.

At ſi hæc omnia prodeſſe non videantur, ferro candenti cruſtam inducere curandum erit, idque maximè cùm vaſa ſunt putredine corroſa, & ante tertium diem ligaturam ne admoneto, niſi ſanguis fluxerit.

Medicinalia vulneribus venarum & arteriarum adhibenda.

Medicinalia verò, quę huic vſui proficua comperimus, ſunt veluti emplaſtrum, q.t. *thuris, aloës, ana* partes æquales, excipiantur *albumine oui*, & cum *pilis leporinis* apponantur. Alterum recipit *boli Armeni* ʒ. ij. *terræ ſigillatæ* ʒ. ß. *farinæ volatilis* ʒ. j. *gypſi, calcis viuæ, ana* ʒ. j. *thuris, aloës, ana* ʒ. ß. fiat puluis, qui albumine oui excipiatur. Aliud item recipit *calcis viuæ, ſanguinis draconis, gypſi, aloës, thuris, vitrioli, ana partes æquales, cum oui albumine, & telis araneorum excipiantur*. Eundem vſum præſtat puluis, qui recipit *boli Armeni, ſanguinis draconis, thuris, aloës, ana partes æquales*. Item alter recipit *lapidis hæmatitis* ʒ. ß. *thuris, maſtichis, boli, telæ araneorum, gallarum viridium, ranarum exſiccatarum, gypſi, fuliginis, farinæ volatilis, ana* ʒ. j. *vitrioli combuſti, calcis viuæ, tragacanthi, ana* ʒ. j. ß. *raſuræ corij arietis, vel hirci, chartæ papyraceæ, pilorum leporis, & bombacis torrefactorum, ana* ʒ. ß. *ſtercoris aſini* ʒ. iij. fiat puluis tenuiſſimus. Alia etiam reperies, quæ proprietate quadam idem beneficium præſtant, quæ breuitatis gratia ſubticeo.

Supereſt vltimò iam fluxione ceſſante, vlceri prouidere, quod ſui tantùm vnionem indicat: vnitur autem præter ſuturam, medicamentis conſolidantibus: arteria quidem ſiccioribus tantùm eget medicamentis, quantum ſiccitate venam ſuperat.

DE VVLNERIBVS ABDOMINIS.

INSTITVTIO VI.

CVM euidentiſſimum ſit, & euentu quotidiano confirmatum, ventris vulnera eſſe mille modis curatu difficilia, & periculoſa, ob id diligenter ſtudendum eſt, rationem huius difficultatis & periculi noſſe. Quapropter primò ſciendum erit, an ad aliquod vſque viſcus ex his, quæ in ventre continentur, telum peruenerit, & ipſum vulnerauerit, an ſecus: nam ex huius rei notitia pendet & periculi ratio, & curandi difficultas. Per ventrem igitur totam eam accepimus regionem, in qua à diaphragmate infra vſque ad pubis os nutrimentalia membra, & iis ſeruientia continentur, vt *iecar, ventriculus, lien, renes, inteſtina, vterus, veſica, vreteres, ſeminaria vaſa, meſenterium, omentum, & venæ ac arteriæ grandiores*: ſic ventrem Græci appellarunt *epigaſtrion*, Latini *abdomen*, & Arabes *myrrhac*. Componitur ex duplici cute interiori pinguedine copioſa, muſculo membraneo, panniculum carnoſum appellatum á neotericis, octo muſculis diuerſimodè procedentibus conſtructum, cui ſubiicitur membrana quædam prętenuis, totum ſubcingens ventrem, & interiora omnia continens, *peritoneum* appellata, ſeu *membrana abdominis*, vel *ſyphac*.

Vulnerum ventris cognitio.

Ventris igitur vulnerum cognitio adeo per ſe innoteſcet, vt ſignis non indigeat: ſat enim erit teli figuram nouiſſe, ad penetrationis aut ſecus cognitionem: ſed vlterius conſiderare oportet, an profundum ſit, vel ſuperficiale: quod ſi ſuperficiale ſit, ex tactu & ſpecillo explorabis facilè. Verùm ſi intus permeauerit, & id ductu ſpeciali cognoueris, tunc vltra inquirendum eſt, an ex partibus contentis aliqua fuerit læſa, vel ſolùm ſanguis delapſus fuerit in ſpatium ventris cauum, è quo nulla eſt extrinſecus via, quo fit, non minùs grauia eſſe vulnera ventrem penetrantia, quàm quod viſcus aliquod percuſſerit. Nam ob id damnauerat Hippocr. *in prog.* apoſtemata inteſtinorum, quæ extra rumpuntur.

Partiũ ventris quæ vulnerata ſit, vnde cognoſcatur.

Cognoſces autem *omentum* percuſſum fuiſſe, & vulnus penetraſſe, ex eius portione per vulnus promiuente. *Ventriculum* fuiſſe læſum, vt refert * Celſus, quia ſingultum patitur, & bilis vomitum, & cibum ac potum mox ab aſſumptione reddit. Præterea ſanguinis eruptio pauciſſima eſt, quia graciles ſunt illius venæ, chylus per vulnus emittitur, aut ingeſtus cibus, ſputum etiam apparet ſanguineum, & dolor acerbus, ac præcordia indureſcunt, & poſtea ſequuntur vertigines, febres, animi defectus, & syncopes, cum ſudoribus diaphoreticis, & extremarum partium perfrigerationes. *Hepate* ſauciato ſub dextra parte præcordiorum, effunditur ſanguis craſſus, interdum bilioſus accedit vomitus, ructus etiam fœtidi ſubſequuntur, pulſus parui & frequentes, laborantes fiunt triſtes, & iracundi, colore cineritio fœdati, cum tuſſicula & dolore vſque ad iugulum dextrum: febris adeſt intenſa, & vrina atque alui excrementa cruore affecta excernuntur cum putredine & ſanie, vulnere ſub ſpurias coſtas in parte dextra apparente, aut eam partem attingente: & ſi inflammatio hepar apprehendat, hæc omnia deteriora fiunt. *Lienem* affectum oſtendit vulnus in ſiniſtro latere inflictum, per quod exit ſanguis craſſus & fæculentus, cum præcordiis ea parte tenſis: adeſt & ſitis ingens. Si vulnus *inteſtinorum* aliquod permeauerit, ſtercus attenuatum, aut fœtor per id exit, nonnunquam bilis per os redditur, ac non rarò cibus & potus cum febre: & ſi ex gracilibus ſit aliquod percuſſum, eadem ſigna apparent, ac in læſo ventriculo, & affectio periculoſior, & ſanatu difficilior, econtra verò in craſſis.

* lib. 5. c. 26.

Veſicam

Digitized by Google

Veſicam vulneratam oſtendit redditus ſanguinis cum vrina, aut vrina per vulnus excreta, & nonnunquam ſuppreſſa: dolent ioguina, & iuxta pubem, bilẽ euomunt ſic affecti, & ſingultiunt: aliquando vrina redditur cum anxietate: in qoa pus aliquando apparet, incurabile vulnus eſſe arbitrantur omnes authores. *Renes* eſſe volnere perfoſſos monſtrat vrinæ cruor, vel omnimoda ſuppreſſio cum totius corporis tumore: mortis citiſſimæ præludium: adeſt dolor iuxta inguina & teſtes cũ foramine è regione illorũ illato. *Vterum* læſum oſtendit ſanguis per pudendũ fluens: dolor iuxta inguina, coxas, & femora: vomitus adeſt bilioſus, & nonnunquam fœmina obmuteſcit, aut meote turbatur, cum oculorum dolore & vulnere in infimo ventre. *Venam magnam* ſauciatã eſſe oſtendit magna ſanguinis nigri profuſio cum extremorum frigiditate, & pulſus languore, & ſudore frigidiſſimo, atque animi defectione. *Arteriam* verò ſanguis ſpirituoſus impetuoſe fluens, floridus, ruber & copioſus, cum ſyncope, & breui morte.

Ceterum cùm nullum prædictorum vulnerũ periculo careat, hoc minus & tardius accedit, illud verò magis & citius, prout ſymptomata ſuccreſcunt grauiora aut minus grauia: ob id anteq̃ ſuperueniant, ꝓuidendum eſt diligentia ea præcauere, & vulneri ſubuenire. Quod ſi ſimplex ſit, nec omnino poſthabeodũ, nec timendũ erit: facilè enim vel ex ipſo partis rore hæc vulnera ſanantur, niſi aut corpus ſit prauis ſuccis ſcatẽs, aut aliquis muſculorũ abdominis adeo læſus, quod conuulſionem vereamur, vel difficilem partium coalitum: quia reſpirationi naturali ſunt opus, & ad vẽtris excrementa ꝓpellenda. Quo fit, vt hęc omnia conſiderare expediat, tum ad præſagium, tum verò ad præcautionẽ: & ob id ſimplici vnione coniungere labia oportet, ſutura & faſciis ac agglutinantibus calidioribus adhibitis.

Semota omni vulneris complicatione, ſiue telum inflictum ſit, ſiue ſanguinis fluxus, ſiue ſymptoma aliquod adſit, aut inflãmatio, vel intemperamentum, coniicere mox oportet, an *omentũ* per vulnus excidat, an intro percuſſum fuerit, hoc enim nullam aliam in artifice diligentiã requirit, quam vulnus curare: illud verò maiorem requirit, nam cum membrum hoc adipoſę ſit naturæ, facilè alteratur & corrumpitur, & ob id inſpiciendum eſt, an aliquam ab ambiente acceperit mutationem: quod ſi nullam acceperit & album apparuerit, ilico ipſum in propriam ſedem repones, leuiter ac blande manibus ꝓpellendo, ſucceſſiue tamen & paulatim, donec ingreſſum fuiſſe percipiamus. Quòd ſi perfrigeratũ aliquãtiſper apparuerit, *vino tepido*, aut *aqua decoctionis camemali & betonica* foueatur, donec coaleſcat & molle fiat, & ſi opus fuerit, vulnus leuiter dilatare, ſeruatis inteſtinis, poteris, quo faciliùs ſubingrediatur. Verùm ſi putruerit, aut incorrigibile alteratione in prauum colorem mutetur, ſequi oportet Gal. conſilium, qui de hac curatione ſic ſcribit: *Nos verò quoniam ſcimus cibi ſubſtantiam compoſitã eſſe ex pelliculis, ſiue tenuibus membranis, ac arteriis veniſq́; quàm plurimis, quorum initia ex maximis orta ſunt, ſanguinis quidem profluuia cauebimus: proinde id quod ſupra nigricans poſitum eſt, vinculo excipiemus: quod poſt vinculum eſt, amputabimus, curantes vt vinculi fines extra vulnus pendeant, quod nimirum facilè eos, cùm ex vulnere ſuppurante eiiciuntur, accipiamus.* Quo fit, vt cùm denigratum aut fuſcum fuerit, nulla ratione reponendum ſit, ſed fuſcam partem totã, vſq; ad albam & ſinceram amputare decet, modo dicto à Galen. Celſo, Paulo, & reliquis authoribus; repoſito omento, vulnus ſuere oportet, & curare vt inferiùs leges.

Omenti per vulnus excidentis curatio.

Lib. 17. c. 16. lib. 6. c. 32.

6. Meth. c. 4.

Quòd ſi inteſtinorum aliquod prolabatur, inſpiciendum tunc eſt, an ipſum quoq; vulneratũ ſit, aut ſecus: ſi primum, mox abluere vino oportet, in quo *abſynthium, camemalum, melilotum, anethum & roſa* fuerint incoctæ. Deinde ipſum ſuere oportet pellionum ſutura, & vtraq; fili pars extra ventrem promineat, vt glutinato vulnere poſſit retrahi. Neque obſtet huic operi Galen. qui gracilia difficulter vniri, & ieiunum impoſſibiliter ſcripſit. Cumq́; inteſtinum conſutum fuerit, reſpergatur *maſtiche* vel quouis puluere adſtringente, & agglutinatorio, & in cauum ventris immitatur. Verùm ſi inteſtinum læſum non ſit, & excidat (quod nuſquam fiet, niſi muſculis abdominis rectis præſciſſis, & aliquando obliquis, craſſa quippe non excident, niſi medius venter ſcindatur) extra prominens, verendum eſt ne inflammetur, ne in tumorem flatuoſum creſcat, vt reduci non poſſit. Tunc quidem primò fouendum eſt vino, in quo ferbuerint *aniſum, fœniculum & cuminum cum melle*, aut catellum vel columbã, vel gallinam per medium ſcindes, & puluere ex diſcutientibus flatum reſperges, & inteſtino tumenti admouebis. Quod ſi flatus ita diſcuti non poſſint, nec inteſtinum ſuo loco reſtitui, vulnus dilatare obtuſo ferro, ne ampliùs inteſtina lędãtur, oportebit, & quo faciliùs inteſtinum poſſit remitti. Ceterum in ſciſſione curandum eſt in vulneribus rectorum abdominis muſculorum, per rectum efficere, etiam ſi tranſuerſis noceas: nam ob colligantiam quam habent, melius hæc ferre poſſunt, quàm ſi contra feceris.

Inteſtinorũ aliquod prolapſum quomodo curetur & reponatur.

Inteſtinis in ſuum locum reſtitutis, curandum diligenter eſt vulneris labra vnire, & ſutura vnita continere. In qua re, licet varii ſint ſuturæ modi, noſtri temporis Chirurgi ratione & experimento ducti, ſolùm vtuntur eo qui labra profundiùs ſimul omnium diuiſarum partium apprehendit acu incurua, longiuſcula, triangulato cuſpide, & filo lineo duplici & æqualiter traiecto, pellionum ſutura ſimili coniungit. Quo facto agglutinatoriis vtẽris medicamentis: inter quæ vtiliſſima *terebinthina calida* cum aliquo puluere reſtrictiuo, & tranſactis tribus quatuorve diebus vtẽris emplaſtro *barbaro appellato*, aut eo quod ex *vitumine, & aceto* paratur: ſed vtilius eſt, quod *diapalma* appellatur: interim tamen inguina *oleo roſaceo & maſtichino* fouebis, & conuenienti ligatura partẽ & ventrem conteges: corpus deinceps quieti obſeruanter mandabis, & cubare ſupra latus vulneri contrarium curabis. Præterea præcauere oportet, ne vel pars inflammetur, vel alia accidentia ſuccreſcant, ſanguine ſufficienter miſſo, & tenui victus ratione inſtituta: in qua re plurimũ purgationi innitendum non eſt, niſi inclinante malo, neq; vomitui: ſat enim erit clyſmatis emollientibus ad fæcum duritiem vti, vel agglutinantibus, & adſtringentibus vulneris ratione, quale eſt ꝙ recipit *ius caponis, aut inteſtinorũ vel extremitatũ vervecis, in*

becis, in quo hordeum, camemalum, anethum & furfures coxerint, & *vitellum oui ac mel roſaceum ſuperaddes.* Et poſtea aliud conficies ex *vino auſtero*, & *drachma vna pulueris adſtringentis*, præſertim ſi vulnus in craſſis inteſtinis fuerit. Deinceps quid agendum ſit monſtrant ſymptomata: nam curandũ eſt dolorem, & tormina inteſtinorum ſedare fotu vini, in quo ferbuerit *ſemen aniſi aut fœniculi, melilotum aut camemalum & abſynthium.*

Vẽtriculus læſus quomodo curetur. Ventriculo læſo vulnus eodẽ modo curetur: cæterum cibaria ſint leuiora, vt *panatella, amylum*, & reliqua huius naturæ, & potus aqua chalybeata, fugiendumque erit ab omni purgatione ex eligente trahenteq; pharmaco, ſat enim erit *caſia vel manna*: affectio quidem huius membri periculoſiſſima eſt.

Itemque iecur, Iecur autem ſauciatum lethale damnũ affert, tantoq; grauius, quanto in eo vas aliquod grandius diſſciſſum eſt, perit enim protinus cor defectu alimenti, antequam ſanguinis impetus compeſcatur. In cuius ratione victus ſit tenuis, ceterum copioſi nutrimenti & agglutinantis virtutis, vt *ius extremitatum animalium cum borragine, intybo, lupulo, plantagine & ſimilibus*: vtatur *panatella, & aqua chalybeata, vel decocta cum roſis ſiccis.* Secetur vena, præſertim iecoraria oppoſiti lateris, à qua paulatim ſanguis bis terve extrahendus, & leuiter iecur & ſanguinis maſſa *diluto rhabarbari ex aqua cichorii & plantaginis* purgetur, vel clyſmatis vtatur ex *decocto conſolidæ maioris, equiſeti, centaurii maioris, addito ſacchara & oleo myrtino.* Vtatur laborans *tragacantho, bolo ex ſpodio, terra ſigillata, ex bolo Armeno, cum ſucco pentaphylli aut arnogloſſa, tabellis ex rhabarbaro & ſimilibus.* Ventri (quia vereri ſanguinis fluxum ſemper oportet) adhibeantur medicamenta ſanguinem ſiſtentia, vt *ſuccus equiſeti, plãtaginis, pentaphylli, piloſellæ cum thure, aut manna thuris, vel puluere rhabarbari, ſanguinis draconis & centaurii maioris ac ſimilium.* Inunges quoque dorſum & ventris regionem nuper dictis oleis, addito *oleo abſynthii.*

De liene affecto nil ampliùs dicendum eſt, quã fugienda eſſe (ſicut in iecore) medicamenta nimium calida aut adſtringentia, ne abſumpta tenui, & nutritura humiditate, craſſa remanente, in duritiem immedicabilem degeneret. Quibus conſideratis, facilè erit reliquorum membrorum prouidentiam habere: renes enim ferè eodem modo præcauendi & curandi ſunt. Veſica tamen raró coaleſcit: atqui cum hoc auxilia prædicta ſupra pubem adhibenda eſſe conſulit benigna Medici conditio. & Lien, ac Veſica.

DE VVLNERIBVS THORACIS.

INSTITVTIO VII.

THORACEM Medici omnes eam noſtri corporis partem appellant, quæ eſt inter clauiculas, & inter ſeptum tranſuerſum. Diuiditur autem interius ſecundum ſui longitudinem in duas partes, à validis quibuſdam membranis, quæ anteriori parte, oſſibus pectoris, poſteriori ſpinæ vertebris inſeruntur, *mediaſtinum* à Græcis nuncupantur: nec propter hoc duo ventres, ſed vnus tantum eſt, continens *cor cum eius capſula, phrenas ſiue diaphragma, pleuram, venam cauam, arteriam adorti, aſperam arteriam & œſophagũ*: quæ omnia membra ea dignitate & præſtantia prædita ſunt, vt vulnerata maximum periculum inferant, & Medico curaturo magnũ negocium. Et ob id thoracis vulnera adeò ſunt periculoſa, quòd nos monent diligenter tractare cognoſcere, quà tendant, vt poſſimus finem artis in re hac grauiſſima conſequi. Prætermiſſo ſimplici thoracis vulnere, vtpote quod nihil euariat à communi curatione, reliquorum, quę thoracem perforant, meminiſſe ſolùm oportet.

Thoracem perforatum eſſe, vnde dignoſcatur? In his itaq; vulneribus prętet morbum & cauſas (quæ vel inſcindentes vel pũgentes ſunt) particulas affectas intra thoracem diligenter curandum eſt dignoſcere. Primò thoracem eſſe perforatũ monſtrat anhelitus per vulnus emiſſio, maximè ore & naribus clauſis, quod per candelam ardentem & lanam carptam, iuxta vulnus poſitam percipies, ſi vel flamma dimoueatur, vel pilus lanæ. In qua re duo tibi ſunt expendenda: primum eſt, aërem illum non eſſe portionem eius qui ore aut naribus fuit attractus: quippe is ad pulmonem ſolummodo peruenit: qui verò per vulnus exit, is eſt qui per idem vulnus permeauerat in thoracis dilatatione: quo fit vt ſic affecti non raró voce priuentur, quia maior aëris portio trahitur à thorace per vulnus, quàm ad pulmonem per os, & ſic deficit in efflatione ad vocem materia. Secundum eſt, non ſemper hæc vulnera, quantumuis ſpecillo id exploratum ſit, ad inanitatem thoracis permeare, quia mediaſtinum tunica, quæ thoracem iuxta os enſiforme diuidit longitudinaliter, interdicit, ita vt conſpiciamus ea parte fiſtuloſa vlcera, & confuſum thoracem non permeare ad cauitatẽ gratia prædictæ tunicæ: & ſic medicamenta, quæ iniiciuntur, ibidem manent, citra id quod aliquid eorum intra thoracis cauitatẽ prolabatur: quod nouiſſe ad rectã curationem maximi eſt momenti. Quibus ſignis accedit laterum dolor & grauitas, põdus iuxta mendoſas coſtas ex ſanguine ibidem prolapſo, item ſputum ſanguinolentum. Et quia pleuram ſimul perforati eſt neceſſum, tuſſis ſequitur, plerumq; ſicca, dolor validus, quia valida eſt, neruoſa, diuidi contumax, & maximè ſenſibilis, quo fit vt inflammationes & conuulſiones non raró accerſat ac febres.

Cordis vulnus monſtrat nigri & craſſi ſanguinis magna profuſio, ſi dextra eius pars ſauciata fuerit: ſi verò ſiniſtra, florentiſſimus & clarus effertur, venæ totius corporis æqualiter langueſcunt, faciei color pallidus fit, ſudores frigidi & praui odoris prorumpunt: pulſus euariãt: extrema frigida fiunt, animus deficit, & citiſſimã mortẽ minatur: nam cor ob innatã nobilitatẽ diuortium non patitur. At ferè eadem ſigna ſuboriuntur vena caua intra thoracem vulnerata. Cordis vulnus quid monſtret. Itemq; venę cauę intra thoracem.

Pulmo cùm thorace perforato ſauciatur, ſpirandi difficultatẽ procreat, ſanguinem ſpumeũ, clarum, rubeum, ſine dolore fundit, non tñ valde calidum: ex ore tamen ſubitò tuſſiendo, multus interdum ſpumoſus & rarus emittitur: ex vulnere Pulmonis thorace perforato ſauciati ſigna.

nere aër cum ſoniru exit. Nonnulli ſi in vulnus inclinantur, loquuntur, & iuuat: ſi in aliam partem, obmuteſcunt, & conuelluntur: facies etiam modo inflammatur, modò dealbeſcit, vltimò pallida remanet.

Septũ tranſuerſum vulneratum quid oſtendat.

Septum tranſuerſum vulneratum oſtendit reſpiratio magna & crebra, tuſſis cũ ſtertore & dolore, mentis alienatio, ſputum liuidum, ſitis, cibi faſtidium, rigor & vulnus circa notas coſtas: præcordia tendũtur ſurſumq; contrahuntur, ſanguis ſpumans exit per os cum gemitu & dolore per vniuerſam humeri regionem, & conuulſiones ac inflammationes protinus ſubſequuntur.

Nullum prædictorum membrorum vulnus, neque ipſa thoracis perforatio periculo vacat, ſed omne perículoſiſſimnm exiſtit: alterum tamen altero magis, prout dignitas aut officium dignius fuerit, aut vulnus maius. Et ſic *cordis, pulmonis & ſepti* omnino lethalia ſunt. Quod ſi penetrantia ſint citra alterius membri læſionem, quæ iuxta dorſum exiſtunt perículoſiora ſunt, quàm quæ in parte anteriori, propter venas, arterias, neruos, œſophagum, aſperam arteriam & ligamenta cordis.

Curatio prædictorũ vulnerum, quo modo inſtituenda.

In prædictorum vulnerum curatione id primò curabis, nimirum, ne ſanguis aut alia humiditas ad cauitatem thoracis dilabatur, & ſi quid iam collectum fuerit, diligenter euacuare, ac præcauere, ne ex vniuerſo corpore ad affectam partem aliquid fluat. Secundò vulnus abſtergere curabis, ſiccare, & ad cicatricem ducere, prouidentia habita membrorum quæ intra thoracem læſa fuerint.

Sanguinem in thoracem profundi aut ibidem diu detineri prohibemus (aſſerente Gal. *manifeſtũ eſſe pectore vulnus perforatum patiente, ſanguinem ex vulnere ad ſpatium quod eſt inter thoracem & pulmones fluxum tandem ſuppurari*) præhabita diligẽtia pinlcis & corporis prona figura, aut excitata tuſſi, & corporis commotione, elatis pedibus ſanguinẽ extrahere. Prius tamen facta conſideratione de vulneris loco, ſit ne in magnis venis aut arteriis, vel in paruis: nam ſi in paruis ſit, nulla opus erit diligentia, quia & parum ſanguinis decubuiſſe in thoracem erit coniectandum, & eum calor inſenſibiliter diſcutiet, aut per communes canales expurgabit. Quod ſi non ſatis fuerit, antequam vel cõcreſcat ſanguis, vel in pus vertatur, vtendũ eſt, vel ſyringa, vel catethere, immiſſa, quæ ſuctu piulci modo, ſanguinẽ & humiditates attrahat: quem quoq; vſum præſtat vehemens exſudatio, niſi vas aliquod magnum adeò diruptũ ſit, quod ſemper fluat ſanguis, quo tempore vetitum eſt à Gal. id efficere. Quòd ſi ſanguis in grumos mutatus iam ſit, hoc vteris medicamento q. r. *pulueris rhabarbari, aut radicis rubiæ* ʒ ß. *mumiæ* ℈ j. *cum aqua plantaginis, potui dabis*, conſulunt etiam *coagulum leporis* dilutum in *oxymelite*, aut *aqua hordei*: item porriges *theriacæ antiquæ cum aqua ſcabioſæ* ʒ ß. exterius verò *aqua hordeacea cum oxymelite* per ſyringam proiiciatur.

Prohibebis aũt vlteriorem fluxum ſanguinis, tum extra corpus, tum ad thoracem, frictionibus extremarũ partium, & brachiorum: tum ſanguine miſſo, ſi copioſus non fluxerit ab extremis & diſtantioribus partibus: ſin aliter, ab his quæ maiorem communionẽ cum parte vulnerata ſortiũtur. Prodeſt ẽt ex vtraq; ſaluatella ſanguinẽ mittere: quod facies enemate prius iniecto, & proba vitæ & victus inſtituta ratione, primis ſeptẽ diebus tenuiſſima, ex *panatella, amylo, iure aut pyris aſſis*: etiam potus ſit *aqua pluuialis* aut *deurata*. Prohibebis etiam humorum decurſum ad affectam ſedẽ, corpore purgato *manna, caſia, aut ſerapio ex infuſionibus violarum cum modico rhabarbaro.*

His factis, & prout rei neceſſitas indiget, inſtitutis, ad vulneris curationem & accidentium mitigationem omne dirigatur Chirurgi conſilium, ſemper habita eius quod in thoracem decubuit prouidentia. Primò tamen vulnus conſiderabis, ac ſi vel duob. locis fuerit illarum, vel grandius, tunc protinus ſtatim obturabis: quippe defectu reſpirationis facilè perit homo. Poſtea verò ſciſcitandum erit, an vulnus ſit ſine fractura coſtæ, & ſine profuſione ſanguinis ad thoracẽ: quo tempore longe tutius eſt vulnus ſuere, & per primam, vt aiunt, intentionem curare, ſi nullum vas aut membrum ex præcipuis læſum apparuerit. Verum ſi conſtiterit non poſſe naturam contere re, quod intus fluxerit, tunc quidem leuiter aperto vulnere, & ſeparatis labris, flamula immiſſa madefacta *oleo Aparicii*, vel ſi mauis turunda filo alligata, ne procidat in cauitatem thoracis, curabis, cauens ne impedimento ſit eductioni puris: nam eo tempore flamula vtilior erit, quæ madefiat *oui albumine*, cum *puluere agglutinatorio*, aut *terebinthina abietina*, poſitis deſuper ſtupis eodẽ modo. Ac ſi res ſine fluxu interno aut externo, & citra accidentia proceſſerit, ſequentibus diebus vtêris digeſtiuo *ex terebinthina & oleo roſaceo*: demum cùm pus apparuerit, deterſorio linimento vtêris, q. r. *mellis roſati* ℥ ij. *terebinthinæ* ℥ iij. *ſucci apii & plantaginis, ana* ℥ j. coquantur modicè, & adde *vitella ouorum nu.* ij. *farinæ hordei & fœnugraci, ana q. ſ.* fiat linimentum. Alterum recipit *mellis* ℥ j. *myrrhæ, thuris, ſarcocollæ, ana* ʒ ß. *farinæ hordei & fœnugraci, ana q. ſ.* fiat linimentum: parti verò externæ emplaſtrum *diachalciteos* poſtea appones. Quod ſi cum fractura coſtę fuerit, aut muſculorum intercoſtalium contuſione, accedit tumor quidam vel ut aëre aut tenui liquore plenus, qui cõpreſſus cedit, & ſi diu permittatur, ob vitium humoris coſtas carie corrodit, ob id faſciis protinus, & medicamentis reſoluentibus priùs, donec euaneſcat, vtêris, & poſtea curato vulnere vt dictum eſt, ſi fractura coſtæ etiam adfuerit, oxicroceo emplaſtro appoſito vtendum: ita tamen vt vulneris locus apertus maneat, quo facilius expurgetur, donec coſtam coaluiſſe conſtiterit.

Symptomata eiſdem accidentia quomodo curentur.

Verum ſi res non cedat ita proſperè, ſed mille accidentibus vt ſolet turbata, cuiq; vt poſtulauerit ſubueniendum, & vlcus longè aliter curandum. Sic dolorem mitigabis epithemate ex *decocto althææ, violarum, camemali, anethi, ſeminis lini, fœnugraci*, ſi febris non adſit, alioqui *violarum & roſarum.* Vnguento etiam q. r. *vnguenti reſumtiui* ℥ j. ß. *dialthææ* ℥ j. *pinguedinis anſeris & anatis, ana* ℥ ß. *butyri recentis & olei amygdalarum dulcium, ana* ℥ j. *croci parum, ceræ q. ſ.* fiat vnguentum. Inunges etiam locum *oleo nardino*, ſi hyems fuerit, aut *camemelino*: ſi verò æſtas, *roſaceo aut violaceo*: ex quibus cum *farina hordeacea, ſeminis lini & vitellis ouorum & ſapa*, cataplaſma conficere poteris. Quòd ſi tuſſis adſit, & reſpirationis etiã difficultas, cum omnino

thoracis vulnerum conſolidationem impediat, miteſcenda protinus eſt decocto q.r. *hordei mundi p.j. glycyrrhizæ ℥ j. quatuor ſeminum frigidorum maiorum, ana ℥ ß. iniubarum, paſſularum, ana ℥ ß. penidiarum ℥ ij. ſacchari albiſſimi ℥ iij.* coquantur diligenter, & manè ac ſerò eo vtatur laborans. Præſtat *ſyrupus violaceus, capillorum veneris, de glycyrrhiza*, aut teneat ore *diadragacanthum, vel diapenidion.* Quòd ſi ſanguis copioſe fluxerit à vena vel arteria diſſecta, & tum intra, tum verò extra profundatur ex arteria, omnino iudicare lethale eſſe vulnus oportebit, præſertim ſi non ex vaſis muſculorum intercoſtalium, aut pleuræ: & pari ratione ſi ex vena aliqua interna, quæ obturati medicamentis non poſſit. Præterea ſi ab interna fluat, præter dictam rationem res periculoſa eſt, quia copioſior fluxio ad cauitaté thoracis prolabitur, & ſi extrinſecum ſutamen obturaueris, intus manet omnis ſanguis extra venas: ſi apertum permiſerit, cum ſanguine ſpiritus etiam profunditur: verùm vtcunq; ſit minus periculū erit foramen obturare. Sic clauſo vulnere, & eius labris quæ diſſident, in idem coactis, præſertim opera & manu Medici, vbi vulnus ad manum ſe exhibet aut facta decenti ligatura vel ſanguine in venæ ſciſſione concreto, foris medicamenta impones aut linamenta emplaſtricis medicamẽtis reſperſa, vt *oui candido cum thure, maſtiche, aloë, bolo Armeno, farina volatili, aut leporum pilis minutim inciſis*, aut fiat puluis *ex aloë, thure, gypſo, cum prædictis pilis.* Laboranti, etiam ſi à cauitate profluxerit, porriges *lapidis hematitis ℈ j. cum aqua portulacæ*: aut vt Gal. conſulit fiant trochiſci *ex acacia, roſis, balauſtiis, gummi tragacanthi cum aqua pluuiali*: laudantur trochiſci *de charabe, de terra ſigillata, & diadragacanthum, cum bolo Armeno*: probatur *portulaca, & centinodium, & ſaccharum roſaceum.* Pectori verò extrinſecus adhibere oportet ex *vino nigro adſtringente bolo Armeno, & oleo myrtino*, epithema.

Lib. 7. de compoſ. phar. loc.

Lib. 6. de comp. phar. loc.

Verum ſi ſanguis ad cauum thoracis prolabatur, ſæpe numero ante vulneris conuenientem abſterſionem, & optimam exſiccationem, exteriùs anguſtatur foramen, intus verò manente ſanguine aut quauis alia humiditate laborantes ſuppurati fiunt. Quo tempore longè aliter curationé inſtituere oportebit. Dixerat enim Hipp. *Quicunq; vulnerati in thorace externa vulneris parte ſanati, interna verò non, periclitantur, aut verendum eſt ne ſuppurati fiant.* Qui verò ſic laborant difficulter ſanitati reſtituuntur, niſi humor ille, qui in thoracis ſpatio continetur, abſumatur: quod fieri ſolet aut per internas regiones, veluti per ſputū & aſperam arteriam, aut lotii copiam, vel albi copioſam eductionem, aut per vulneris orificiū, vel alio denuo facto. Prætermiſſis igitur euacuationibus puris aut humoris in thorace contenti per vrinam aut album aut naturæ commiſſis (nam in hoc naturam non licet imitari) tribus modis procedendum eſt in hac curatione. Per ſputum nimirum, cùm huiuſmodi humor mouetur, ſeruare oportet Hipp. methodum ſaniei coctionem fomentis adiuuando, per ſpongias ex decocto *althea, violarum, hordei, fœnugraci & ſimilium, cū butyro recenti & oleo amygdalarum dulcium.* Profunt & *ſerapia, atq; eclegmata, & decoctum hordei cum ſaccharo, & ſaccharū roſaceum, cum aqua decoctionis lentium & fabarum.*

Libr. de coac. præ.

Libr. de humor. in princ.

Interim tamen vulnus curabis apertum tueri, vt per ipſum, quantum puris aut reliquarum humiditatum præfuerit, extrahatur. Quod facies piulcis aut incuruata ſyringa, vel canulo impoſito, applicito exteriùs aliquo medicamento cui inſit exſiccandi potentia, temperata attractione non expoliato, quale deſcribit Gal. vt emplaſtrū *de gratia Dei*, aut *de gummi elemi*, aut aliud, q. r. *reſinæ pini, viſci quercini, propoleos, ammoniaci, galbani, ana ℥ j. ceræ ℥ iij.* liqueſcat cera, poſteà reſinæ: vltimò omnia miſcenda ſunt, & adde *pulueris ariſtolochiæ rotundæ, conſolidæ minoris, ana ℥ ij.* & fiat vnguentum. Quod ſi canulus immitti, nec intus ſeruari poſſit, linea tenta quotidie imponatur, donec ad cauum perueniat, filo tamen alligata, & *terebinthina abietis calida* imbuta: quod ſanè præſidium maioris arbitror momenti, quàm quoduis aliud, excepto eo quod recipit *reſinæ claræ & odoratæ ℥ vj. olei laurini, terebinthinæ optimæ, ana ℥ j. gummi elemi ℥ j.* liquefiant in vaſe æneo, ſæpius agitando donec liqueſcant: deinde addantur *laurinum & terebinthina*, & iterum parum bulliant cū perpetua agitatione, poſtea per ſtamineam colentur, & quod inſtillauerit vſui ſerua: eſt quidẽ incredibilis efficaciæ in huiuſmodi vulneribus in corio extenſum & ſupra partem applicitum, facto per medium corii foramine, per quod pus expiret. Quod ſi ob anguſtum canale pus exire nequeat, iniicere oportet per ſyringam *mulſam*, vel *vinum mellitum*: vel fiat decoctum quod recipit *hordei mundi, lentium, ana ℥ ij. equiſeti, glycyrrhizæ, & hyſſopi, ana m. ß. aquæ q. ſ.* fiat hydromel, additis, *mellis aut ſerapii roſacei*, ſi febris vrgeat ℥ iiij. iterum parum bulliant & colentur, quo tepido bis terve lauabis: quo facto, laborans ſe inclinet ſupra latus perforatum, aut tuſſiat, quo faciliùs cum lauacro pus exeat. Quod ſi iam pus exire non compareat abſtergentibus vtêris, & ſicut reliqua vlcera curabis, vulnere carne repleto, & cicatrice inducta.

Pus & reliquæ humiditates, quo modo extrahantur.

Lib. 5. catagen.

Verùm ſi quæ in thorace continetur materia, ſufficienter expurgari nequeat, ne in phthiſim & immedicabile damnum commigret affectio, nouam ſectionem facito, quo exeat pus ſupra ſeptum prolapſum, idq; inter tertiam & quartam coſtam: quod magis probandū videtur, quàm inter quartam & quintam, aut quintam & ſextā, quod dictum eſſe arbitror, ſi vulnus ſpinam verſus vergat. Quod facies in coſtarum longitudine, ſcalpello potius quam igne, licet Hippocr. aliter ſentiat, quia intelligit de tumore ibidem ſuppurato: ſed apertionem facies non procul ab ſpina dorſi, quo magis recedas à ſepto tranſuerſo, quod Hipp. ſummopere cauere in huiuſmodi apertionib. iubet. Quòd ſi robuſtus æger videatur, ſectio in cauitatem vſque penetrare poterit, pus tamen neq; ſubitò, neq; confertim extrahes, ſed lentè, paulatim, & ſingulis diebus: ſi verò imbecillis ſit, penetrare vſq; ad pleurā ſat erit, quo paulatim pus exſudet, aut naturæ vi aperiatur, & ſenſim exeat. Poſtmodum verò partem collues vt dictum eſt, vel *mellicrato*, aut *vino mellito ex decoctione ſtellariæ herbæ*, aut *caryophyllatæ: & trifolii.* Atque hæc ſufficiant, nam paſſim quæ deſunt reperientur.

Lib. 2. de morb.

DE

DE CAPITIS CONTVSIONE & vulneribus.

INSTITVTIO VIII.

IN VVLNERVM capitis curatione duæ frequenter ſe offeruot monſtroſæ raritates: vna quidem, non paucos periiſſe, vel ſola cutis capitis excoriatione. Cuius occaſione dixit Hippoc. *nullum capitis vulnus contemnendum fore*: nam ſæpiſſime ex huiuſmodi vulneribus conſideorer cum negligentia curatis, plures interiiſſe conſpeximus, oon ſine magna Chirurgicorum admiratiooe & artis opprobrio. Altera quidem, ex vulneribus magnis cum cranei fractura, & nonnunquã diruptis membranis, ac forſan medullaris ſubſtantiæ parte diſciſſa, citra vllam artificũ ſpem aliquos ſanitati eſſe reſtitutos. Quod animaduerſum velim, ne quis quicquã aut temere cõmittat, ant oegligenrer præteroittat, vel ob deſperationem deſerat: ſæpe enim præter ſpẽ multa feliciter ſuccreſcunt, ſicur alia confidenter & temerariè neglecta improſperè ceſſerunt. Nec miraodum profecto eſt, cùm tot tamq; varia & ſcitu digna ac neceſſaria in quouis capitis vulnere exiſtant: ſed rem, Deo auſpice, ſic aggredior, pręmiſſa vulnerum capitis diſtinctione.

Lib. de vulner. capitis.

Caput quot modis vulneretur.

Vulneratur itaq; caput vno è quatuor modis; *Primo* quidem per contuſionem: quam rurſus tribus cootingit fieri modis: vno ſolùm carne cootuſa: ſecundo cum vlcere: tertio cum interna cerebri concuſſione, & commotione maxima: & quouis modo accidat, fieri poteſt, citra cranei fracturã, aut cum ipſa, aut cranei contuſiooe. *Secundo* vulneratur ſcinditurq; caput cranei fractura intus latente, aut oculis conſpicua. *Tertio* cùm ſolùm ſcinditur capitis cutis vſq; ad caluariã, ſioe vlla ipſius apparẽte læſione. *Quarto & vltimo* ſcinditur capitis cutis pericraneo iotegro manente. Proueoit autẽ huiuſmodi varietas ex percutientis viribus, & telorum differeoria, quippe relum aut ſecat, ant pungit, aut contundit.

Quibus ſuppoſitis, hanc inſtiturionem in duas potiſſimũ partes placet diſſecare: in quarum *prima* de vulneribus, quæ cæſim aut punctim infliguntur citra vllã contuſionem, eſt inſtitutũ diſſerere: in *ſecunda* verò de contuſis vulneribus.

Quæ partes in capitis vulneribus lædi poſſint.

Partes igitur quę lædi poſſuot in capitis vuloeribus, præter extimam cutem tres ſolum eſſe poſſunt, videlicet *craneum, membrana interna, & externa*, ac *cerebri ſubſtantia*.

Licet ſeniores Medici varias caluarię fracturarum ſpecies deſcripſerint, nos verò Hipp. imitantes plures tanquam inutiles ad Chirurgi miniſterium, & notitiam prætermittimus: illas duntaxat annumerantes, quæ ſæpius occurruor, & Chirurgo maius negotium faceſſunt. Quinque ſolum tanq̃ frequentius euenientes enumerabo, *fiſſurã* nimirum, *rimam, vulnerationem, colliſionem, & oppoſitionem*. Certũ enim eſt caluariæ os pro teli, ictus, atq; oſſis varietate, variè quoq; fraogi cõtingere. Quarum ſpecierum, quæ veluti primũ genus ſe habent, plures ſpecies continẽt: nam initio ſumto à ſede teli, quæ veluti genus eſt omnium fracturarum quæ ab acuto telo fiunt, cùm ab acuta exactè teli acie fractura in oſſe imprimitur, & tantùm veſtigiũ teli repræſentat, à Græcis *rogme*, à Latinis *inciſio*, & *ſedes teli* dicitur, quia recta, & angusta ſuperficiei oſſis ſciſſio eſt, vt Gal. diffinit, cui aliquando accidit fiſſio ſeu rima, quæ verè oſſis fractio eſt maior, aut viſu difficilior, ita vt à capillorum imagine, *capillationem*, ſeu *capillarem fracturã* nominarint Chirurgi. Hæc etenim dum intima petit aut diploidem lædit, *trichiſmos* Gręcè vocarur, & Paulus nominat *arctiſſimã rogmem*: in qua fracturarum ſorte mirum non eſt, ſi plures differentiæ reperiantur, diſſidentes ſolũ quoad magis aut minus, nam ſunt inter ipſas, *tenuiores*, & *tenuiſſima*, *longiores*, & *breuiores*, *recta* & *curua*, *ſuperficiales*, & *profunda*, quæ iam ad aliud genus proximè videntur accedere.

Fracturarũ caluariæ ſpecies. Fiſſura.

Lib. 6. meth. c. 6. & 9.

Rima, prout fractionem dicit à graui & obtuſo telo, & hac ratione ſecundam fracturæ ſpeciẽ deſignat, ferè ſemper contuſioni adiuncta eſt, & variis inſignantur nominibus, iuxta varios fracturarum modos. Quippe aut à corpore graui, obtuſo & oon inſcindente os frangitur, & tuoc ſolùm rima tantùm apparet: vel os in plures partes atteritur, cuius pars extruditur extra, & intruditur intra, quo meninges internæ afficiuntur, & vocatur *ecpieſma*, quaſi *compreſſio*, & *effractio*, Arabicè *antica*, Latinè *rima ſeu fractio*. Verùm ſi in rima exterior lamina cranei tantum, aut interior, vel vtraque dum ſecunda lamina à prima hiat, iuxta medium meninges comprimens, *egiſoma* appellatur, à Latinis *diſtractio* dicitur, ſeu *ſeparatio*. Ad rimam autem reducitur alia fracturæ ſors, quæ fit, cùm ex ictu vehementi, à telo etiam graui & obtuſo oſſa caluariæ propriis ſuturis diſiunguntur, aut fruſtratim diuiſa inuicem compinguntur, quo cauitates & ſinus inæquales apparent, quę vocantur à Græcis, *camaroſis*, ab Arabibus *cutamosos*, & à Latinis *cameratio* & *abſciſſio*, cuius Hipp. non meminit.

Tertia fracturæ ſpecies, *eleuatio* dicta, etiam in plures alias diſſecatur: nam telum ſecans vel cranei ſuperficiem ſignat, fruſtrulum oſſis diuidens, quod vndique eleuatur, & recedit à proprio loco: quæ fractura Græcè appellatur *apoſceparniſmos*, Arabicè, *alberia*, Latioe *tumularis fractura*. Aliter fit dum à telo oſſis ſuperficies exciditur, non tamen vndique ſeparatur, ſed alicui parti adhæret, Græcè dicta *encope*, Arabicè, *angin*, Latinè *eleuatio*. Tertio fit cùm profundiùs telum imprimitur, & os ſic eleuatur, vt membrana cerebri pateat, Græce *apoſceparniſmos*, etiam nuncupata ab Albucaſi *alcialſis*, Latinè verò *comminutio nuncupata*.

Eleuatio.

Quarta fracturæ ſpecies *colliſio* dicta, quæ ferè ſenſui latet, etiam ſibi proprias ſortitur diuiſiones: quarum prima os habet inflexum, ſed nõ diruptum, cùm nulla appareat cõtinui ſolutio, ſed ſolùm compreſſione facta à corpore cõtundente, vt mollibus contiogit oſſibus: qood Galen. his verbis docuerat: *Colliſio magna ex parte accidit in carne, quanquam in oſſe euenire nonnunquam videtur, idque maximè in pueris, ſiquidem oportet, quod in ſeſe cogatur omnino id quod colliditur, atque ita ſit molle, vt abſolutam duritiem non aſſequatur.* Similem

Colliſio.

Lib. 2. de cauſ. morb. cap. vlt.

quandam imaginem huiuſmodi colliſionis vaſa ænea aut plumbea referunt, dum à ſolidiori corpore violentia quadam impinguntur: nam abſq; fractura contuſa pars diſcedit, ibiq; cauitas quædã percipitur: qui fracturæ modus *Tlaſma* à Græcis dicitur, & ab Arabibus *alcaſat*, Latinè *colliſio*, *impulſio & inflexio*: hæc aũt fracturæ ſpecimen non repræſentat, ſed in ſui ipſius natura remanet os. Secunda differentia huius ſpeciei, dũ vnà cũ colliſione fiſſuræ ſeu rimæ conſpicuæ cognoſcũtur, appellatur Græcè *eutlaſis*, Arabicè *heſema*, Latinè *infractio*, & ꝓ maiori aut minori oſſis parte deorsũ aut in ſuperficie, ꝓlapſa varias ſortitur ſpecies. Vltima autẽ colliſionis differentia fit, cùm ſuperior lamina ſine fractura comprimitur, inferiore manifeſtã fracturam patiente: nomine aũt caret, ſolùm *compoſitam fracturam* licet nuncupare.

Oppoſitio.

Quinta & vltima fracturę ſpecies eſt, quam *oppoſitionem* appellant Chirurgi & Græci *apochema*, calamitoſa quidem & lethalis, cum caluaria violenter percutitur, & alia parte aut oppoſita rumpitur craneum, & ibi rima tantum adeſt, & non ſedes, aut contuſio: vt expreſſis verbis dixerat Hippocr. *Frangitur*, inquit, *caluaria ſub vulnere alia parte, quàm vbi plaga eſt.* Sed vt controuerſiam de hac re diu diſceptatam apud authores diluamus, ſtatuendum eſt, poſſe alia parte à vulnerata craneum lædi, vt Hippocr. & multorum eſt ſententia: cæterum in caluaria, quæ ſuturas habet, credendum eſt, difficulter fieri poſſe: facilè verò in ſuturis, quæ è contrario latere aut proximæ ſunt, nam facilè dehiſcunt, ac forſan in ſeparatione ſerratos dentes & eminentias illas frangi: quo facilè per fibras quibus ſuturis alligatur dura mater diruptas, in cerebri membranis colligitur aliquid, quod in pus aut corruptelam verſum mortem inopinato accerſit: & hac via cenſeo poſſe fieri damna, quæ authores repererunt, in his qui ex huiuſmodi vulneribus perierunt. Quibus omnibus fracturæ ſortibus accedit alia, *perforatio* dicta, à telo acuto, & oblongo inflicta. Atq; hæ ſunt caluariæ fracturarum ſpecies, quæ potiſſimum ſpeculatione dignę exiſtunt. Præter quas à recentioribus aliæ plures repertę ſunt, à telo inſcindẽte, & à corpore ſuſcipiente, formam capientes, vnde *breues, longæ, recta, obliqua, anguſta, lata, orbiculares*, & alię huius conditionis non paucæ, quarum cuilibet contuſionem adiungi affirmat Hipp.

Lib. de calua. curat.

Nec parui momenti eſt noſſe telorum differentiam, quibus caput vulneratum fuerit: ſæpe enim ex percutiente, & telo innoteſcit, quod in vulnere occultum latitet. Hippocr. enim ſtatuit telum illud eſſe quo alter alterum vulnerat: *In telo*, inquit, *conſiderantur pondus, prout graue aut leue eſt: figura, quatenus latum aut anguſtum videtur: à lato aut alterius figura fit colliſio, aut fractura: ab anguſto inciſio aut punctura: frangit etiam caſus ab alto.* Sic Galen. de his ſermonem habens ait, quòd *vulnera fracturave omnes, inciſione, contuſione, fractione, eroſione, & tenſione prouenıunt. Inſcindunt quippe arma quæ acuta ſunt acies, vt enſis & gladius: contundit graue omne & purum, atq; hæc tanto grauius, quanto vehementius irruunt.*

Lib. de offic. med.

Lib. de cauſ. mor. in fi.
Lib. art. me. cap 80.
Cõment. in 3 de offic. med.

Signa læſionis partium capitis.

Dictum eſt à principio huius inſtitutionis, tria in capite præter carnem & cutem poſſe vulnerari, *os, membranas*, & *medullarem ſubſtantiam*. Quo fit, vt neceſſum ſit vtriuſque partis læſiones docere cognoſcere, explicantes cuiuſq; ſigni vim & efficaciam, ad oſtendendam tum caluariæ, tum membranarum aut cerebri ipſius læſionem. Cognoſcimus autem capitis læſionem ex vulnere, tum *ſenſibus*, tum *pathognomonicis ſignis*, tum etiam *indiciis aliquibus coniecturalibus*. Sic cranei fracturam aliquando, qualis & quanta ſit, *viſu* comperimus; quòd ſi deliteſcat, *digitis* optimè exploratur, ac ſi id non ſuffecerit, *ſpecillo* faciliùs innoteſcet.

Quòd ſi his omnibus tentatis cognoſci non poſſit, ad *accidentia vulnerum* confugies: quippe hæc vt pathognomonica & propria ſpecialius cuiuſque partis damnum monſtrabunt. Nam quædam craſſam tunicam ab oſſe diuiſam eſſe oſtendunt: quædam ſanguinem aut pus, aut ichorem, aut humiditatẽ reconditam declarant: quędam cerebri intemperiem, aut ipſum eſſe diſſectum, vel vehementer contuſum mõſtrant: quorum omnium vt certior fiat Chirurgus, primo ad laborantem acceſſu inquirat diligenter, quali telo ſauciatus fuerit, ſi vehementer, ſi ex ſublimi loco ceciderit, ſi in lapidem aut rem duram impegerit, aut à re tali ictum acceperit: à lapide proiecto, vel à telo in manu.

Inſuper an accepto vulnere confeſtim procidat homo: quia læſam fuiſſe animalem potentiam intus oſtendit, & motiua inſtrumenta per conſenſum à cerebro læſa: ſic *vomitus bilioſus* permanens, fractam caluariam, & facultatem etiam intus lædi, & compati ventriculum deſignat, vt docuerat Hippocrat. ſtatuens, quibus cerebrum diſſectum fuerit, his febrem & bilis vomitum accidere.

Lib. 2. de morb.
Lib. de concis.

Pari ratione ſi *vertigine* corripiatur, anteriorem cerebri partem lædi oſtendit Galen. *3. de loc. affect.* *4. acut. comment.* 38. 4. *aphor.* 7. Similiter ſi ab ictu *obcæcatio* ſuccreſcat: nam pręter fractam caluariã, internam cerebri partem læſam eſſe monſtratur, ſiquidem ab ea nerui viſorii, qui adeò compatiuntur, originem trahunt.

Lib. de loc. in hom.
Lib. 6. apho. 50.
Celſ. lib. 5.
Galen. lib. 4. de mot. & ſym. ca. 7.

Longè maiori euidentia monſtrat prædictam læſionem *ſanguinis fluxus* ex naribus, ore aut auribus: quia membranarum aliquam, aut venarum quæ in ipſis ſunt, diruptionem monſtrat.

Verùm *ſi laborans obmuteſcat*, cerebri vehementem concuſſionem, ac ex conſequenti graue damnum oſtendere ſtatuit Hipp. quam ſanè concuſſionẽ vehementem raró ſine damno alicuius partis cerebri adeſſe, euidentiſſimum eſt, cum vocalia inſtrumenta ex cerebro oriantur.

Lib 2. de morb.
Lib. 7. aph. 59.

Quòd ſi *dentium ſtridor* adfuerit, cerebri tunicas noxam recepiſſe manifeſtè conſtabit: ſi tamen cũ hoc ſtupidus laborans videatur, tunc quidem inquit Hipp. *in capitis ictu, ſtupeſcentia malum.*

Lib. 7. aph. 14.

Quibuſdã etiam *ſtupor* aduenit, muſculis temporum affectis, & ex compreſſione fractæ caluariæ, vel punctura nonnunquam prodit.

Rigor etiam ſuperuenire ſolet, & inordinatè, ac circa iudicatorios dies eluceſcere, qui noxam cerebro illatam ex vulnere cum fracto oſſe commonſtrant, quòd natura acri humore laceſſita nocuum expellere conetur: ſed cauere oportet, ne rigores à corporis vitio ſuccreſcant, nam parum mali eo tempore oſtendunt, ſicut plurimum craneo fracto.

Adue-

Aduenit etiam *febris continua*, quæ ſi non à primo die inuaſerit, ingentis mali prçludium exiſtit: nam euidens ſignum eſt, ex materia ſub craneo putreſcente, vel inflamatione aliqua inchoante ſuburiri. Quod docuiſſe Hipp. conſtat, nam perniciosa iudicatur ſi decretoriis diebus appareat, vel vltra tempus inflamationis perduret, aut leui vulneri ſuperuenerit, vel delirium commouerit, aut ſi neruorum rigor vel diſtenſio, quæ ex vulnere orta eſt, eam non ſinit. Ob id enim dixit Auic. *Si in capitis dolore & ictu febris accenditur, & mentis perturbatio adeſt, caput inflammari manifeſtum eſt.*

Lib. de iudicis
Lib. de coacis præ.
Lib 4. aph. 58.

Quod ſi *paralyſis* acceſſerit, mox ab inflicto vulnere, cranei fracturam & cerebri ab oſſe compreſſionem oſtendit: ſicut dum poſtea procedéte malo ſuboritur, indicium eſt inflammationis cerebri, aut obſtructionis viarum ab humiditatib. illabentibus in neruorum exitus.

Si tamen *apoplexia* ex vulnere fiat, ſignum eſt, craneum confractum eſſe, & cerebrum punctione aut vehementi compreſſione adeo affici, vt ventriculi eius lædantur. Certiores tamen reddimur de huiuſmodi damno, ſi oſſe comprimente eleuato, æger reſpirare cœperit, & à noxa liberatur: con. ibit ex læſione caluariæ fieri, ſi febrem ſibi habeat comitem. *Epilepſia* vero citato vulneribus capitis ſuccreſcat, aliquádo tamen meninges læſas eſſe ab ixore mordente commonſtrat, in qua maior eſt motus conuulſiui prouentus quàm oblæſio ſenſuum.

Lib. 5. aph. 2.
Lib. de coa.

Accedit vulnerato capiti *conuulſio* mille modis, omnibus tamen lethaliter, vt Hipp. profert: quippe euidétiſſimum eſt cranei fracti indicium & ex fractura lçſarum membranarum ab inflammatione, ſi proceſſu temporis ſuccreſcat, & à punctione & mordicatione oſſis fracti, ſi mox ab inflicto vulnere. Sic pro ratione partis in caluaria affectæ conuulſio ſuboritur: nam aliquando faciei altera aut vtraque pars conuellitur, vt in ſpaſmo cinico.

Item *oculi immobiles* fiunt, & *ſtraboſi* redduntur, aut quæuis alia pars vulneratæ parti oppoſita, vt cum vulnus dextra parte inſedit, ſiniſtra conuellitur, aut è contra: vel ſi in medio capitis vulnus inſit, vtrunque latus conuelli conſpicimus.

Lib. 7. aph. 14.
Lib 7. aph. 24.

Deſipere capite vulneratos damnauerat Hippo. dicens: *In capitis ictu deſipientiam quandoq; occurrere, & malum eſſe.* Pari ratione idem author dixerat, *in oſſis præciſione ſtupor aut deſipientia*, ſi in vacuum apprehenderit, in oſſe præſertim præciſo, quod in capite eſt: non ſimpliciter tamen, neque vteunque hoc contingit, ſed vſque ad interiorem ſuperficiem, quam locus continet vacuus, in quo cerebrum conſeruatur, deſipientia ſit, ſiquidem paſſio iam membranis & cerebro proxima exiſtit: cumque igitur à principio accepto vulnere deſipientiæ fiunt, in ancipite ſe habent. Quod ſi tranſacta quarta, aut ſeptima, aut decimaquarta apparuerit, in cerebro iam factam, aut fieri inflammationem.

Præterea *ſomnia atq; vigiliarum exceſſus*, ſi poſt capitis ictú ſuccreſcant, inflammationé, aut irrigationé cerebri monſtrant, vigiliæ ex caloris imperio, ac ſi dormiret laborans ignea phantaſmata occurrunt, facile expergiſcuntur, clamant, delirant, & capiti ſæpe manum admouent, & oculi ſponte lacrymátur, & circa ſenſus tenebroſæ, aut accenſæ viſiones apparent, aut ſonorum non exiſtentium auditus, quæ anteriorem cerebri parté læſam oſtédunt. Adeſt & delatio in ſomnum, vel ex irrigatione frigidi ſucci, aut ſi mox ab illato vulnere ſuboriatur, cum detentione ſubita animæ & corporis, compreſſionem ventriculorum cerebri à fracto craneo, vel nimiam ſanguinis frigidi prolapſionem in prædictos ventres.

Adeſt etiam aliud non minoris momenti ſignum, *dolor* nimirum *ingens*, indicium quidem ſeparationis membranç ab oſſe: quo tépore colore inficitur cineritio aut liuido, & ſubſtantia ſit aucta ob venarum, quibus alitur, ſciſſionem, necnó & aliarú è meditullio. Quo tempore dolores in ſincipite & occipite adeo ſunt vehementes, vt ſæpe laborans manum admouere capiti cogatur. Adſunt & rigores quàm plurimi: pulſus cerebro affecto vndoſus: mébrana læſa, ſerrinus, aut conuulſionibus interceptus: oculi inflammantur tanquam ſi lippitudine laboraſſent.

Quibus iam apparétibus nulla prorſus in vulnere ſanies generatur, ſed veluti ſalitum apparet, aut caro ipſius ab oſſe diſcedit, vel laxatur, & ſubſidet. Nam ob id dixit Hipp. *Si in vulnerib. prauis, & fortibus tumor non appareat, ingens erit malum*: quod his verbis dixerat idem author: *Si poſt febrem vulnus colorem amittit, & pauca ex ipſo effluxerit ſanies, æger moriturus eſt, dum ſiccitas ab externa cauſa non prodeat*. Quod noſces, quia praua accidentia protinus ſequuntur, ſi ab intrinſeco vitio prodeat prçdicta ſiccitas. Quæ ſane ſigna pariter quandoque ſimul omnia apparent, interdum vnum aut duo aut plura, aut nullum, & cum hoc æger moritur, quia in leuibus & contemnendis vulneribus ſæpe cerebri commotio, quæ muros reddit ſic affectos, grauiſſimum accerſit malum: nonnunquam tranſcolatio humiditatum, quæ fit per ſuturas, ipſis præ ictus vehementia dehiſcétibus: tamen hçc mala, non niſi tranſacta vndecima die ſuccreſcere aſſolent, aut parum ante, cum antea leuiſſimum apparuiſſet vulnus.

Lib. 2 pop.
Lib 5 aph. 66 67
Lib. de coa.
Lib 2 prognoſt. 25.

Ex capitis præſtantia, dignitate & partium cóponentium varietate & tenuitate ſubſtantiæ, aut ſenſibilitate prodit, nullum in eo vulnus contemnendum eſſe, quantumuis leuis contuſio ſit: cuius primo loco inſtitutum eſt agere. Eſt igitur æquimoma, ſeu cótuſio, tumor tactu mollis, cedens, liuidus, & magna ex parte indolés. Qui ſane fit à graui quodam corpore obtuſo, & æquali, quod extrinſecus caput percuſſit: contunduntur venæ exiguæ, & diuortium patiuntur, ſanguiſq; cum tunicas venarum tranſcolat, profunditur, cute externa integra manente. Cuius mali naturam expreſſit Gal. atq; etiam Hipp. ſtatuens partes contuſas amittere naturalem vnionem cum ſanguinis profuſione ad loca iuxta venas.

Cótuſionis in capite curatio.
Contuſio quid.
Lib. 2. de frac. lib 4. de mot.

Contigit huiuſmodi morbus in capite, vno è quatuor modis: *nimirum* cum ſola fit carnis contuſio, ſimplex & citra complexum alterius mali: *ſecundo*, cum præter carnem contuſam, etiam cutis diſcinditur, & fit cum vulnere contuſio: *tertio*, cum præter externam contuſionem, cerebrum intus quoq; à re contundente commouetur, & læditur: *quarto vero & vltimo*, cum etiam craneum læditur, contuſumq;, aut confractum efficitur. Quorum omnium ſeorſum breuiter meminero, quo vtilior & clarior fiat curationis inſtitutio,

Digitized by Google

De ſimplici contuſione. Cum ſanguinem contentum extra venas, in contuſione ne ceſſum ſit putredine, ant alio vitio Lib. 4. met. cap. 7. fœdari, ni cito præueniatur, vt ſtatuit Galen. Idcirco iuxta optimam rationem Medici, quamprimum ſtudent præcauere ſcientes ægrè diſcuti poſſe, ſi iam in grumos congerit, aut ad eandem partem aliü humores confluxerint. Quo ſtudio primò diligenter cauent, ne ad affectam partem, alienæ humiditates procumbant, tandem vt extra venas ſanguinem profuſum diſſipent, antequam ingrueit, & venas diruptas comprimant, ac roborent. Quamobrem mox à principio ex Li. 4. meth. c. 3. Fen. 1. 3. tra. cap. 3. & tra. 3. c. 3. Galen. & Auic. mente nonnihil ex adſtringentibus his, quæ dixerunt, admiſcere oportet: donec venarum tunicæ denſationem adeptæ plus ſanguinis non fundant: poſtea ſolis reſoluentibus vtendum. Sic primo mali acceſſu (ſi opus fuerit, ſanguine miſſo) capiti detaſo admouere oportet *roſaceum omphacinum*, aut vt Gale. placuit *ex urrhodinum, aut roſaceum myrtino admixto*, poſtea *oui can-* Lib. 2. pha. loc. *didum* aliquandiu agitatum, cum lini ſtupa exceptum, additis *roſarum pulueribus*: nam *myrti pului*s plus comprimit, quàm in principio par ſit, quinimo forſan ſanguinem condenſare eſt arbitrandum, adeo, vt reſolutioni deinceps ineptior fiat. Sequenti die, nonnihil *camemali* adiicies, & ſi dolor creuerit, caput vniuerſum *roſaceo, ex oleo maturo tepido* bis terve in die inunges, & lanam eo imburam appones. Quod ſi reſolutioni magis inniti placuerit, puluerem addes *ex roſis, betonica, & calamento*, & deſuper lata ſplenia madefacta, & expreſſa, vino nigro decoctionis *roſarum, betonicæ, & camemali* apponantur. Præterea veteris emplaſtro confecto ex *camemali, meliloti, furfuris ana p. j. farinæ fabarum & lupinorum ana ℥. j. pulueris myrti ℥. s. cum ſapa, lixiuio & oleo myrtino aut camemali* fiat emplaſtrum. Quibus vteris, donec tumorem decreuiſſe compereris: & poſtmodum adhibebis vnguẽtum ex *oleo anethino, camemelino & pulueribus, meliloti & roſarum cum modico croco & cera*, deſuper linteolum duplicatum madefactum vino ſtiptico addito *ſale, & camemalo* adhibebis. Confert & a*qua vita*, ac tandem ſuperpoſito emplaſtro *diapalma*, aut *oxicroceo*, ad ſanitatem perduces. Quod ſi contuſio leuis ſit, à quouis frigido ſuperpoſito leuamen ſuſceptat, ſiue lapis, ſiue ferrum ſit, vel mica panis aqua frigida madefacta.

De contuſione cum cõmotione cerebri. Verum ſi ex *ictu vel caſu*, non ſolum contuſio appareat, verùm crebrum cõmotum, agitatum, & læſum fuiſſe conſtiterit, quod laborans obmuteſcat, & veluti catalepticus appareat: nam plerunq; ex ſignis quæ craneum fractum oſtendũt, pleraque ſolẽt ſuccreſcere: ob id maiori diligẽtia rẽ hanc tractare neceſſum erit: pſertim cùm cerebri commotio plerunque fiat à grandiori caſu ab alto, vel vehementi ictu, à quibus craneum aut ſuturas oblædi non rarò contingit, præſertim ſi his ſanguis è naribus, ore aut auribus proſiliat: indicium quidem diruptionis vaſis alicuius mẽ-

Quomodo in illa procedendum. branarum. Poſtquam autem redierit laborans, licet vel mutus, vel omnino menre conſtans ſuperſit, neceſſum eſt, dolorem, qui plerunq; huic malo comes eſt, mitigare, caput roborare, & dilacerata vaſa firmare & comprimere, & confluxam humiditatem aut ſaniem reſoluere. Quibus conſideratis, ne doloris inclementia humores ad caput euocentur, ſanguis tunc mittendus eſt, quantum vires tulerint, non tamen confertim, ſed per vices, quo magis fluxionem auertas. Victum præterea tenuiſſimum inſtitues, corpuſque quieti mandabis in loco temperato & mediocriter lucido. Præterea conſiderabis, caput omni arte eſſe roborandum firmandumque, & interim dolori prouidendum, & vltimo reſolutioni humiditatum. Quibus vſibus proficua ſunt, quæ affectæ partis calorem innatum foueant: quem vſum præſtat lana dulci oleo calenti madida cum *roſaceo omphancino, aut myrtino, camemelino, aut liliaceo & albumineoui*. Leuato namque dolore, aut tertio die, hoc vteris emplaſto, quod recipit *farina fabarum, pulueris roſarum, abſynthi, myrtillorũ, camemali, meliloti, & ſtœchados, ana partes æquales, albumino ouorum, quod ſatis, vt cum oleo roſarum & camemali fiat emplaſtrum, addito modico vino*. Quod ſi ſufficere non videatur, diſcuſſionem valentius aggredi opus erit, ne quod in tumore relinquitur, ſuppurationem experiatur. Nec diſplicet cerato ex *oleo Aparicu* confecto, vniuerſum caput circũdare, aut ipſo oleo fouere. Cui vſui probatum eſt quod recipit *abſynthum, y. roſarum rub. florum camemali, betonicæ & ſtœchados, ana p. j.* bulliant in vino rubro, poſtea contundito, & addito *farina hordei & fabarum, ana ℥. iij. cimini. ℥. s. roſacei quod ſatis pro cataplaſmate*. Verùm ſi his exhibitis, rumorem nihil minui competiamus, & mollitiem, vel ſeruauerit, vel denuo contraxerit, verendum eſt ne in pus mutetur quod ibidem contentum eſt: quo tempore ne intus aliquid permeer, quam citiſſimè in ſuppurationem & apertionem ducere opus erit. Tunc enim vteris (poſt forum olei dulcis, in quo ferbuerit *althææ radix*) *triapharmaco*, quo mirum in modum id opus conſequeris, aut alio ex emplaſtris ſuppurationi idoneis, cum *triticea farina, vitellis ouorum & croco*. Diſſecto abſceſſu & extracto pure, vlcus curabis digerendo, quouſque opus fuerit, & poſtea his quæ abſtergendi & exſiccandi vires habent, donec caro nouiter ſuperereſcat.

Quod ſi cum vulnere accidat contuſio abſq; De vulnere capitis contuſo. caluariæ nocumento, contraria prorſus methodo vtendum eſt: nam contuſionibus adſtringentia & reſoluentia pharmaca ſatis ſunt: at in vulnere contuſo (quod calore deſtituatur pars, longe magis, quàm in ſola contuſione, vbi integra manet cutis) ſuppurantia pharmaca mox à principio adhibere conuenit: nam ob id carnes contuſas, in pus neceſſario mutari dixerat Hippocr. Quo fit, vt ſi telo obtuſo, graui & inæquali, cutem, panniculum, & carnoſam ſubſtantiam abrumpi contingat, cum partium contuſione, craneo integro manente, mox vt ægrotantem adieris, ſi quid præter naturam in vulnere contineatur, protinus auferes, & ſi ſinuoſum ſit vulnus, quo medicamenta omnes partes nõ attingant, ſi aliter fieri non poſſit, dilatare oportet, & minimè lichinis formare, aut quàm pauciſſimum, ſed abluere vino, & coniungere quantum poſſibile fuerit, & abraſis capillis per vulneris ambitum, ſi ſanguis immodice fluat, puluiſculis prepediatur, aut ſiccis filamentis, vel *oui candido*. Et præmiſſa euacuatione per ſanguinis miſſionem, & parca ac refrigerante victus inſtitutione pręſtita, tentatis omnibus diſtractionibus, exterius, doloris gratia, partem vulneratam, & contuſam, *roſaceo* *aut*

Digitized by Google

myrtino oleo inunges, & intus ea admouebis quæ pus mouent, digeſtiua communiter dicta, donec ſymptomatum præterierit ſuſpicio. Studendum quidem eſt in huiuſmodi contuſionibus, quàm celerrime contuſas carnes, & ſanguinem in pus vertere: minus namq; phlegmone tētabitur vulnus, & ex ſedatione doloris robur parti addetur, fluxioneſq; prohibentur: cauentes ne vlcus, aut aeris frigidi contactu, aut frigidis medicamentis recrudeſcat: quod maioris mali ſolet eſſe cauſſa, vt ex Hipp. conſtat. Nam *minime ad cicatricem vulnera duces, niſi media coctione*, vt ex eodem authore & Galen. euidenter conſtat. Hoc itaq; diligenter ſeruabis, vt contuſum vulnus prius coctioné experiatur, deinde non doloroſam abſterſionem, alioqui plus attrahes ad vulneratam partē, poſtea nouæ carnis productionem ac cicatricem induces. Itaque per initia ſolo *roſaceo* veteris, cum *luteo oui*, in mollioribus corporibus, in aliis vero, *terebinthinam & oui luteum* adhibebis, aut *triapharmaco* veteris, niſi inflāmationis ſuſpicio ſit. Quod ſi hęc non profuerint, probatiſſimum eſt id quod recipit *olei roſacei & terebinthinæ, ana* ℥.iij. *ceræ* ℥.j. *croci* ℈.ſ. quod ſi inflāmationis ſuſpicio ſit, abluatur *terebinthina, aqua betonica*, & addatur *farina hordei*, ℥.j. Verum ſi carnis productiuum efficere velis, addes ℥ ij. *pulnerum corticum thuris*, & ʒ.j. *aloes*. poſtea ſuper totum vulnus cataplaſma appones, quod roborandi caput vires habeat, nec non & digerendi, ob pituitæ & humiditatis copiam, quę in contuſis ſæpiſſimè accreſcunt ad œdematis modum, quemadmodum in curatione contuſionis dictum eſt. Hoc tamen vnum animaduerſione dignum iudicaui, eo quod dictum ſit ſuppuratorus & humidis eſſe vtendum, in contuſionibus temporum & tendonum: nam ſæpe grauiora mala & corruptiones ſuccreſcere aſſolent, & ob id pure expurgato, ſiccioribus vtendum: nec diſplicet oleum Aparicii.

Lib. de vlcer. Libr. de cal cur.

De contuſione cum ſubintratione cranei.

Qualiter autem cognoſcere & curare liceat vulnus contuſum, cum cranei contuſione aut ſubintratione, tactu, & præſcriptis accidentibus facile venaberis: quo tempore coniectandum eſt & diſcernendum, an hæc cranei contuſio ſit cum vlcere, aut citra ipſum, vel adeo magna ſit cranei ſubintratio & fractura, quod membranas dirūpat, aut vtcunq; aliter lædat: quo tempore aperta cōtuſione vulnus curari, multi ex noſtri temporis Chirurgis cōſulunt: quod profecto formidandum erit: nam vbi vulnerata caro non eſt, fidere oportet, ac ſperare plus effecturam quouis auxilio naturam, quàm carne dirupta & oſſibus perforatis, vbi longe minus potēs eſt, quàm carne & cute protecta: & ob id ſciendum eſt, contuſionem cum cranei ſubintratione ſine vlcere, primo deſiderare cranei eleuationem, tum per capillorum euulſionem: nam cucurbitulam, licet multi conſulant, formidare oportet, quia citius ad partem euocantur læſuri humores, quàm eleuetur craneum: tum vero per ea medicamenta quæ ſiccent, roborent calfaciantque caput, qualia veteres illi commendarunt, ſolum *Aparicii oleo* liquatum *iſis*, aut *gummi elemi* emplaſtrum, & capiti vniuerſo appoſitum, ſubtus facta ipſius olei inunctione. Quod ſi vel inflammatio tentauerit caput, aut leniori velis vti curatione, ſat erit ſanguine miſſo, capiti adhibere cataplaſma temperans ex pulueribus *roſarum, camemali, meliloti & croci, cum oleo roſaceo & oui albumine & vitello*, donec tumor ſubſidear: poſtea vero adhibere oportet emplaſtrum ex *fermento, terebinthina & furfure*, aut ex *melle, ſulphure, & furfure, ſale & puluere abſynthii*: vel vnguentum ex *gummi elemi*. Quod ſi hæc non profuerint, & accidentia nō ſupercreſcant. ſanius erit, (præſertim in capitibus puerorum, & corporum mollium) os ſic relinquere, quàm cutem inſcindere, & auxilia tentare, quæ maius damnum ſunt allatura: cutis enim, vtpote naturale tegumētum, incredibilis eſt efficaciæ & vtilitatis. Verum ſi cum vlcere fuerit ſubintratio cranei, tunc quidem facta dilatatione ſufficienti, & præmiſſa ſanguinis euacuatione, & lenitione ventris, ac omni diuerſionis genere, rem ages, velut cum craneum fractum exiſtit, ſi accidentia præſunt, aut verearis: ſin aliter, vngūento veteris ex *gummi elemi* appoſito, & ſupra vniuerſum caput emplaſtro, quod recipit *vini nigri*, ℥. xvj. *olei abſynthii & camemali ana*. ℥.j. *mellis communis*. ℥.ij. *pulueris roſarum, camemali, meliloti & furfurum torrefactorum ana* p.j. fiat emplaſtrum, additis duob. *ouorum vitellis*, & poſtea vt par eſt, vlcus curetur.

De ſimplici capitis vulnere.

Verum ſi capitis vulnus ſimplex ſit, citra vllā cranei læſionem, neque ad ipſum telum percurrerit, tunc quidem mens erit, ſutura vulneris labra vnire, ſi in lateribus capitis fuerit, & in infima eius parte foramen relinquere, per quod penicillo appoſito pus expiret: tandem in reliquis, vt vulnus ſimplex curari debet. Secus res ſe habet, ſi in ſummo capitis vulnus ſit: non quidem elichinis efformare vulnus oportebit, vt indocti homines perperam & præter artis rationem faciunt: nam vbi ſanguis non fluit, aut abradi debet vulnus, abluere *calido vino*, & exſiccantibus curare, longe tutius eſt, quàm paruum vulnus longe maius efficere quàm telum: Quo tempore *terebinthina cum oleo Aparicii* veteris, aut *balſamo*, vel *vnguento Iſis*, donec neceſſum ſit carnis generationi prouidere. Quod ſi vulnus etiam in ſummo capitis ſit, & ex caſu cutis plurimum ſit dirupta, tunc quidem licet in ſummo ſit, non erit abre conſeruatiua ſutura vnire, relicto foramine ad puris expurgationem. Qua ſane curatione, licet craneum derectum ſit (ſi nullum præſit læſionis veſtigium) ſatius erit manus continere, quàm leui timore contuſionis cranei ipſum abradere (licet id conſuluerit Hippocrates) quo & vulnus maius fit, & ob id periculoſius: ſicca enim medicamenta maioris ſunt efficaciæ, & valentia extrauenatum illum ſanguinem in contuſione conterere, iuuante cutis mediocri tegumēto. Nam ob id cenſeo, plurimos periiſſe, quia fidunt Chirurgi magis abraſioni, cum blandioribus medicamētis, quàm ſiccis citra abraſionem.

De capitis vulnere cū cranei fractura.

In nulla alia vulnerum aut vlcerum curatione, quod ego legerim, maior vſquam ſuborta fuit controuerſia, tum inter veteres illos ſapientiſſimos, primos artis profeſſores: tum inter neotericos, & noſtri temporis Chirurgos, quàm in his capitis vulneribus, quæ os fractum ſortiuntur. Nam extant ex altera parte, Aſiatici Medici, vt de Megete Sidonio, & Eudemio retulit Galen. quibus ſolum mens erat ſiccis medicamentis prędicta vulnera curare à principio vſque ad cicatricis obductionem: ſuſcipientes

pientes principium huius præcepti ab Hippocr. qui primus omnium *vlcera nulla madefacere* inſtituit, & *omnia ſiccis eſſe curanda*, eo quod vetiſſimũ ſit, ſiccum ſano eſſe ſimile. Id quod profectò maximè erat neceſſarium in capitis vulneribus: tum quia vlcera, humiditatibus extraneis ex propria conditione abundant, quibus ſi medicamenta addas humida, neceſſum eſt maiorem ſuccreſcere, & ad putredinem ſubiectas partes deducere: tum verò ratione oſſeæ naturæ, qua caput maiori ex parte conſtituitur. Cui doctrinæ adſtipularur Galen, ſtatuens *in omnibus & in prædictis maxime, vtendum eſſe eis, ac ſiccioribus vbi os fractum fuerit*, ſumẽs pro exemplo *vnguentum iſis, barbarum, aut viride, & huius cenſus alia*. Quod ſane dogma, adeo religioſe & obſeruanter & citra vllam diſtinctionem noſtri temporis Empirici, & Chirurgorum aliqui obſeruant, vt neque alus medicamentis, neque vlla manus actione, aut oſſium fractorum prouidentia, extractione, abraſione, aut perforatione, quantumuis membranas oblædant, pungant aut dirumpant, vrantur, ſed ſolum exſiccantium, reſoluentium & corroborantium efficaciæ fidentes arbitrantur, non ſolum vanam & crudelem, ſed & pernicioſam quoque eſſe reliquam curandi viam, ſiue blandis fiat medicamentis, ſiue manus opera, maxime cum experimentis non paucis confirmauerint ſui dogmatis veritatem & vtilitatem. Reliquam vero partem tuentur Hippocrat. vt primus author, & Gale. *locis citatis*, necnon & Auicenn. Celſus, Paulus, & alii ſapientes Medici, atque etiam noſtri temporis Chirurgi, ſtatuentes *fracta, colliſa, & vtcunq; ſoluta oſſa eſſe vel abradenda, vel euellenda, perforanda, complanandamq; ſuperficiem*, & poſtea verẽtes inflammationem, humidis & blandioribus medicamentis, ac forſan minus ſiccis, quàm oſſium natura expoſtulet, vlcus curant omnes, excepto Hippocrat. Probant hi authores rationem ſui dogmatis, quod periculoſum arbitrentur expectare vulneris conſolidationem & curationem, donec oſſa fracta coaleſcant, & poro ſeu callo medio iungantur, quin antea ſucci & carnes vlceris lethali vitio corripiantur, vt frequentiſſimo euentu compertum eſt in his, in quibus citra vllum ferramentorum opus tentarunt vulnus curare: quippe à ſeprimo die plerunque lethalia accidentia ſuccreſcunt, ob adductam rationem, adeo grauia, quod licet poſtea craneum perforare aut abradere tentes, nil proficere conſtet. Quo euentu moniti Chirurgorum noſtri temporis fere omnes, mox à principio ad cranei abraſionem confugerunt, vt ſeparata parte ſoluta oſſis, quàm citiſſime exeat, quod decidit intra cauitatem, aut in oſſe eſt contuſum, & cato oſſi ſano adhæreat, & vulnus priſtinæ ſanitati reſtituatur. Hanc ſane legem ſtatuit Hippoc. hanc ſequutus eſt Galen. dum apud Romanos Chirurgiam factitaſſet: & hos ſapientiſſimos viros ſequuti ſunt alii in re Chirurga illuſtres viri, Hiſpaniam degentes, cum euentu felici & plurimis exemplis probato. Hoc tamen contra Hippoc. mentem eſſe arbitror, nimirum ſiue os abradatur, ſiue ſecus, ſemper vſos fuiſſe blandioribus & humidis medicamentis, vt de ſe Gal. refert cum in Romam ab Aſia rediiſſet, quẽ ſequũtur (licet varii in hac re fuerint) Celſus, Paulus, & Aetius, & omnes noſtræ ætatis Chirurgi.

Lib. 2. per locos c. 1.
Lib. 5 per ge. c 14.
Lib. 6 meth. c. 2.
Li. 4. meth. c 3.
Lib. de vul. cap.
Lib. 2. de fract. 57. eadem pa. 48.

Verum ſi quis controuerſiam hanc diligẽtius & penitius examinet, ratione ſumpta ab ipſa rei natura, proculdubio reperiet, neutram harum factionum abſolute veram eſſe, neque ex omni parte ad mentem Hippocratis, & ex conſequenti, nulla ratione (vt iacet) exequẽdam fore. Cenſeo quidem, primos decepiſſe alteram partem ſui dogmatis, veriſſimam quidem, cæterum diminutam ac ſæpius inſufficientem, credentes ſicca medicamenta ſufficere indiſtincte, & indiſcriminatim, (vt ipſi arbitrantur) caluariæ quamuis fracturam reficere, & vlcus curare, citra vllam aliam oſſium fractorum prouidentiam, & quod deterius eſt, arbitrantes, hanc eſſe mentem Hippocratis & veterum omnium, quorum fuit inſtitutio & præceptum, ſicciorum medicamentorum, quaſi ipſi negauerint manualem operationem, & oſſium abraſionem, quo nihil eſt apud Hippocratẽ, & Galen. ac reliquos viros ſtrenuos vulgarius. Commendarunt quidem ſicca medicamenta, cæterum non negarunt ferramentorum vſum, vbi opus eſſet. Quippe nullis oſſium fracturis ferrum adhibere, nouum profecto eſt: omnibus tamẽ cranei ſolutionibus ſubuenire abraſione aut perforatione vel ferramentorum opere, antiquũ & Hippocraticum non eſt: hoc quidem vitio vertendum eſt Chirurgis noſtri temporis: illud vero Empiricis, & aliis qui ſe nouę ac particularis curandi rationis inſtitutores venditant. Sic noſtri temporis Chirurgos decepit Galen. qui Romanam Chirurgiam ſequutus, quãquam ſiccis medicamentis plures in Aſia viderit ſanitati reſtitutos, quàm humidis, illis relictis, Romano more vtens, humidis vti mille in locis probauit, præcauendæ inflammationis gratia, vt de *roſaceo, farina triticea, & hordeacea, ac de aliis huiuſmodi* refert. Atq; hæ ſunt vtriuſque factionis rationes.

Nos quidem poſt plurimos vtriuſq; dogmatis euentus, præhabita etiam maturiori conſideratione, & præhabitis ſapientiſſimorũ in re Chirurga virorum conſultationibus, arbitramur, vtriuſq, opinionis (quarum quęlibet duabus conſtat partibus) alteram partem tantum eſſe veram, & ex vtraque parte vera conſtitui genuinam & veram Hipp. mentem & in hac re doctrinam. Sic Megetis & Poſidonii ſententia, qua tenent, in *capitis vulneribus ſiccis medicamentis eſſe vtendum*, tanquam veriſſimam arbitror, vt quæ primum authorem habuit Hippocratem. Quatenus vero, non proferunt, oſſa eſſe abradenda, aut aliter ferramentis tractanda, id reiiciendum fore arbitror, tanquam omni ex parte doctrinæ Hippocratis aduerſum, & ex oppoſito contrarium: necnon & Galeni, Pauli, Celſi, & Auicennæ, quantumuis qui hodierna die hanc factionem tuentur, huiuſmodi authores in ſui patrocinium aduocẽt, quatenus ad hanc partem attinet, imponentes profecto illis ſuum figmentum. Pari prorſus ratione cenſemus alterius dogmatis primã partem, quæ ſtatuit oſſa eſſe abradenda, veriſſimam ſecurioremque eſſe, & quæ (ſicut probatum eſt) ad mentem Hippoc. & reliquorum virorum ac Chirurgorum noſtri temporis feliciſſimis exemplis cõfirmata eſt. Arbitramur tamẽ reliquam eiuſdem factionis partem eſſe à ratione & Hippocratis mente alienam, vt quæ blandis & humidis medicamentis huiuſmodi vulnera eſſe curanda ſtatuat,

tuat,

tiat, cum vulnetibus, maximè capitis, nocua exiſtat.

Quibus ſic conſtirutis, conſtat vulnerum capitis curationem, non omnibus oſſium fracturis, per vulneris dilatationem & ſormationē, ac eorum abraſionem, aut extractionem exercendam fore, neq; omnibus denegandam eſſe manuum ac ferramenrorum operationem. Cæterum vtcūque ſit, ſiue oſſa abraſeris aut perforaueris, ſiue nihil horum feceris, *ſemper ſiccu medicamentu vtendum eſt à principio ad cicatricem, blandu & humidu nequaquam*: niſi inflammatio vlceris, aut membranarum, vel quoduis aliud accidens tantiſper eis vti cōſuluerit, aut aliis admiſcere: quod ſi incaurè & diutius fiat, longè grauius erit, quo magis os perforaueris, ac ſine perforatione non tutum.

Vulnerum capitis cum cranei fractura curatio vera quomodo inſtituenda.

Ad inſtituendam veram, genuinam & legitimam curationem horum vulnerum, quæ cum cranei fiactura ſunt, quatuot conſideranda ſeſe nobis offerunt: *Primum*, quæ vulnera dilatare oporteat: *ſecūdum*, quæ formare, aut quæ ſecus: *tertium*, quam oſſium fracturam liceat abradere, perforare aut quæ oſſa euellere, quæ verò minimè: *vltimò* verò qualia debeant eſſe medicamēta omnibus proficua, & an ſint alicui aliqua peculiaria.

Quæ vulnera dilatare oporteat.

Circa *primum* ſtatuēdum eſt, id vlcus dilatandum fore, cuius oſſa abradere, aut perforare, vel extrahere citra dilatationem commodè fieri nequeat: nam cum aliquod ex prædictis operibus citra maiorem ſciſſuram fieri poſſit, id quidem eligendum ſummoperè erit tanquam tutius: nam ſæpius nouacula malum lethalius, quam telum percutiens effecit. Præterea dilatare oportet ſinuoſum vulnus, quo facilius medicamentū omnes partes peruadat, niſi commodam nactum fuerit expurgationi figuram: rotundum autem vlcus non id neceſſariò expoſtulat, licèt vile aliquando ſit.

Quæ formare, aut quæ ſecus.

Circa *ſecundum* tutiorem curationem vulnerum capitis arbitramur, ſolum ea elichinis formare, quibus os abradi neceſſum eſt, & quib. ſanguinis profuſio adiūgitur. Quamobrem laudare non poſſum quorundam Chirurgorum cōſuetudinem, qui nullum capitis vulnus citra dilatationem curare ſciunt, efficientes in membranæ & carnis ſeparatione à craneo longè maius damnum, quàm telum, cum ſola exſiccatione & vnione tutiùs & citiùs ac iocundius curaſſent, quàm facta fruſtra & inutiliter ſciſſura & formatione, quo difficiliùs deinceps vulnus curatur.

Quæ oſſa ex fractis liceat abradere, perforare, aut quæ euellere, quæ vero minime.

Tertium quod propoſuimus ad legitimam horum vulnerum curationem eſſe neceſſarium ſcitu (ac forſan ſi à recto diſceſſeris, periculoſius) eſt, quæ oſſa ex fractis neceſſariò abraſionem, & quæ perforationem aut auulſionem expoſtulent, ita vt citra id, lōgè periculoſius euadat malum: & quæ licèt facta ſint, maius & certius periculum minētur, ſi ferramentis vtaris, quàm ſecus. Cui vſui expendere oportet, quòd ſi ex vulneris ſignis, ex vulnerantis vigore, ex teli acutie aut grauitate, & ex laborantis ſymptomatis, quæ mox à vulnere illato ſuccreſcunt, cōſtiterit, læſum fuiſſe aliquo modo craneum, ſiue anguſta fractura ſit, ſiue ſedes teli, aut cranei contuſio, aut vtcunque, vel in prima aut ſuprema cranei ſuperficie, aut profundius in meditullio, vel in vitrea ſeu diploide appellata, maximè verendum eſt, ne temporis progreſſu, ignota ſciſſuræ penetratione ad intima, pernicioſa & difficulter reparabilia ſuccreſcant ſymptomata. Siquidem non rarò diſrūmpuntur venulæ & arteriæ membranarum, & inſtillat ſanguis, necnon ab oſſis parte ſpōgioſa, contuſa aut diſciſſa, quæ vel intra os putreſcens, aut profundiùs ſupra cerebri membranas, vel ipſæ membranæ præ ictu dolētes & inflammatæ, aut malo ſuſcepto per ſuturas cranei à pericraneo contuſo, aut læſo, lethalia accerſant accidentia, quibus nuſquam ſubuenire poſſumus, etiam maiori diligentia eo tempore adhibita, quæ forſan nō ſuccreſcunt, longè minori in principio præhabita, vel leui abraſione aut perforatione cranei. Verùm cùm neque ſi id feceris tutius incides: nam ſæpiſſimè oſſe abraſo aut perforato à principio, eadem & forſan maiora ac certiùs, & accidentia & mortem ſuccreſcere comperiamus, ex vulnere illato à telo, & eo quod melioris gratia Chirurgi manus fecere: ob id profectò diligenter diſquirendum erit, *quales caluariæ fracturæ, quæ vulnera ferramentorum ope indigeant, quæ verò ſecus*, ne duplex fiat vulnus & malum malo addamus ſub ſpecie curationis.

Cùm potiſſima abradendi oſſa caluariæ fracta neceſſitas ſit, vt ſubſit aditus, ſuccis qui intra caluariam tranſcolarunt (ſiquidē vt inquit Hip. *Quod per anguſtum intrans, non autem exiens, affligit, & furere hominem facit*) **Lib. de loc. in ho.** aut in cranei poroſitatib. contuſum eſt, antequam putreſcat, & os purulentum fiat, membranaſq; vitiet ac cerebrum: ob id profectò ſciendum eſt, ex fracturis quaſdā eſſe, quas nec ferramentis, neq; quauis alia manus actione tractare citra maius & certius periculum poſſis: alias, quæ perforationem expoſtulāt neceſſariò: & nonnullas, quæ abraſionem quidem expoſtulant, perforationem autem minimè: aliàs inſuper quæ non id ſolum, ſed & oſſium auulſionem, ſeparationem, aut eleuationem requirunt neceſſariò. Tunc ſic ſtatuēdum eſt: *Quocunq; tempore accidentia læſi cerebri appareant, monſtrantia, vel aliquid cecidiſſe intus, vel intra caluariam diruptum, aut in ipſa cōfractum, eo vſq; caput abradere oportet, donec ſufficiens aditus ſubſit his, quæ intus læſura ſunt, aut iam lædunt.* Quo ſanè malū vereri oportet, ſi in caluariæ oſſe, fiſſura, ſciſſura aut cōtuſio appareat, quæ interiùs permeare inueniatur abradendo, facta attramēti probatione: quo tempore penetrare ad meninges oportebit citra vllam dubitationem, alioqui **Lib. de vul. cap.** vereri oportet ne membranas inflammatione aut corruptione lethale afficiant, exitum nō habentes extranei ſucci. In quo ſanè opere Hippoc. vbi abraſio à vulneris principio facta ſit, non permittit ad membranas vſque perforare, ſed parum ante ſubſiſtere (ne ferro abradas, aut frigore diutius detectæ lædantur) nam id arbitratur naturam facile poſſe ſeparare. Quam ſententiam non ſemper exequendam arbitror: nam vbi aliquid procidit in membranas, cuius occaſione exitus quæritur, caput abradere, & emiſſarium non efficere, irritum & inutile eſt. Quamobrem, vbi poſt accidentium aduentum caput perforatur, neceſſariò aperienda caluaria eſt, quo pus expiret, nam tunc iam *dura mater* à craneo diſceſſit: vbi verò conſtat aliquid prolapſum eſſe, & à principio abraditur, perforare oportet, ſed non eo die, quo fit abraſio, ſed relicta tenuiſſima lamina, quæ facilè commoueatur, ſubſiſtendum eſt. Secus tamen res ſe habet vbi internæ læſionis ſuſpicio leuis ſit, licèt fiſ-

ſura.

ſura permeet, & parum adhuc confluxiſſe cõſtet ex his ſignis quæ in vulnerando præceſſerunt, aut adſunt: tũc quidem ſatius eſt ante integram perforationem & laminę commotionem ſubſiſtere: nam ſicca ebibentia, & reſoluentia ac roborantia medicamenta ſufficient profecto, reliquum diſcutere & extrahere. Quod *ſi iuxta ſuturas vulnus fuerit illatum*, ipſas abradere nequaquam licet, ſed à latere iuxta ſuturæ longitudinem vtrinq; foramẽ excauare oportet: ſecus res ſe habet, cum accidentia iam apparuerunt, & dura mater diſceſſit à ſuturis putrefacta, & diſſciſſis filamentis.

Ferramentis aut dilatatione quando vtendum non ſit.

Cæterum, *vbi oſſa caluariæ fracta ſunt, comminuta, aut ſecus, ea tamen ſolutionis ſorte, quod prædictis ſuccis, qui vel delapſi ſunt deſuper, vel è venis membranarum aut cranei exſudarunt, pateat exitus, ſiue oſſa dimota ſint, ſiue non ſufficienter æqualiter ſita*, neque ferramentis tractare, mouere, abradere, aut aliter euertere, vlla ratione conuenit: longe enim maius beneficium ſuſceptat, cute non admodum dirupta, exſiccis & reſoluentibus pharmacis, quàm ex fractorum oſſium abraſione, aut ſeparatione. Quinimmo ex hoc opere plurimum lædi naturam, & lethalius fieri vulnus eſt arbitrandum. Pari ratione *vbi fractura, cuiuſuis ſortis ſit, in capitis lateribus adſit*, nullo modo ferramentis aut dilatatione vtendũ erit, ſed ſutura aut vinculo & vnione opus eſt, quantum poſſibile ſit, relicto purgationi emiſſario. Verum ſi *telo acuto craneum perforari contingat*, vereri quoque oportet ferramentorum vſum: nã præter id quod coniectabile eſt, ſufficiens foramen adeſſe, cauere oportet nouam & maiorem capitis apertionem in huiuſmodi vulneribus: ꝙ ſi feceris, non errabis: nec ſi feceris, & ſiccis medicamentis vtaris, quia in extremitate parui foraminis externa foraminis ſuperficie amplior eſt hiatus, quo facilius quàm in alio vulnere ſua medicamenta proficua ſunt. Præterea *vbi ſolum craneum detectum denudatumq; eſt*, protinus abradere ſuſpectione ſola contuſionis occultæ, periculo non vacat: nam cum id opus adeo graue & timoroſum ſit, quantumuis id conſulat Hipp. aggredi ſolo timore percitus, vereri plurimum oportet. Satius enim in hoc caſu erit vti Celſi conſilio, qui non ſolum in denudato craneo, ſed in omni fracto oſſe emplaſtris & medicamentis exſiccantibus vtebatur: quod ego non conſulerem in ſciſſione aut fractura, libenter tamen in oſſis denudatione: quippe tunc cauendum eſt à ferramentis & apertione ac dilatatione cutis & pericranei, ſed protinus craneum cooperire & exſiccare pro naturæ modo oportebit. Pari prorſus ratione fugiendum eſt à ferramentorum vſu, vel vlteriori apertione aut dilatatione, vbi *percuſſio aut vulnus in vno eſt loco, & è regione in contrario ſuſpicamur factam fuiſſe oſſis commotionem, aut ſolutionem*: quod difficilimum arbitror: ſed longe difficilius & grauius eſt partem ſanam, ſiue tumeat, ſiue ſecus, aut aperire, aut craneũ ferramentis tentare. Maximæ enim in hoc caſu vtilitatis eſt, & ex neceſſitate naturæ affectus prodit, ſiccantia & roborantia adhibere, & caput fouere omni arte.

Cæterum vbi *ſolum teli ſedes elucet, aut contuſio apparens, vel euidentibus coniecturis certa*, abradendum quidem craneum eſt in ſede teli, donec ſolutionis veſtigium deliteſcat, ibidemq; ſubſiſtendum, nec penetrãdum vltra erit: nam id in huiuſmodi vulneribus ſumme eſt graue & periculoſum, ſed mox ſiccis vtendum medicamentis. At vero in contuſione, abradẽdum quidem eſt, donec ſanguis ab oſſe pullulet, ſubſiſtendumq; dum oſſis ſpongioſitatem complanaueris, & eo facto ſiccis medicamentis vteris.

Oſſium fractorum cõplanatio, coæquatio & euulſio.

Vltimo, ſi oſſa adeo fracta ſint, & à ſuis locis ſemota & euerſa, quod vel membranas dirumpant, pungant, comprimant, ac dilacerẽt, ferendum non eſt, quin protinus vel coæquentur, & eleuata complanentur, ac ſi omnino exciſa ſint & ſeparata quàm leuiſſimme euellantur, antequàm membranis inflammationem accerſant. Quippe credibile non eſt, poſſe naturam pati adeo moleſtam configurationem citra maximum damnum: præter id quod ſic oppreſſa nequibit oſſa complanare ſuis, nec auxiliorum viribus citra manuum aut ferramentorum adminiculum, & ob id vel forcipe, vel eleuatorio inſtrumento, vel quouis alio idoneo, eo vſque dimouere oſſa oportebit, donec membranæ à compreſſione, diruptione, punctioneque liberentur. Quod ſi id citra oſſis extractionem fieri poſſit, longe tutius erit, quàm vi aut quouis alio modo euellere, & in naturam violentiam inferre: nam ſi ipſa abſque moleſtia ſit, complanare quidem & æquare atque vnire diſtracta oſſa facile poteris, maxime medicamentorum huic miniſterio idoneorum adminiculo.

His ſuperpoſitis, ſciendum eſt, veteres illos Chirurgos, & noſtri temporis plures innumeras ferramentorum formas, quibus prædicta opera exequerentur, excogitaſſe: quæ ſane potius apparatum oſtendunt, quàm indigentiam compleant. Quibus relictis, quia eorum conſideratio non eſt præſentis inſtituti, tanquam firmum haberi debet, nullum aliud ferramentum oſſibus fractis abradendis, aut capiti perforando, æque idoneum eſſe, ac id quod *abraſorium* appellatur. Quippe hoc ſolo inſtrumento quantum volumus, & quomodo inſtituimus, caput abradimus, aut perforamus citra aliud damnum aut moleſtiam, idque tuto facimus. Secus tamen res ſe habet, ſi poſt aliquot dies inopinato accidẽtia ſuccreſcunt: nam eo tempore ſi perforandum eſt, cycliſcis ſeu ſerrato circulo craneum perforare licebit, quia tunc periculum non incumbit læſioni membranæ, quod probabile ſit iam à caluaria diſceſſiſſe: in aliis vero ſufficit raſoriis diuerſæ magnitudinis vti, prout neceſſitas aut corporis vel vlceris magnitudo poſtulauerit.

Abraſorium ferramentũ.

Abraſionis opus a qua parte incipiendum.

Abraſionis præterea opus incipies ab ea parte, qua os euidentius fractum aut colliſum apparuerit: alioqui vero ab infirmiori parte. Ac ſi fractura oſſis oblonga admodum ſit, ſat erit in apertione euidentiore abradere, & poſtea vtrinque procedere, non tamen æque profunde ac in loco dicto, vt oſſis integritas adſeruetur quantum poſſibile fuerit, quo facilius ab ea parte porum gignere incipiat natura, quantum poſſibile fuerit: nam ob hanc rationem nonnulli conſuluerunt, oblongam ſciſſuram omnibus extremis non eſſe abradendam, ſi per medium perforata eſt. Et ob id ſat erit craneum perforare quantum lenta eſt magnitudo, & ſufficiat expulſioni receptæ humiditatis, & non ſit aeri liberior introitus, poſtea membranas læſuri: vtcunque tamen ſit, os raſum

compla-

complanare oportebit & aſperitatem lenire, & lenticulato ferramento, ſi quid acutum aut læſurũ ſupereſt, auferre. Quæ ſanè opera, leniter, citò & cautè facito, alioqui non leue malum ex vi illata, aut aeris contactu ſperandum erit.

Quando & quo vulneris tempore aggrediendum ſit.

Non eſt profectò minoris momẽti noſſe, quãdo & quo vulneris tempore aggrediendũ ſit huiuſmodi abraſionis opus. Cuius rei opinionibus prætermiſſis, ſtatuẽdum eſt, longè melius, quinimo neceſſarium eſſe mox à principio quantum poſſibile fuerit craneũ abradere (dilatio quippe nullius eſt momẽti neq; vſus) antequam vitium contrahat quod ſupra tunicas procubuit, & accidentia ſuperueniant: quo tẽpore, vel pernicioſum vel inutile exiſtit craneum perforare, aut abradere, niſi in his vulneribus, in quibus viſum nõ fuit à principio id opus efficere, ꝙ nullum apparuiſſet veſtigium interioris mali, & cum hoc à ſeprima die, aut vltra, ſi leuis febricula vel dolor aut humiditatũ defectus in vulnere apparuerit, tunc ſatius erit anceps experiri auxilium, quàm certò mori hominem permittere. Tunc quidem protinus perforare craneũ oportebit: tũ vt malo incipienti præueniamus: tum vero, quia ſi maiora ſuccreuerint accidentia, fruſtra & erroneum fuerit craneum perforare. Neq; interdicit Hipp. veritus primis diebus craneum perforare, quia id ſcribit, eo ꝙ dura membrana eo tempore adhærens adhuc exiſtit craneo, & periclitatur læſione ab inſtrumẽto abraſorio: poſteà verò cũ iam malum creſcit, ſeparatur, & ſine periculo foramẽ fit. Quo conſtat, pulſationem huius membranæ deterrimũ eſſe ſignũ, quippe arguit collapſam eſſe ſupra piam, q̃ pulſat, nã quietam eſſe arguit in loco naturali exiſtere. Quib. factis, inſpiciendũ diligẽter eſt, ne oſſis ramentum, pilus vel humiditas aliqua præſit inter membranam & craneũ, quod conandum eſt pellere compreſſa reſpiratione, ſi vel pus, vel humiditas aliqua intus latitet.

Lib. de vul. cap.

Siccisne an humidis medicamentis in capitis vulneribus vtendum ſit.

Vltimum verò, quod in diſputationem duximus eſt, *ſiccis ne, an humidis medicamentis in huiuſmodi vulneribus vtendum ſit, idq; vel ſemper, vel in omnibus vulneris partibus*. Nam adeo creuit Empiricorum temeritas & ignorantia, ꝙ vbiq; vlceris, & ſemper ſiccis indiſcriminatim vtantur, ſicut quorundam Chirurgorũ noſtri temporis ruſticus timor, ꝙ leniſſimis & humidis, vel leuiter ſiccis, vtãtur, cum ſiccitas minor, quàm partis & vlceris natura expoſtulet, ſordidum & humidũ reddat ipſum. In qua re ſtatuendum eſt, *vtriſq; eſſe vtendum in capitis vulneribus*, cæterum longè diuerſa ratione: nã *ſiccis* neceſſariò, & ex natura, tum partis, tum vlceris: *humidis* verò non niſi accidẽtium gratia: illa quidẽ vlcus curãt: hæc verò accidentia mitigant, dolores leniunt, inflammationem arcẽt, aut mitigant, & cruda vlcera coquendo ad ſanitatẽ adipiſcendam coadiuuant. Quamobrem neceſſum eſt nunc docere, *qua lege & ratione vtriſq; vtẽdum ſit*. Quòd ſicca adhibere ab vlceris principio ad cicatricem, & ea perperam prætermiſerint Chirurgi noſtri temporis, conſtat, ex Hippo. qui ita ſcriptum reliquit: *Vulnus in capite nullo humore humectare conuenit, ac ne vino quidem.* Quam etiam ſententiam confirmauerat alibi, dicens: *Quin & cataplaſmata peſſima quidem ea ſunt, quæ ſunt grauiſſima, ſed & pleraque alia praua ſunt, & abſceſſum prouocant, & tunc mucoſitatem ampliorem, tum ſuppurationes moleſtas mouent.* Galen. quoq; medicamenta ſicca laudat, blanda refugit, & mille in locis inquit oſſi nudato neceſſaria eſſe, fugiendaq; emota à Græcis appellata, quod linamentis inunctis offerantur: & eadem parte idem confirmat, necnon ex Megetis & aliorum veterum opinione & feliciſſimo euentu probat. Quod Paulus, Auicenna & reliqui ſapientes viri euidenter conſulunt, maximè vt Gal. docuerat, vbi os nudatum eſt: nam, inquit, *ſicciora* (quaſi vt probatum relinquat ſicca, omnibus vlceribus proficua eſſe) *medicamẽta vulnerato capiti eatenus idonea eſſe, quatenus os apertum eſt*, quoniam capitis vulnera vbi os nudatum non eſt, nil proprium corporis parte requirunt, magis quàm in alia corporis parte, vbi ſemper expectãda eſt natura affectæ ſedis. Denique cum vulnerum, quatenus vulnera ſunt, communis curatio, ſiccantibus perficiatur (niſi in articulis & contuſa carne, aut aliquibus caſibus ſpecialiter) ob id profectò fit, quòd vulnus non vniatur, niſi ſiccetur, nec carnem producat niſi ſiccetur. Siccitas tamen, quæ oſſibus fractis aut detectis, proficua eſt, longe intenſior futura eſt, quàm quæ vlceri ſolùm commoda exiſtit, ob id ſicciora dixit Galen. prærequiri. Quid igitur de blandis & humidis medicamentis ſentiendum eſt, an omnino ea ablegare oportet à vulnerũ curatione, quod ſuapte natura vulnus diutinum ac ſordidum reddant? ſubiectum os, vbi nudatum eſt, corrumpant? & omnino effectum contrarium, quem res poſtulat, efficiant? ſiquidem hæc omnia medicamenta ex illinientibus ſint, laxandiquè vim ac pus mouendi habeant, nec non & putrefaciendi atque corrumpendi.

Lib. de vul. cap.
Lib. 2. de fra. 58.
Lib. de vul. cap.
Lib. 2 de fractu. 58.
Lib. 5. per gen. c. 14.
Lib. 6 meth.
Lib. 2. per gen. c. 6.
Lib 6 per gen. c. 14.

Vulnerum communis curatio quibus perficiatur.

Si quis rem hanc diligentius perſitet, *vtriſque vtendum eſſe* reperiet, *non tamen indiſtincte & indiſcriminatim, & vtcunq;*, ſed hac lege inſtituta: nimirũ ſiccis, dum vulnus nil aliud ſibi habet adiunctũ: & reliquis, ſi aliquid vulneri accedat, quod id expoſtulet & vlceris indicationem obumbret. Cæterum in ſiccorum adminiſtratione, cenſeo non ſemper feliciter ſuccedere, quia modum, menſuram & gradum metiri exacte neſcimus: nã ſi id recte efficere ſtuduerit, proculdubio multo citiùs & certiùs ſanitati reſtituerentur: quod profecto non procedit, vt ſtudemus, quia quibuſdã ſiccius, aliis minus ſiccum adhibemus medicamentum. Vulnus itaque capitis, ſi citra ferramẽtorum aut manus opem poteſt curari vt dictum eſt, vino diligenter abluere, calido, ſiccis atque modicè calidis medicamentis actu calidis tractare oportet, exemptis à vulnere prius quæ extranea fuerint. Vulnere verò à vino exſiccato, *oleo ex Aparicio*, quod calidiſſimum ſit, quantum laborans ferre poſſit, vulnus implendum eſt, ſupraq; linteola oleo imbuta imponenda, & extremum vino iterum calido ſuperponatur, & facta commoda ligatione vſque ad integram curationem ſic facito. Quippe huiuſmodi oleum exacte glutinat & carnem ad cicatricẽ producit, præſertim ſi emplaſtri forma, cum *terebinthina & ceruſa*, aut *pulueribus ſiccis*, quos inferiùs referam, appoſueris. Inter medicamenta ſicca, huic vſui & omni vulneri cuiuſuis ſit partis proficua, id maximè comprobatum experimẽto & ratione comperio, quo feliciſſimo euentu vſi ſunt non pauci Chirurgorum tanquam maximo ſecreto, q. s. *myrrha, thuris*,

Capitis vulnus ſi citra ferramentorum aut manus opẽ poteſt curari, quomodo procedendum.

Secretum.

maſtichis, ſanguinis draconis, boli Armenici præparati, ſanthalorum, rubeorum, aloes, abſynthii, ana. ℥. ſ. fiat omnium puluis tenuiſſimus, & per cribrũ quater coletur, vt remaneat ſicut *alcoholi* & quatuor vnciis *olei Aparicii* adde *huius pulueris* ℥. ſ. & agitetur tempore vſus. Quo vnguento vulnus penicillis, aut circa ipſos, replebis leniter. Poſteà vnguento deſuper vteris nigro. q. r. *olei roſati & maſtichini ana* ℥. iiij. *lithargyri.* ʒ. iij. *mini.* ℥. j. *aquæ vitæ.* ℥. iiij. *myrrhæ & maſtichis ana* ℥. j. *prunellæ, betonicæ ana* : ij. fiat emplaſtrum ſecundum artem, quod fiet nigrum ad modum vituminis. Sunt autem hæc vſui maximè proficua. Verùm ſi vulneri ſanguinis fluxus ſuccreſcat, vino non vteris, ſed eodem oleo, frigido tamẽ & pulueribus reſtrictiuis admiſto: habet quippe ſingularem compeſcendi fluxum efficaciam, maximè ſi deſuper addideris *oui candidũ cum pilis leporum*. Quod ſi capitis vulnus cum cranei fractura euidenti, ac ſufficienti expurgatione ſuccorum, vel ſolum craneo detecto, aut cum læſione in contraria parte ab ictu, vel cum oſſium ſeparatione, inæqualitate, & grandi confractione, ita vt manus ope non ſit opus (vt dictũ eſt, niſi oportuerit aliq; os ſeparatum extrahere) nullo alio medicamento vteris niſi *vino, & oleo Aparicii*: adeò n. validè exſiccat, vt neq; ſaniẽ neq; pus intus permeare ſinat. Oleũ hoc profectò caluariæ fractas ac diuiſas partes, aut vnit, aut ſeparat & educit: Sic vbi in cõtraria à vulnerata parte læſio aliqua perſentitur, ipſa eo prçcalido inuncta, abraſis capillis, mirũ in modum præcauet & curat, ſicut emplaſtrum nigrum nuper ſcriptum. Pari prorſus ratione vbi abraſeris os, ſiue penetrauerit abraſio ſiue ſecus, eadem curationis forma vteris: hoc vno excepto, q; vulneris labra ſi cruda ſint, ſi contuſa, ſi inflammatione tenentur, blãdis medicamentis, vt quæ digeſtiua vocantur, lenienda ſunt, & coquendũ id quod digeri nequit, vt paulò inferiùs leges. Verum ſiccis vti medicamentis, vt conſiderationem maximam expoſtulat, ita omnino tutum non eſt. Nam triplici ratione ſicca medicamenta caluariæ fracturis proficua exiſtunt: tum quatenus vlcus eſt, perpetuò ſiccantia expoſtulans, modicè tamen: tum quatenus oſſa detecta ſunt, quæ cuſtodire, protegere & fouere oportet, quæ opera nullo alio auxilio tutiùs fient, quàm per ſicca medicamẽta: quæ tamen innatam oſſis ſiccitatem excedere non tenentur, alioqui non erunt proficua: tum vltimò vbi os diſceſſurum eſt, quo facilius emoriatur & tabeſcat, & facilius diſcedat: quæ vehementer & ſupra oſſis naturam ſiccare oportet. Quæ ſanè & delapſam humiditatem, aut pus ebibendi & exſiccandi atq; extrahendi vires habent. Sic profectò quæ ſicca ſunt & pulueris forma adhibentur, plurimum ſiccare nata exiſtunt: quę verò vnguẽti aut emplaſtri forma, licèt æqualiter ſiccis conficiantur, non tamen æquè ſiccant, ob admixta medicamẽta, quæ quodammodo molliora reddunt, maximè ſi oleo liquentur & emolleſcant, præſertim *Aparicii*. Itaque his liquaris ſupra omne vlcus vteris (ſi mens eſt oſſa extrahere ſiccis) vt *puluere iridis, ariſtolochiæ, betonicæ, centaureæ*, & reliquorum quæ cephalica dicuntur, ſimiliter blandiori forma adhibitis. Huius naturæ eſt vnguentum *iſis, barbarum, de centaurea, betonica, gummi elemi*, & ſimilia: quæ ferè omnia aliquid viridis æris recipiunt. Quæ vel admiſto *gummi elemi* vnguento, vel oleo *Aparicii* liquidiora reddes, & ſupra vlcus appones, exteriuſque prędicto oleo inunges, & madido ex eo linteo ſuperpoſito caput ligabis: & hac lege ad vltimum vſque curationis procedes, niſi aliquid adiunctum ſit aut ſuccreſcat, quod prædictam & antiquam methodum euertere doceat: hac quippe curationis via plures ſanos ſe vidiſſe, quam humidis ſtatuit Gal.

Olei Aparicii efficacia.

Caluariæ fracturis ſicca medicamenta qua ratione proficua ſint.

Pulueris forma quæ adhibentur plurimum ſiccant ſecus quæ vnguẽti aut emplaſtri.

Oſſa ſi ſiccis extrahenda quib. vtendum & è contra:

Solent autem vulneribus ſuccreſcere inflammationes, dolores, contuſiones quæ præfuerunt ab ictu: item ex aliqua occaſione vulnera recrudeſcunt adeo, vt ſæpè poſthabita præfata & generali vulnerum methodo curatiua, neceſſum ſit, cuiq; pro indigentia ſubuenire: nam ſi aliquo ex prædictis accedente, ſiccis amplius vtaris, dubium non eſt, quin vel dolorem, vel inflammationem adaugeas, aut ſordidius & crudius reddas vlcus. Quamobrem diligenter conſiderabis, an membranæ, vel externa cuto dolore, tumore & inflammatione tenentur: quo tempore inhibẽdæ inflammationis & mitigandi dolores gratia, *omphacino roſaceo calido*, ſupra membranam vteris, & exterius in vulneris circuitu. & quo magis ab inflammatione quæ præfuit, diſceſſeris, tãto minus vteris oleo, & adiicies *mellis*, donec eo ſolo vtaris, poſitis ſupra os ſiccis elichinis, vel appones puluerem capitalem Gal. *lib. 13. metho. cap. 1. & libr. 6. cap. 5.* Labia tamen communi digeſtiuo curabis, cauens ne penicillos digeſtiuo obductos, iterum *roſaceo* madefacias: nam impoſſibile eſt intus ad oſſa non permeare: qua curatione plurimos deductos fuiſſe conſtat in oſſium, & membranarum corruptionem & putrilaginem, haud ſecus quàm ex cõtuſione ac ſuccorum prauorum prolapſione ſupra membranas aut cerebrum. Pari prorſus ratione blandis & pus mouentibus etiam à principio vteris, vbi contuſum ex carne aliquid eſt: nam ſi exſiccaueris proculdubio lædes, & vlcus aut ſordidum, aut ſalitum & ſiccum reddes. Verum cum à ſiccis abſtinueris, id lentè & ſenſim facito, maiori parte digeſtiui ex *terebinthina* adiecta, quam ex *oui luteo*: tandem his vteris, donec vlcus coctionem commõſtret, & inflammatio ac dolor miteſcant: quo tempore ad ſicca iterum te conferes medicamenta, quibus & abſtergas, & pariter ſicces. Cauendum tamen eſt in hac curatione, ne vulnus elichinis adeo impleatur, quod vel cuto, vel membranæ, vel fracta oſſa nimis comprimantur, ac dehiſcant: hoc enim curandi genus ſæpe maius damnum attulit, & maiores dolores quàm malum ipſum. Poſteà verò ſupra vulnus (vt ſecurius coquantur labra & cõtuſæ partes) eodem digeſtiuo vteris: ſed laudo magis *tetrapharmacum*: ac ſi calorem partis deficere conſtiterit, vel cataplaſmata ex puluerib*us* calidis impones, vel emplaſtrum aliquod ex dictis: deinde quæ carnis generationem præſtent: veluti *vnguentum medea confectionis*, & in mollioribus corporibus *vnguentum aureum*: in adultis vero quod ex *gummi elemi* conficitur, aut *cerotum iſis*, vel *emplaſtrum centaureæ*, ſi liquidiora reddantur *melle*, aut *oleo*.

Symptomatum in capitis vulneribus & contuſione curatio.

Ex carne vbi aliquid in capite contuſum eſt, quid agendum.

Quid cauendum & agendum ſit in curatione vulnerum capitis.

Hac eteuim via procedes, ſi rem feliciter cedere comperias: verũ ſi membranæ ſordidæ & praui

coloris

Digitized by Google

coloris apparuerint, maiori indiget diligentia: & ob id addere oportet melli roſaceo *aqua vitæ modicum.* At ſi ex pure inter tunicam & craneum innatante, ſordities ſuboriatur, conficere oportet medicamentum ex *ſucco betonicæ & melle roſaceo*, & præmiſſa coctione vſque ad ſucci conſumptionem addes *gummi elemi* parum. Prodeſt etiam *terebinthina abietis cum puluere ireos*: verùm ſi ad nigredinem vergat, & vereamur membranæ corruptionem, *vnguento Apoſtolorum, & poſtea Aegyptiaco, admiſto melle roſaceo*, veteris, aut *vnguento rubeo*, licèt eo tempore parum prodeſſe pharmaca arbitrandum ſit. Verùm ſi inflammatio adeò creſcat, quòd membrana ad modum fungi ſupra craneum emineat, tunc quidem ſolo linteolo *roſaceo* madefacto vtendum eſt, donec tumor decreſcat. Verum ſi excreſcentia fungoſæ & ſpongioſæ carnis fuerit, tunc quidem *alumine vſto* ſuperſparſo veteris, quod ſat erit.

Excreſcentia fungoſæ & ſpongioſæ carnis quomodo curanda.

Reliquorum accidentium (quæ vulneribus euenire aſſolent) tractatio, quia non eſt præſentis instituti, conſulto ableganda eſt ab huiuſmodi tractatione.

TRACTATVS TERTIVS,
DE VLCERIBVS IN GENERE.
INSTITVTIO I.

EAM continui ſolutionem, quæ ab intrinſeca proficiſcitur cauſa, & inueteraſcit, nequitque per vnita labra ſolum ſaneſcere, ſed vnam vel plures ſortitur diſpoſitiones, quæ vnionem vel conſolidationem remorentur, cum ſanioſa & purulenta colluuie atque putredine, vulgariter Chirurgi vlcus appellant. Affectio quidem quæ (licet in ſimplicem & compoſitam diuidatur) nullibi ſimplex reperitur, vt vulnus, adeo vt per ſimplicem cohalitum partium vniri non poſſit, quemadmodum vulnus, ſed ſemper ſecum habet adiunctum aliquid, ſiue ſanies, ſiue carnis defectus, ſiue quid aliud, quod & ſimplicitatem & vnionem remoretur. Cum hoc tamen ſecluſa hac ſimplici vnione, curari deſiderat, vt vulnus per vnionem, eam tamen quæ fieri debet per carnis productionem aut cutis, & ſeparationem prohibentis.

Vlcus nullibi ſimplex reperitur.

Vlceris diuiſio.

His non obſtantibus, diuiſerunt priſci illi ſapientiſſimi vlcus in ſimplex & compoſitum. *Simplex* igitur erit *vlcus*, cui nullus alius affectus, nec ſymptoma aliquod coniungitur, ſed id ſolum quod ſolutio continui eſt, cum pure, ixore aut putredine. Quæ ſane vlceris ſors & conditio, licèt in multo plures diuidatur, ab ipſius vlceris natura vel rei ſubſtantia deſumptas, vt quæ à figura ſeu magnitudine vlceris deſumantur, quæ à tempore, à ſitu, ſeu parte vlcerata deſumuntur aliæ plures: quas tamen quia non plurimum euariant communem & vniuerſalem medendi viam, prætermitto, licèt neceſſum ſit aliquid euariare peculiarius & ſpecialius, non tamen magni momenti. Quod vero in curatione maius longè faceſſit negotium, *vlcerum complexus & complicatio* eſt, vt quæ & peculiarem requirat prouidentiam, & citra quorum ablationem, vlcus curari nulla ratione poteſt. Sic profectò, præmiſſa diuiſione vlceris *magni, parui, recti, obliqui, æqualis, inæqualis, profundi aut ſuperficialis, aut eius quod eſt in parte ſimilari vel organica, in cute, carne, vena, arteria, vel in quouis alio corporis membro*, ſolum in medium adducere eam vlcerum diuiſionem placuit, quæ à complicatione aut compoſitione vlcerum diſſeminatur, vt quæ maximè faceſſant in re practica negotium.

Differentia.

Vlceris igitur compoſiti differentiæ ſumuntur à complexu ipſius cum ſymptomate, vt *cruciãs, dolore vacans, ſordidum, ſanioſum, cruentum*: vel adiūgitur morbo, vt vlcus *intemperatum, phlegmonoſum, gangrænoſum, canceroſum, putridum, cauum, phagedenicum ſupercreſcens, calloſum, & cum vitio oſſis.* Aut adeſt ſuæ cauſæ adiunctum, vt *catochymum*, fluxionibus complicatum, aut ſinuoſum, varicoſumve. Quorum ſane in multo plures ſubſecantur ſpecies, iuxta cauſæ, morbi aut ſymptomatis complexum: quorum omnium meminiſſe non eſt præſentis inſtituti, ſed ſolum eorum, quæ maius faceſſunt in curatione negotium, & certius periculum acceſſunt.

Cauſæ.

Cauſæ omnium vlcerum in genere, duplices tantùm babenrur, namque ab huiuſmodi curatione, *procatarctica* omnino ſunt ablegandæ. *Antecedentes* quidem ſunt humores vitioſi, erodentes, mordaces, aduſti, ſalſi, & vtcunq; aliter adeò vitiati, quòd quamcunq; partem adierint, vim habeant (citra quantitatis cõſiderationem) ex maligna conditione abradere, & exulcerare. *Continentes cauſæ* in multiplici ſunt diffetẽtia: nam *quædam* perpetuò aſſiſtunt tuentes damnum ſemel factum, vt partis vlceratæ intemperies: *quædam* augent, vt fluxiones cuiuſuis humoris: in qua etiam fluentis humoris copia conſideratur: quibus ſane cauſis accedit oſſis viciati portio, aut varicum vicinia: ex quibus profecto vel *inſanabilia*, vel *ægre curabilia* fiunt *vlcera*, quod ex prædictis cauſis illis ſuccreſcant ſanies, virus, ſordes, pus, calloſitas, cancer, corruptio, & omne virulentiæ & putrilaginis vitium, adeò vt inſanabilia fiant, ni priùs prædictum adiunctum ſemoueris.

Dignotio.

Vlcus virulentum.

Cognoſces prædictorum vlcerum vnũquodque ex propria cuiuſq; diffinitione & natura. Sic *virulentum* vlcus id eſt, in quo virus, id eſt, tenue quoddam & liquidum excrementum, ſanies nũcupatum, citra eroſionem abundat, & ob id ſanioſum etiam appellatur. *Corroſiuum* vlcus id eſt, quod carnem ſibi ſubiectam erodit, & ſcará quæ ab acri humoré inducitur, maiorem indies progignit, carne ſubiecta eroſa. Quod ſanè vbi ad ſanas & ſibi vicinas carnes ſeſe extenderit erodẽdo, *vlcus depaſcens* nuncupatur. Cui generi reduci-

Corroſiuũ.

rur *noma*, & *phagedena*, licèt hòc ſolúm extimam carnem & cutem depaſcarur. Sordidum. *Sordidum vlcus* id dicitur, ꝙ craſſiore vllo ac viſcoſiore tecremento, quod ſordem appellant, abundat, eruſta veſtitũ craſſa, molli carne, craſſa & ſuperflua ſubtus latente. Putridum. *Putridum* autem *vlcus* id eſt, ex quo vapot aliquis graue olẽs, & cadauetoſus expirat, vt à putridis & corruptis carnibus exhalat cum humiditate ſuperflua, ſorde, & caliditare extranea, qua febtem ſibi habet comitem, & ſuperat malitia vlcus ſotdidum. Cauernoſum. *Cauernoſum vlcus* id eſt, cuius orificium ſtrictum atq; anguſtum exiſtit, profunditas vero latior, & ſenſum effugiens, multoſq; anfractus habet & cuniculos, ſiue vias hinc inde diſcurrentes, citra calloſitatem & duritiem. At huic finitimum exiſtit Fiſtuloſum. *fiſtuloſum vlcus*, cæteiũ differt ab eo, quòd mearus illos anfractuoſos & ſinuoſos habet duros & calloſos. Cãcroſum. *Cancroſum* vlcus id dicitur, quod viſu horrendum & fœtidum exiſtit, labra habens dura, craſſa, tumida atq; inuerſa, colore fœdarum, inter rubrum & nigrum medio, fuſco & liuido, in circuiru venas veluti expandens liuidas, turgidas, nigro & craſſo ſanguine plenas.

Dignotio. Vlcus diſtẽperatum. *Diſtemperatum* vlcus dignoſces, ꝙ mala qualitate præter naturam polleat, vt eſt caliditas im̃oderata, vel frigiditas, humiditas aot ſiccitas, aut ex illis plures ſimul. *Doloroſũ* vlcus facile cognoſcitur, quod ſemper laborantem atrocitet moleſtet cum cruciatibus & perpetua ſenſibilitate, & Reumaticũ. moleſtia ibidẽ perſentita. *Reumaticum* vlcus hoc eſt, quod perpetuo humoribus aliunde fluentib. Apoſtemoſum. ſcatet, quibus ad ſanitatem peruenire nequit. *Apoſtemoſum* id vlcus appellatur, in quo tumor aliquis præter naturam adiunctus eſt, ex perpetua fluxione, in carnem vicinam vlceratæ ptolabẽte. Cacoethes. *Cacoethes* autem vlcus id propriè eſt, quod ad ſanitatem peruenire nequit, etiam ſi omnia iuxta artis præcepta fiant, quòd in carne vlceris malignitas quædam inſit, cœca & nobis occulta, quæ reddit vlcus inſanabile, aut rebelle, & ægrè ſanabile. Vermiculoſum. *Vermiculoſum* vlcus id dicitur, in quo ob impenſam putredinem vermes naſcũtur. Varicoſum. *Varicoſum* profecto id haberi debet, in cuius partibus ſuperioribus venæ quædam eminentes ac turgidæ, craſſo ſanguine, vel vitioſo aliquo ſucco plenæ apparent, quas varices Medici appellant, ipſi vlceri fluxionem & fomentum ſuppeditãtes, conſolidationem & ſanationem impedientes. Atque horum facta mentio ſit ſatis: nam reliquorum natura facilè ſolo aſpectu innoteſcet.

Præſagium. Præſagare euentum in huiuſmodi & reliquis vlceribus non eſt ita facile, & ob id ſolum explicabo quod in hac re difficilius videtur. Euentus vlcerum. Sic *annua vlcera* rarò citra oſſis vitium reperiuntur, & pluries niſi os excidat, recrudeſcunt, ac cicatricem elidunt: quod non minus accidit *acrium & erodentium humorũ fluxibus*: quo fit, vt vel dura vel ſinuoſa, vel praui coloris fiant, & caro circumſtans deterioris, quæ ſane iecur malè affectum indicãt. Pari ratione inſanabilia ſunt, aut difficulter, quæ *aliis morbis ſuccedunt*, item & *vlcera circumglabra*, quæ radiculas pilorum omnium exedunt: item quæ *in extremitatibus muſculorum dorſi, tibiarum & brachiorum adnaſcuntur* vlcera, difficilia ſunt, maximè quæ ad internam membranam pertingunt. Prętereà *vlcera rotunda* difficilem habent curatioem: pari ratione, quæ *extremis partibus accidunt, & articulis*. Item quæ *auxilia non admittunt, quæ reuertuntur*, & tandem ea omnia grauia, periculo plena, aut ſaltem ſanatu difficilia ſunt, quorum diffinitiones nuper adduximus.

Curatio vlcerum. Vlcus etenim omne, vt ſolum ſimplexque vlcus eſt, vnam tantùm habet communiſſimam curandi ratiooem, nimirum exſiccationem, in qua profecto conuenit cum vulnere: ſed hoc diſcrimen habeut, quòd hoc minori, illud verò maiori deſiccatione indiget, prætetquam quòd velut vulnus cauum curari deſiderat vlcus, quãtumuis ſimpliciſſimum ſit, quia ſequitur puſtulas, & abſceſſus. Quo fit, vt prius ſordem abſtergere, & humiditatem tenuem abſumere oporteat, deinceps carnem generare, & ea in hoc munere exſiccatione vti, qua caro quæ gignitur, ſimillima fiat, aut genita efficiatur ei quæ præeſt in parte ſana: poſteà vero maiori opus eſt exſiccatione ad cicatricem inducendam, quantum cicatrix carne ſiccior & durior futura eſt.

Cæterum quia huiuſmodi curandi via inſufficiens eſt compoſitis vlceribus curandis, quod vniuerſa priùs remotionem prohibentis, & complexum coniuncti morbi, ſymptomatis aut cauſę expoſtuleut, ob id ſeorſum cuiuſq; meminiſſe oportet, ſiquidẽ ꝙlibet pro ratione ſibi adiuncti mali, aut cauſę curari deſiderat. Verũ quia omnium ſpecialiter ſcribere eſſet operoſum, & præter inſtitutionum rationem, ea cauſſa motus ſtudui, ſolum quatuor vlcerum complicatorum ſortes per capita ſcribere: quibus exacte intellectis & eorum vniuerſalibus præceptis, ac ſpecialibus auxiliis diligenter perſpectis, facile erit reliquorum medelam adinuenire.

DE VLCERE DISTEMPERATO, cacoethe, diſſepulotico & inueterato,

INSTITVTIO II.

ADeo coniunctum eſt inueteratis vlceribus, malignis & ægrè curabilibus intemperamentum, vt mirum videri non debeat, hoc vno capite, eius ſimul cum aliis cauſſis horum vlcerum meminiſſe: quamuis ſciam, aliud eſſe, vlcus præcalidum, humidum, frigidũ aut ſiccũ eſſe, & aliud ſibi adiunctã habere malã qualitatẽ, q̃ vitioſum, mali moris & difficulter ſanabile reddat. Nã illud facilè cõtrariis adhibitis cedit, & vlcus ſine magno negotio ſaneſcit: hoc verò non niſi difficulter, adhuc pręſtitis iuxta artis præcepta remediis, vt ex Gal. euidenter cõſtat. 14. meth. c. 40. 4. meth. c. 4.

Sunt

14 meth. cap. 40. 4. meth. c. 4. Vlcera ex malignorũ genere quæ ſint. 4. per. ge

Sunt igitur cacoethe & ægrè curabilia, atque reuerſiua vlcera ex malignorum genere, quia licet corroſiua non ſint, neque inflammationem aut vehemẽtem dolorem, aut copioſam ſaniem ſortiantur, cum hoc tamen oras habent calloſas & ſaniem tenuem, atque partes adeo prauè intemperatas, & rotunda figura inſignitas aliquando, quod nullis videantur cedere remediis, quantumuis plana ſint: ac ſi quando cedat, mox conſumpta ſubito cicatrice reuertitur. Sed cum hoc vlceris genus in tres ſpecies diuiſerit Gale. neceſſum eſt cuiuſq; naturam & cauſas diligenter cõſiderare. Eſt autem in hoc genere *vlcus* adeo *vehemens & malignũ*, quod nullis cedere auxiliis videatur, neque ad bonæ carnis generationem vel cicatricem inducendam, quod *chironium vlcus*, aut *thelephicum* nuncuparunt antiqui. *Aliud* quidem adeo *leue*, vt præſtito auxilio, boni reddatur coloris, cicatricem acquirat, cæterum (vt dictum eſt) paulo poſt recrudeſcit, & cicatricem dirumpit, ac iterum ad antiquum ſtatum regreditur: reliquum verò *medium* eſt *inter hæc duo*: nam difficilius cicatrice obducitur & longiori tempore, & quantumuis boni coloris ſit, non omnino clauditur vniuerſum vlcus. Quam varietatem cenſeo proficiſci ex natura & diuerſitate cauſæ, vt mox referam.

Cauſæ.

Multa ſunt quæ hoc vlceris genus remorãtur, quominus carne impleatur: alia cicatricem fieri impediunt: nonnulla, quæ genitam depopulantur. Primò *valida intemperies*, quæ imbecillitatem parit, vel carnis impedit generationem, aut genitam depopulatur: inſuper *humoris confluxus*, præſertim vitioſi, vt qui commutationi in carnem ineptus ſit, quod nõ minus plenitudo, quàm ſuperare nequit natura, nata eſt facere. Cæterum cicatricem omnino prohibent fieri horũ vlcerum *labra calloſa, dura, & in tumorem eleuata*: reuerti verò cicatrice obductũ vlcus cogit, & cicatricem delet *varicum vicinia*, aut *prædicti humoris vitioſi nonus confluxus*, & vltimò *ſubiecti oſſis vitium*: quod mirũ in modum vlcerum, quę nullum videntur habere vitium, conſolidationem & cicatricem remorantur. Hinc profectò conſtabit differentia inter cacoethe vlcus & diſſepuloticum: quippe *illud* habet in propria & vicinarum partium carne adeo prauum temperamẽtum, & deterrimam conditionem, quod præter id quod hac ratione occultam multi appellent, vt morbo Gallico affectis contingit, quod vniuerſum alimentum, quantumuis laudabile & probum ſit protinus vitiet, & alitioni ineptum efficiat: vlcus inſuper eo ſuſcepto fœdet, & carnem ac cutem circumſtantẽ prauo colore ſubnigro inficiat. *Hoc* vero ad cicatricem ægrè peruenit, quod alimentum ſibi præſtitum vitioſum ſit, copioſum, aut praua conditione à iecore vel à toto corpore affectum, quo vlcus quãtumuis cicatrice videretur obductum, iterum recrudeſcat.

Differentia inter cacoethe vlcus & diſſepuloticum.

Neque ſolum arbitrandum eſt, Gal. locis citatis temere & inutiliter hoc vlceris genus in has tres ſortes diſſecaſſe, ſed vt ſimul doceret naturã topici auxilii, cuique proprii & peculiaris, iuxta maiorem aut minorẽ reſiſtentiam vlceris: nam ſic primæ ſortis vlceribus vehemẽtiora conſulit adhibere medicamẽta, & infimæ ſortis debiliora, ac mediocria reliquis, quæ in ſecunda claſſi conſtituit.

Erit igitur curandi ratio & via triplex: *vna*, quæ vniuerſo corpori aut iecori prouideat: *ſecũda* cauſam eam ex his, quas diximus, malum efficientem illidat: *tertia*, quæ topica auxilia iuxta differentiã aſſignatam adhibere, qualitate, quantitate & occaſione debitis, doceat.

Curatio vlcerum diſtemperatorum.

Vniuerſalis igitur prouidentia ſita eſt in debita *vita & victus inſtitutione*, & *in euacuatione eius, quod conſtiterit in corpore redundare, vel indies generari*. Victũ inſtitues omnino cõtrarium ei ſucco, quem cognoueris ſuperabundare: quippe vel pituitoſus ſalſusve, aut bilioſus, vel melancholicus exiſtit, ob id cuiq; pro indigentia, cibaria, quæ minus generent abundantes ſuccos porriges: quantitate mediocrẽ inſtitues, & exercitium, ni quid vetuerit, imperabis, ſi pituitoſorum adſit copia.

Vitæ & victus inſtitutio.

Ad ſuperflui igitur *euacuationem* accedentes, conſiderabimus, quę ex tribus cauſis ſuperfluum gignat humorem: namq; id fit, quia non expurgantur, vt par eſt, vel quod generentur vitioſi *vitio alicuius officinarum*: aut quod *totius corporis praua qualitate & temperie* inficiantur. Vtcunq; ſit, ſemper huic malo ſubuenies mediis vacuationibus, niſi malum ſuccreſcat *prauorum alimentorum eſu*: quem tamen non vtcunque exequeris, ſed iuxta humorum vitioſorum generationis modum. Nã ſi *vitio conſuetæ & neceſſariæ euacuationis* fiat parui ſucci prouentus, frequentius purgabis, præſtito medicamento iuxta humoris ideam: ſi verò *alicuius membri* vitio, ei prouidebis, reducens eum ad antiquam temperiem, & paulatinis euacuationibus, quod paulatim gignitur imminues, aut facta fontanella iuxta membrum mandans, aut ſuſcipiens. Verùm ſi vitio *totius corporis* geniti humores conſpurcentur, ſudorificis auxiliis curabis, & intemperiem corrigere, & congeſtum humorem minuere.

Euacuatio.

Euacuationib. in vlcere diſtemperato quando vtendum.

Ad vlceratam igitur partem accedendo, ſciendum eſt, quod ſi ex partis vlceratę intemperamẽto, vel abſumatur alimẽtum à calore & ſiccitate, vel crudius frigiditate & humiditate permaneat, aut præ imbecillitate, nec probè conficiatur, nec vt par eſt, excrementa pellantur, tũc quidem ſtatutum eſt ab omnib. Medicis, per cõtrarias qualitates ei, quæ præeſt, rem agere oportere. In qua re ſciendum eſt, quod licet intemperãtia nata ſit prædicta vitia inferre, nihilominus tamen plerũque accidit, quod adeo ſit intenſa & immoderata, vt propriæ virtutis coctricis & carnem generãtis miniſterium & actum deiiciat, ita vt non ſufficiat refrigerare calidam intemperiem, aut frigidam calfacere (licet præcisè neceſſarium ſit) ſed opus etiam ſit caloris innati vim & ſubſtantiam adaugere, aut ſupplere. Sic profectò euentu frequenti comperimus, nullum hæc vlcera, aut quàm paruiſſimum ſuſceptare beneficium ex calidis, aut frigidis, ſed ſolum à temperatis, & his quæ partis calori natiuo ſimillima ſint, aut alimentorũ probitate caloris ſubſtantiam adaugeant. Quo factũ eſſe arbitror, vt medicamẽta, quæ temperatæ ſint conditionis & mediæ naturæ, frigidis & calidis vlceribus proficua exiſtant, vt videre eſt in ceroto ex *lythargirio* compoſito, quapropter in omni vlcere intemperato his omnibus prouidendum erit, & poſtea ipſum curare, vt nuper diximus.

In vlcere diſtemperato quando per contrarias qualitates ei quæ præeſt, rem agere oporteat.

Verùm ſi cauſſa difficilis curationis & reuerſionis vlcerum fuerit *labiorum & carnis circumſtantis*

Vlceribus frigidis & calidis quæ medicamenta proficua ſint.

vlceribus auxilia, quæ citra mordicationem valenter ſiccent, cũ reſolutione & corroboratione partis, quo faciliùs, niſi quid denuo influxerit, vel repercutiatur, vel reſolui poſſit, quibus exinaniatur humor quem labra imbiberunt, aut non purgatur. Fluente igitur humore, primo repellentibus vtêris, vt *folijs ſolani, plantaginis, hyoſciami*. Adhibebis etiam emplaſtrum *diacalcitheos*, vino auſtero temperatum, cum *galla, malicorio, cortice ariſtolochiæ*, & aliis huius naturæ: quibus deinde admiſcere oportet *oleum vetus, laurinum, aut farinam eruũ & lupinorum*, & tandem digerente cataplaſmate vtêris, quo fluxiones quieſcant, & quod fluxum eſt digeratur.

Humor affluens quomodo repellendus & digerendus.

Verùm ſi carnis vlceratæ vitia, reſtita fluxione, ex *inueterata & immerſa vitioſa humorũ ſubſtantia habitualiter fixa*, prodeant, adeò vt prædictis nequeant cedere auxiliis, & vlcus magis ea ratione ſordeſcat, tunc quidem potentioribus vtendum eſt: In quo opere ſciat peritus Chirurgus, pharmacis compoſita virtute ex *repellentibus & reſiccantibus* præditis huiuſmodi vlcera ſanari: quæ ſane futura ſunt magis aut minus efficaciora, prout vlcus vetuſtum aut minus inueteratum ſit. Nam inter ipſa quædam ſunt *valida*, quædam *lenia*, & quædam *mediocria*, quæ pro vlceris reſiſtentia, & corporis duritie, aut mollitie adhibenda ſunt: leuius vtrumq; miniſterium exſiccationis & repulſionis præſtant, *malicorium, ariſtolochia, cortex capparis*: maioris ſunt efficaciæ *lemnia terra, cadmia ex aceto diu ſub ſole trita, chalcitis combuſta & lota, ærugo, calcanthum, miſi, ſori & his ſimilia*, vſta tamen & lota. Valentius hæc omnia cruda, non lota, neque præparata, & omne *aluminis* genus: pari ratione *metallicis omnibus* commune eſt hoc beneficium præſtare combuſtis & lotis in pueris & fœminis: ſed horum medicamentorum maiorem tractationem repeties *parte ſecunda*. Cui muneri proſunt ex *compoſitis pharmacis* plurima, quæ vſui ſecuriora ſunt & vtiliora, quòd minus mordacia ſint, & minus irritent: quippe hæc plerumque ſolent ſordidius reddere vlcus, & iterum fluxionem concitare: quapropter prædicta medicamenta lauare, reſiccare, & iterum in puluerem reducere, ac *vino, cera, oleis, & gummi* admiſcere, neceſſum erit.

Caro vlcerata ex inueterata & immerſa vitioſa humoris ſubſtãtia habitualiter fixa, quomodo curetur.

Quòd ſi prædicta vlcera, quæ à fluxione inceperunt, diu perſtent, & plurimum reſiſtant cicatricem inducentibus, coniectare oportet veluti *cacoethe*, & quæ ex contracto *habituali carnis intemperamento* præſunt, tractanda fore: quamobrem vtrique medebeteris per eadem medicamenta *mineralia*, nimirum vehementer deſiccantia & reſoluentia citra morſum. Verùm ne hæc quidem prodeſſe quidquam poſſunt, niſi prius Hippocrat. præcepto vtaris, quo monuit, vt *ab inueteratis vlceribus mittatur ſanguis, ac ſi opus ſit, iteretur miſſio*, & cum vlcerata pars ſcalpello ſectis labiis ſatis exhauſta videatur (quod conſilium ex vſu quoque erit in *rotundis vlceribus*, quæ niſi oblonga fiant, ægrè etiam ad cicatricem veniunt) tunc Galen. conſilio veniendum eſt ad curationem vlceris, per carnis illius extirpationem & nouæ procreationem: quo tempore dimiſſis prędictis medicamentis, plurimum proficit *aloës, myrrha, iris, centaurium, farina erui, & teſta oui vſta, & emplaſtrum iſis*: & vbi carne vlcus plenum fuerit, inducenda cicatrix erit, inſperſa *galla, acacia, hypociſtide, malicorio, ſquama æris vſti & loti*, vel aliquo ex medicamentis compoſitis, huic vſui apud Chirurgos paſſim conſcriptis, cauentes tamen, ne, vel plus ſiccent quàm par ſit, & callum inducant, aut minus, & vlcus præhumidum fiat, vel magis attrahant mordicatione, quàm exſiccent moderato calore.

Vlcera inueterata, quæ à fluxione inceperunt, ſi plurimum reſiſtant cicatricem inducentibus quomodo curanda ſint.

5 Meth. c. 2.

Vlcus rotundum, niſi oblongũ fiat, ægre ad cicatricem venit.

Carne vlcerata exhauſta quomodo procedendum.

Cautela in curandis vlceribus inueteratis.

DE VLCERE VIRVLENTO ET CORROSIUO, ac de ſordido & putrido.

INSTITVTIO III.

Mirum fortaſſis omnibus videbitur, hæc vlcera inter ſe adeo diuerſa, & per diuerſa capita diſtributa à pleriſq; Medicorum, me vno hoc capite complexum fuiſſe. Sed arbitrentur ſtudioſi id non ſine conſilio factum: quippe *virulentum* & *corroſiuum* vlcus, propriùs *ichoroſum* nuncuparunt peritiores Medici: putridum etiam longè elegãnius *ſordidum* appellabis. Et cum hæc duo excrementa, *ſanies*, nimirum, qua corroſiuum efficitur vlcus, & *ſordes*, qua putridum redditur, eodemq; modo in vlceribus fiant & competiamus, & carnis, quatenus vlcerata eſt, ſint propria & peculiaria excrementa: ob id ſimul vno hoc capite ſtudui ſcribere naturam & curationẽ, explicaturus etiam alias cauſas vtriuſq; vitii in his vlceribus.

Sanies & ſordes carnis exulceratę propria & peculiaria ſunt excrementa.

Ad veram integramque horum vlcerum cognitionem & curationem, noſſe oportet, quod ſæpius dictum eſt à Gal. & reliquis Medicis, duo nimirum in omni vlcere ſuccreſcere excrementorum genera: alterum *tenue*, & reliquum *craſſum*: hoc quidem ſordi ſecundum naturam genitæ in carnis nutritione ſimilimũ, illud verò excremento, quod præ tenuitate inſenſibiliter natura diſcutit in eadem carnis generatione, aſſimilatur. Verùm, quia pars vlcerata caloris innati defectu, nequit in carnis productione per inſenſilem halitum digerere, in tenuem hanc vertit ſaniem, & quod in craſſum aſſueuerat mutare excrementum, in ſordem vertit. Signum profectò ſummæ vlcerum cruditatis: nam interim dum hæc excrementa non mutantur in pus, euidentiſſimum eſt ſummè eſſe crudum. Quòd ſi quis dixerit, in vlceris coctione, & carnis generatione cum pure commiſceri, & non apparere ſeorſum, non mirabor. Sciendum tamen eſt, hæc duo excrementa ſignum eſſe cruditatis, quæ ſi in malitiam & conditionem *corroſionis* aut *putredinis* inducendæ aptam commigrauerint, non ſolũ crudum, ſed & ſordidum & putrilaginoſum vlcus generant. Quibus præmiſſis, vt conſtet *virulenti ſeu corroſiui* vlceris, nec non & *putridi*, natura & conditio, ſtatuendum eſt, quòd cum huiuſmodi duo excrementa, ſolum abundant ea copia, quæ vlceris magnitudini reſpondeat, & qualitate, quæ carni genitæ parum diſſimilis ſit,

Duo in omni vlcerum genere ſuccreſcere excrementorum genera: tenue & craſſum.

Signũ ſummę vlcerum cruditatis.

oportet, & carnem priùs *aqua argentariorum* vres, aut igne, donec putredinem ceſſaſſe comperias: quo tempore modicè ſiccis vti ſufficiet, donec pus appareat, & iterum ad abſtergentia & carnem generantia deuenies.

DE FISTVLIS ET VLCERIbus cauernoſis.

INSTITVTIO IV.

Fiſtuloſum & cauernoſum vlcus, quid differant.

NON ſine magna conſideratione *fiſtuloſum & caruernoſum* vlcus hoc vno capite complecti inſtitui: ſiquidem nulla alia interſtat differentia, quàm quòd fiſtuloſum vlcus nil aliud ſit, quàm cauernoſum cum callofitate & duritie aliqua: quippe in vtraq; vlceris ſorte orificia adſunt ſtricta, profunditas verò in latum ſe diffundit, & ſenſui occulta eſt, cum multis anfractibus rectis aut obliquis. Quo fit, vt Latini optima ratione ſinum appellauerint huiuſmodi *cauernoſum* aut *fiſtuloſum* vlcus. Et quamuis fiſtulæ ſeu ſinus breues ſint, recti, flexuoſi, ſimplices, aut plures, nil ad curationem intereſſe videtur, niſi cum huiuſmodi ſinus vel deorſum altè penetrant, aut ad oſſa vel cartilaginem ſubeunt, aut ad cauitatem alicuius membri, vbi aliquid ſecundùm naturam & vſui vitæ continetur. Quare niſi facto ex aduerſo emiſſario antequam pus ad nuper dictas partes perueniat, nihil omnino profeceris, cum non contingit, ſaniem vel ex orificij commoditate, vel ex membri ſitu, facilè effluere poſſe.

Cauſſæ ſinuoſi vlceris.

Sunt autem cauſſæ ſinuoſi vlceris, vulnera perperam curata, vel abſceſſus tardiùs quàm par ſit diruptus: denique cùm pus vel non probè aut citò expurgatur, ſed altè procedit, aut diu in carne immoratur, acrem & malignam acquirit naturam, qua facilè carnem hinc inde exedit, & cuniculos, ac ſinus ſeu fiſtulas excauat, quæ deinceps difficulter ob prauam conditionem carni impreſſam coaleſcit, aut carne impleri poteſt, tum ob id, tum verò quia ſuccreſcit protinus maior vitioſorum humorum fluxus, qui prędicta vlcera difficulter ſanabilia efficit.

Signa & prę-ſagium.

Quòd ſi cereis candelis aut plumbeo argenteove inſtrumento, vel quouis alio ſpecillo, vel ex retento pure, & poſtea exeunte, facta in partibus vicinis compreſſione cönicias ſinuoſum eſſe factum, nec non ex calore puris, quod ſimile ſit loturæ carnis, conſiderabis Galen. ſententiam,

s. ad Glauc.

quæ in hunc modum ſe habet. *An verò altè ſinus partes coaluerint, ex manante ſanie deprehendes, ſi ea multa, vel pauca, cocta vel cruda ſit.* Pręterea ſi neque in ipſo ſinu dolor ſentiatur, nec tumor appareat, ſed totus locus æquabilis ſit, ſiccus ac doloris expers. Quòd ſi puris probe cocti portio exigua in ore conſpiciatur, multò magis de glutinando ſinu ſperandum eſt.

Curatio.

Cum anteà dictum ſit à Galen. fieri minimè poſſe, vt in vlcere vel carnis productio, vel ſinus impletio, vel agglutinatio, aut cicatricis inductio rectè vnquam cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat, ob id profectò in horum vlcerum curatione quinque neceſſariò peritus Chirurgus conſiderare diligenter, & efficere tenetur. *Primum* quidem ſubiectam carnem pro naturali modo reddere: quod faciet duobus modis: *Vno*, ſi remouerit impedientia, quod præfuit, vt intemperiem, tumorem, gangręnam, vel quid aliud extraneum vel præter naturam, ex his, quæ ſanitatem & carnis generationem remorari aſſolent: *altero verò* remotis ipſius vlceris excrementis. Nam cum in ipſa nouæ carnis generatione duplex prouenire excrementũ neceſſum ſit, *alterum* quidẽ craſſius, quod *ſordes* propriè appellatur, & *alterum* tenuius, quod *ſanies* dicitur: & cum ex hoc tenui vlcus humidum efficiatur, & ex craſſo ſordidum, duplicibus ob id ſinuoſum vlcus egebit medicamentis, antequam carne impleatur, *ſiccantibus* nimirum & *extergentibus*: his quidem vt ſorde careat vlceris caro, illis verò vt ſuperflua humiditate quoque orbetur, quo proximiùs ſanæ carni accedit affecta particula, licèt neutrum horum *vere ſarcoticum* dici mereatur, vt *libr. 2. cap. de carnem generantibus*, latiùs leges.

Chirurgus in ſinuoſorum vlcerũ curatione quæ conſiderare debeat.

Quo fit, vt ſanationis ordo in horum vlcerum curatione, à ſorde expurganda, & exſiccanda humiditate initium ſumat: ſiquidem neque glutinari quidquam, neque carne impleri poteſt, antequam ab his excrementis immune reddatur. Quibus factis, *verè ſarcotica* pharmaca adhibenda ſunt, quæ non has humiditates, quibus vlcus abundat, exiccent, ſed ipſam carnem, quæ mollior, quam par ſit, gignitur, ſicciorem, & ſanæ carni ſimiliorem reddant. Poſt quæ agglutinantibus auxiliis vtêris, quæ *auſtera & adſtringentia* vocantur. Itaque hæc dicta ſint, ſi nihil carnis generationem impediat: verum ſi figura aut ſitus ipſius ſinus eius conditionis aut poſituræ ſit, quòd deorſum vergat, aut ad latus declinet, vel intro feratur, quo liberè ſanies effluere non poſſit, minimè poteris ad cicatricem vlcus ducere, niſi prius collectioni purulentæ effluxum moliaris.

Sanationis ordo in horum vlcerũ curatione.

Quod ſanè opus duobus modis efficere poteris: nimirum vel *facto in imo vulnere foramine* (cum in parte eſt vlcus magnis venis aut arteriis & neruis intertexta, vel cutis craſſa) vel *cauitate diſſecta*, cùm vel partis ignobilitas patitur, vel cutis adeò eſt tenuis, quód ſperandum ſit nõ poſſe coaleſcere. Deniq; niſi vlcus magnum ſit, & locus periculoſus, præſtabit potius *totã ipſius ſinus cauitatem* diſſecare, quam ex *aduerſo plagã* efficere: nam ſic faciliùs & citiùs, ad ſanitatẽ vlcus perducitur. Quod ſi feceris, elichniis vniuerſam cauitatẽ replebis, & medicamentis repurgabis ac deſiccabis, donec carne genita vlcus impleatur, & ad perfectã cicatricẽ perueniat. Ceterũ ſi in parte contraria ſolùm apertio facta ſit, flammulam lineã aut ex filamentis cannabinis poteris per vtrumq; foramen ad ſetonis modum immittere, & eis medicamẽtis illinere, quæ ſiccandi & abſtergendi vires

Collectioni purulentæ quæ liberè effluere non poteſt, quomodo effluxus moliendus.

di vires habeant, donec conſtiterit difficilius flammulam permeare, & ſic elichino altero & infimo foramine appoſito, ſupremum coaleſcere ſines.

Effluxus illius molitio ſi commodè fieri nequeat, qui ſagendum.
2. ad Glauc.

Verùm ſi neque in imo ipſius ſinuoſi vlceris plaga commodè fieri poſſit, neque cauitas vniuerſa diſſecari, eluere cauitatem oportebit, *deterſoriis* primò, ad inhærentes ſanies abluendas, deinde *ſarcoticis*, ac mox *agglutinantibus* vtêris. Primo vſui Galen. *mellicratum* adhibuit, poſteà *vinum*, ac nonnunquam *mulſum*: quæ omnia tantum ſunt adhibenda maioris efficaciæ, quantum ſordes viſcoſior malignior que fuerit & putredinoſa. Sic *lixiuio* aut *aqua aluminoſa* vel *ſalita* vtendum erit, admiſto *Ægyptiaco vnguento*, vel ipſo ſolo cum *oximelite*. His factis, conſiderandum eſt, an ſinuoſum vlcus præcalidum ſit, aut frigidum: nam ſi primum, facilè in virulentum commigrat, & ablui deſiderat *mellicrato decoctione lentium, roſarum, hordei & balauſtiorum*: ſi verò ſecundum, mulſa ex decoctione *abſynthii, marrubii, pimpinellæ & myrrhæ*. Quo facto, ligatura expulſiua, & medicamentis exſiccantibus generantibuſque carnem vtêris, appoſito puluinari vel ſpongia vino ſtiptico madida, comprimens ligaturam à parte contraria & infima ad foramen ipſum, quo facilius expiret ſanies, & minus in parte caua colligi poſſit.

Fiſtula quid ſit.

Quòd ſi iam ſinus in calloſam intrinſecamq; ſuperficiem commigrauerit, fiſtuloſam naturam adeptum fuiſſe erit coniectandum, quæ nil aliud eſt, quàm oblongus arctuſque & calloſus ſinus, qui ex abſceſſu indexterè curato & aliis vlceribus, ferè indolens ſubonitur: item vt Hippocrat refert, ex contuſionibus, & ex frequenti equitatione. Cuius morbi multiplices ſunt differentiæ, quæ (veluti in ſinu diximus) ex ſitu, figura, numero, & magnitudine deſumitur. Quarum profectò aliæ ſub cute extenduntur, nonnullæ altiùs penetrant, & ex his quædam intra carnem deſinunt, nonnullæ ad oſſa & cartilaginem permeant, vel ad neruos, venas, arterias, aut ad cauitatem aliquam perueniunt: atque vel tortuosè, vel rectè procedunt. Nec mirandum eſt Galen. dixiſſe, *poſſe fiſtuloſum vlcus citra calloſitatem eſſe*, cùm ſat fuerit, ad conſtituendam differentiam inter ipſum & cauernoſum, fiſtulam carne eſſe obductam alba, compreſſa, atque continua, citra humiditatem & dolorem, & Paulus etiam ſtatuit.

Lib. de fiſtulis.
Eius differentiæ multiplices.
2 ad Glauc.
Lib de tumor præ. natur.
Lib. 6. c. 77.

Signa, quib. vlcus fiſtuloſum eſſe noſcatur.

Præmiſſa hac diſtinctione, noſces fiſtuloſum eſſe vlcus à calloſa cauitate, quæ huius mali natura eſt: item ab accidentibus, vt virulentia horribili ab ipſis cauitatibus emanante: ſint verò plures ſinus, an vna ſimplex cauitas, venaberis cerea candela, aut plumbeo inſtrumento: item quòd variis corporis poſituris, aut manus compreſſionibus, ſupra vlcus exit pus: quod ſi ex carne exierit, leue, album & copioſius erit: ex neruo tenuius, cui accedit dolor, ſtupor, & punctionis ſenſus motu membri imminuto. Pari ratione ex vena eroſa ſanguinolentus humor fluit: ſi verò arteria, flauior tenuiſque ſanguis cum ſtridore exibit: os verò detectum facilè ſpecillo deprehendes.

Curatio fiſtuloſi vlceris.
Lib. de coac.

Fiſtuloſi vlceris curatio facilior profectò erit, ſi ipſum ſit ſimplex, recens & ſolùm intra carnem, & in corpore iuuenili: difficilior verò, vt Hippocrat. docuerat, ſi os vel cartilaginem vel neruum, muſculos, aut articulos occupauerit, vel ad veſicam aut pulmones, vterum, thoracem, guttur, ventriculum aut inteſtina permeauerit. Quibus maior accedit difficultas, ſi vetus ſit, & per ipſum natura ſeſe expurgare aſſueta fuerit: maximè in corpore ſenili, valetudinario, aut alios morbos per eam panem purgare aſſueto, quas curare omnino periculoſum erit, ſicut hæmorrhoides: quare vel aliquam relinques, vel cura leniente præcauebis, ne in maius malum degeneret: ſic enim conſuluit Hippocrat. Verùm ſi curare non potueris, ſingulis annis corpus purgabis, ter quaterve in anno, & parti appones *diachylonem cum puluere ireos*, aut *diapalmam*, *vel puluerem corii bufonis combuſti*, & partem ablues vino decoctionis ligni ſancti, & potui dabis decoctum *agrimoniæ, plantaginis & foliorum olmæ cum ligno Guayaco*. Idem facies decocto *lentiſci*, quod mirum in modum huic vſui præſtat. Quod ſi curare ſtudueris, conſtat communi Chirurgorum conſenſu, quatuor eſſe peragenda. *Primum*, ora, ſeu foramen (quòd de natura huius vlceris ſit, ſtrictiſſimum eſſe) dilatare: *ſecundum*, calloſam duritiem euellere aut ſtirpare: *tertium*, abſtergere & exiccare ſordes & ſanies, ſicut in reliquis vlceribus: & *quartum*, his quæ carnem generent vti, donec cicatricem inducentibus vtaris.

a Progn 64.
6. Popul p. 4.

Quæ in curatione fiſtuloſi vlceris communi Chirurgorũ conſenſu peragenda.

I.
Foramen quomodo dilatandũ.

Circa *primum*, multis modis peritiores Chirurgorum aſſueſcunt patentius reddere foramen: tum ſciſſione dilatando, tum igne, tum verò medicamentis, ſi reliqua non tulerit patienter laborans: huius naturæ eſt ſphongiæ penicillus filo ligatus, & in foramen immiſſus: quod ſi ſatis non ſit, & velis ſimul calloſam ſubſtantiam abradere, intinges prædictum penicillum vnguento quod fit ex *cera & reſina, ana* ℥ j. *arſenici* ʒ j. quibus liquefactis & admixtis intingitur elichinum, & apponitur duodecim horarum ſpatio. Præſtat eundem vſum *gentianæ radix, aut ariſtolochiæ, vel brioniæ, aut draconcu*. Quo facto, vt facilius quò tendat, & q̃ partem attingat fiſtula, cognoſcere poſſis, ſi nec venas grandiores, nec arterias, aut neruos ſcindendo læſurus ſis, vno è tribus modis fiſtulam curare, & extirpare aggredieris, quod ſecundo loco eſſe agendum propoſuimus: *primo* medicamentis acrioribus & callum erodere potentibus: *ſecundo* inciſſione totius ſinus cum calli auulſione: *tertio* per vſtionem ſinu ſufficienter aperto. Callos etenim extirpant multa, velut *radix aſphodeli* circumraſa & fiſtulis impoſita: item *trochiſci aſphodelorum*. Ea etiam medicamenta, quæ fiunt ex calce & ſapone: ſed vtiliores ſunt quæ *arſenico* conficiuntur: item *trochiſci ex minio*. Prodeſt infuſio, quæ recipit *vnguenti Ægyptiaci* ℥ ß. *ſublimati* ʒ ß. *lixiuii* ℥ iiij. *aquæ roſarum* ℥ ij. *aquæ plantaginis* ℥ iiij. bulliant vſq; ad conſumptionem tertiæ partis: quod ſi efficaciùs efficere velis, *arſenici ſcrupulum vnum* addere poteris.

II.
Fiſtula quot modis curanda & extirpanda.

Quo medicamento iniecto, mox vlceris os claudes, ne protinus effluat, aut penicillis eo madidis replebis. Prodeſt & *aqua argentariorum*:

item

item ex aridis medicamentis aliquid intus per fiſtulam exuſlando immittes, ſuperpoſito *vnguento ex bolo*, aut alio *ex defenſiuis pharmacis*. Aufertur *ſecundo modo* calloſa ſubſtantia, diſciſſo vniuerſo ſinu (ſi aliquid ex his quæ diximus non vetuerit) & ferro candenti, aqua argentariorum, aut alio ex numeratis cauſticis exuſto & abraſo callo: interim tamen mingatorum aliquod medicamentum admiſcebis, & mox quæ
III. cruſtas emolliant & illidant. *Tertiò* verò callus aufertur, poſt totius ſinus apertionem, vnguibus aut ſcalpello emulſo ac ſeparato radicitus callo, ita vt ſinus ex toto carnens appareat, callo omnino extirpato.

Sordes & ſanies quo modo abſtergendæ & exſiccandæ.

Quod autem tertio loco poſt calli abſciſſionem, aut abraſionem, diximus efficiendum fore, eſt proculdubio abſtergere & exſiccare ſordem & tenuem ſaniem, quæ mox callo extracto neceſſariò ſuccreſcent. Quod facies *melle* aut *vino*, aut aqua ebuli & melle *roſaceo: vel eo, q. r. terebinthinæ in aqua vitæ ablutæ* ℥ iij. *ſucci apii, ſucci cynogloſſi ſingulorum* ℥ vj. *farinæ lupinorum* ℥ ß. *mellis roſati* ℥ ß. *ariſtolochiæ rotundæ* ʒ ij. coquantur ſucci & *terebinthina* cum *melle roſaceo* vſque ad conſumptionem medietatis ſucci, & mox reliqua commiſceto. Cui medicamento deinceps addes, *myrrhæ, ſarcocollæ, radicis peucedani aridæ, & iridis ſingulorum momentum*, quo vtêris vſque ad integrum carnis complementum, ſi quid præter naturam ſupercreſcens non vetuerit: & reliqua veluti in omnibus aliis vlceribus facito.

DE VLCERE CANCROSO.

INSTITVTIO V.

Vlceris cancroſi cognitio.

CVM de cancro, prout ſolùm dicit quarrum genus tumorum præter naturam, abunde prima huius tractatus parte actum ſit, nunc in animo eſt, tantùm de *vlcere cancroſo* ſeu de *cancro vlcerato* diſſerere. Hoc ſane malum vt cognoſcatur, præ ſe fert dolorem, & duritiem cum vlcere eroſo, inæquali & ſordidiſſimo, atq; labris prætumidis, inæqualiter duris, cum aſpectu graui & horrendo, ex concreta humorum colluuie, fæculenta, liuida, & interdum ſubrubra & cruenta, cum ſanie aquoſa, nigra aut fulua & grauiter olente: inſuper habet in circuitu venas liueſcentes, tumidas & aliquando varicoſas. Cuius vlceris natura adeò eſt difficilis & perniciofa, vt ſi curare tentes, aut ſecus, raro aut nunquam ſanitati integræ reſtitues. Multis etiam nominibus à Chirurgis inſignitur, iuxta naturã partis affectæ: quippe in facie & labiis appellatur, *Noli me tangere*, in dorſo ac ventre *Cingulus*, ſicut in cria aut iuxta nares *Lupus*.

Eiuſdem cauſæ.

Fit propriè vlcus cancroſum ex non vlcerato cancro, confluente ſucco tenui, acri & erodenti ac præcalido, qui exulcerationem molitur, item ex vlcere prauè curato, & exacerbato validioribus pharmacis.

Cognita huius vlceris deterrima & fraudulenta, atque edaci & exedenti natura (cuius latiùs meminimus *cap. de cancro, & libr. de mulierum affectionibus*) ſiue cures radicitus, ſiue leniter & blandè, eam victus & vitæ formam inſtitues, quæ humori melancholico, vel aduſto gignendo idonea non ſit, ſed ad frigidum & humidum vergens, conſtanſque ex cibariis boni ſucci: curabis enim animi paſſiones prorſus vitare, aut compeſcere, exercitium interdicere, & habitationem temperatam eligere.

Curationis via duplex.

Quibus ſic inſtitutis, duplex erit curandi via: *vna* quæ malum radicitus euellere docet: *altera* verò quæ leniter agens, ſolùm ei ſtudet augmentum interdicere. Qua verò harum vtendum ſit, docet ætas & conditio mali: nam ſi inueteratum vlcus non ſit, neque nimis adhærens internis partibus & oſſibus, aut iuxta magnas venas & arterias ac neruos, neque laborans timidus & imbecillus, verendum non eſt, radicitus ipſum exſtirpare. Quòd ſi contrarias prorſus ſortiatur conditiones, curati longè citiùs pereunt. Verùm ſi curare aggrediaris, id quidem cautè facito, multa enim ſunt quæ conſulere poſſunt in his vlceribus manus connnere, vt *libr. de mulierum affectionibus* longiùs ſcripſimus.

Malum hoc quando radicitus euellendum.

Curatio vlceris cãcroſi cautè inſtituenda.

Fieri tamen poteſt vno è duobus modis: primo per cauſtica & erodentia medicamenta, qualis naturæ eſt *arſenicum*: cuius adminiſtratio, licèt Guidoni & reliquis placeat, adeò eſt vlceris praua & maligna conditio, quòd longè faciliùs excitetur, eatque in deterius his medicamentis, quàm quòd poſſit aliquod ſuſceptare beneficium. Et ob id conſulo, ne hac curandi via vtaris, niſi in mammis, vbi carnis vbertas perferre poterit, appoſitis tamen deſuper defenſiuis & aliis auxiliis, quæ nouum prauorum ſuccorum affluxum prohibeant. Quod ſi oportuerit, ob rationes ſuperiùs adductas, radicitus euellere, comprehenſa vndique totius vlceris duritie, & nouacula exſciſſa, expreſſoque ſanguine melancholico & fæculento ibidem immorante efficies, vt conſuluerat Galenus, maximè ſi corpus vniuerſum priùs ſufficienter purgaueris. Auulſa itaque cancroſa carne, & vndique duritie exſciſſa, ferro candenti partem (ſi quid non vetuerit) inures, quo nihil ſuperſit iterum reuerſurum: cum hoc tamen Celſus parum fidit his curationibus, cùm adhuc inducta cicatrice, iterum morbum reuerti ſæpiſſimè contingat, aut ſupereſſe vlcus non minus cancroſum, quàm quod præfuerit. Quamobrem peritiores & ſapientiores Medici, leniente ſolùm vtuntur curatione: cui vſui tria exequeris, quæ maioris ſolent eſſe momenti: *Primum*, in fœminis, quæ nondum ad vetuſtatem venerint: quippe bis terve in anno mittes ſanguinem, præſertim ex talo, etiam ſi menſtruationis tempus prætcrierit: vel aliquando hæmorrhoides prouocabis. Purgare igitur frequentiùs oportet, maximè autumno & hyeme vſque ad veris principium. *Secundum* ſit, fontanellam aperire ea parte, quæ directiùs vlceratæ correſpondeat, qua faciliùs

An per arſenicum

Lib. 14 me. Vlcus hoc quomodo radicitus euellatur.

Lenientis curationis vlceris cancroſi triplex proceſſus.

expiret

Google

Dolorem lenientia refrigerãtia atque exſiccantia. 9 Simp.

expiret virus illuc iturum. *Tertium ſit*, ea omnia adhibere medicaméta, quæ vim habeant leniendi dolorem & partem firmandi, quo minus recipiat: item refrigerandi atque ſiccandi, minimè verò mordendi efficaciam ſortiantur. Huius naturæ ſunt quæ ex *mineralibus vſtis & lotis* fiunt, maximè ex *plumbo*, & vt conſulit, Galen. *lamina plumbea* ſupra partem poſita. Item *ſolani ſuccus atque aqua* ex vſu eſt, ſicut vnguentum *ex tutia & lithargyrio*, *ex plumbo vſto & loto*. Sic *ſolani ſuccus* panno lineo imbutus, ſupra vlcus appoſitus, mirum in modum prodeſt, maximè ſi io mortario plumbeo agitaueris & poſteà refrigeraueris. Item vnguentum quod ſit ex *argenti ſpuma*, *ceruſa*, *& oleo roſaceo* io mortario plombeo agitatis, donec colorem plumbi aquirat. Prodeſt & aliud quod recipit *plumbi vſti & loti, pompholigis & thuris, ana* ℥ ij. ß. *abſynthii* ℥. ß. *olei roſacei* ℔ ß. *ſucci ſolani & cera, quod* ſatis vt fiat vnguentum. Idem beneficium præſtat, & lenit dolorem cataplaſma *ex ſolano, papauere, coriandro, polygonio & cichorio*. Feruot etiam prodeſſe appoſitionem *carnium gallinarum* ſuprà vlcus ipſum: verùm quia hac in parte ſolum mens eſt, inſtituere Chirurgos in his quæ vniuerſalia ſuot, particularium ſolummodò appoſitis exemplis, curationes ſpeciliariores non ſcripſi, relegans lectorem ad ſcriptores Chirurgos, in quibus copioſe ſcripra peculiaria, cuique parti affectæ proficua: & hac ratione huius primæ partis hic eſto finis.

Finis Primæ Partis.

DN. LV-

DN. LVDOVICI MERCATI
Medici Hiſpani, &c.

INSTITVTIONVM PARTIM AD CHIRVRGOS, PARTIM AD MEDICOS ATTINENTIUM

LIBER SECVNDVS.

NVLLVM eſſe in Medicina auxilium, quod vtile futurum ſit, niſi rectâ adminiſtratione & vſu adhibeatur, probat ratio, & confirmat experimentum in deterius mutatis affectionibus, ex indextero præſidiorum vſu, cùm aliis præſtiterint ſalutem. Quod noſcens Hippoc. dixit: *Quæ enim profuerunt, ob rectum vſum profuerunt: quæ vero nocuerunt, ob id, quod non rectè vſurpata ſunt, nocuerunt.* *Quapropter* (inquit *eadem parte*) *ſcire quidem oportet de ſingulis optima in omni arte, vti vero iis, quæ ſingulis victibus idonea viſa fuerint.* Ob id profectò in quouis præſidio hæc & plura alia vnicuique peculiaria ſunt diligenter conſideranda. Namq; non ſat eſt Medico docto noſſe, vti repellentibus, ſuppurantibus, diſcutientibus, aut quibuſuis aliis peculiaribus præſidiis, ni exactè nouerit ea mutare, materiamq; aptam inuenire, prout partis conditio & morbi ſtatus tulerint. Lib. de arte.

Quamobrem primò vniuerſalium omnium topicorum rationem vno capite docebo: deinde per ſingula capita diſtribuam topica ipſa auxilia, & cuiuſq; propriam vtendi rationem. Ordo huius libri.

DE TOPICORVM AVXILIORVM adminiſtratione in genere.

INSTITVTIO I.

Quæ & quot Medico ante particularium adminiſtrationem neceſſaria.

I. DVo potiſſimum curaturus ſibi (cùm ad particularium auxiliorum adminiſtrationem conſcendit) ante omnia proponat, neceſſum eſt. Primum, quod memoriæ Hippocr. prodidiſſe profertur, nimirum, vniuerſalia medicamenta omnino perdiſcere, eorumque facultates, tàm ſimplices, quàm compoſitas, & ſpeciatim, prout ſingulis naturis & cuiuſque corporis diſcrimini conueniant, priùs quàm ad artis doctrinam exercendam Medicus admitti debeat. Quod etiam Galenus aliis verbis protulerat, dicens: *Ad ſanitatem retinendam, & morbos tollendos, nocentium vſus fugiendus eſt, quòd ad materiæ adhibendæ notitiam experientia potens atq; vtilis eſt.* Lib. de opt. ſect. ad Tra.

II. Secundum, quod præ manibus habere debet, eſt notitia partium corporis, vt in vnaquaque diligenter diſquirat, quæ ſit eius natura, quæ conſtitutio, quale temperamentum: rimari item actionem, ſituram, formationem, potentiam, humorum diſcrimina oportet: morborum etiam quamplurima genera, differentias, cauſſas, accidentia, qualiterque ſingula in ſingulis adueniunt, & mox, quantum à ſtatu naturali forte recedat. Quippe non ſat eſt, ea, quæ nuper diximus, noſſe, ni exactè vti valuerimus præſidiis adinuentis, iuxta ea, quæ de partibus cognitu eſſe neceſſaria diximus. Nam idem auxilij genus, reſoluentium exempli gratia, aut repellentium, & ſimilium, diuerſam ſæpe expoſcit materiam, diuerſaſque methodos & rationes, à partis diuerſitate ſumpta indicatione. Quod elegantiſſima oratione dixerat Hippocrates, his verbis: *Morborum autem omnium vnus & idem modus eſt, locus verò ipſe eorum differentiam facit.* Sunt autem omnium topicorum ſimplicia genera (præter ea, quæ ſimpliciter calfacere, humectare, & exſiccare ſingulas particulas valent: quorum vtiliſſimam & longiſſimam tractationem denuò additam reperies *tomo 2. lib. de recto præſidiorum vſu,*) quæ adſtringunt, quæ laxant, quæ emolliunt, quæ aperiunt, quæ obturant, quæ attrahunt, quæ repellunt, quæ pus mouent, quæ reſoluunt, quæ abſtergunt, & quæ abluunt: ſarcotica item, glutinantia, epulotica, cauſtica, anodyna, & vltimò roborantia, præter alia, quæ minoris ſunt momenti. Lib. de flat. Topicorum ſimplicia genera.

Præterea in gratiam omnium topicorum ſcire oportet, hæc omnia auxiliorum genera ab affectus natura & tempore, veluti iure iudicari, iuxta Indicationes.

cauſſæ & affectus diſpoſitionem. Sic humores,
qui in parte aliqua recondantur, aut repulſio-
nem, aut ſuppurationem, aut diſcuſſionem deſi-
derant, pro humorum qualitate, & tempore af-
fectus, ſicuti quæ ſordida ſunt, abſterſionem, &
quæ diſſoluta, vnionem, & ſic pari ratione de o-
Materia. mnibus aliis affectibus. Cæterùm materiam, qua
quoduis auxilij genus, & quouſque, & quomo-
do ea liceat vti, præſcribit etiam particulæ ratio,
& inſuper probat experimentum. Aliis namque
ſimplicibus conſtant repellentia, ſuppurantia, &
reſoluentia (& ſic de reliquis) quæ oculis de-
bentur, aliis, quæ cerebro, aliis, quæ ventriculo,
& ſic facta computatione aliarum partium, vt
mox docebo, ſi priùs dixero quædam omnibus
communia.

In gratiam huius Inſtitutionis diſſerere opor-
tet, an ſemper expediat ante topicorum adhibi-
tionem vniuerſalem prouidentiam præmittere.
Quot morborum ſortes in vniuerſum. In qua re ſtatuendum eſt, quatuor eſſe in vniuer-
ſum morborũ ſortes. Prima eſt, *intemperatura habi-
tus parti accidens, ac alimentum vitians citra humoris
I. aduentum:* cuius curatio nullam, neque per ſan-
guinis detractionem, nec per purgationem, re-
quirit prouidentiam, ſed ſolis gaudet alteranti-
II. bus. Secunda non rarò euenit, vt *humoris fæx &
vapor parti impreſſus* aduenientem humorem con-
ſpurcet ac vitiet: quamobrem requirit hoc affe-
ctionis genus, nõ corporis agitationem, aut pur-
gationem, ſed deobſtructionem & diſcuſſionem
materiæ parti affixæ, per euaporantia ſudorifican-
III. tiaq; & deobſtruentia auxilia. Tertia ſpecies fit
ſæpiùs, cùm *partis affectio materialis* ſit, *pendensq; non
à toto, ſed à ſuperiori aliquo membro*, vt thoracis mor-
bus à vitio capitis: In quo affectus genere præce-
dat prouidentia oportet, non tamen totius, ſed
partis primo mandantis fluxionem. Quo fit, vt
errent, qui, vt capitis purgationem regulatiùs vi-
deantur egiſſe, totum corpus medicamentis pur-
gantibus, citra vllam indigentiam turbant. Su-
IV. pereſt ſola quarta differentia, *materialis affectus,
pendensq; à toto*, quæ iure optimo purgatum cor-
pus, aut ſanguine euacuatum, ante localium ad-
Lib. 1. phar. lo. c. 8. hibitionem, ea poſtulat, vt Galenus ſtatuerat, di-
cens: *Particularem affectionem ſi leuis eſt, ſolis ad labo-
rantem particulam remediis curari*; quod etiam Tral-
Lib. 1. c. 11. lianus confirmauerat. Denique ſolùm in quarto
morborum genere vtendum prouidentia eſt, vt
Lib 1 de morb. mul. ex Hippocr. conſtat, dicente: *Primùm igitur ven-
trem purgare oportet ſurſum ac deorſum, deinde vterum
Lib. 2 de morb. mul. ſubductitio medicamento:* Et alibi inquit: *Quapropter
optimum eſt purgare totum corpus prius, & poſt ipſos v-
teros.* At in reliquis morbis citra quartum genus,
citra vllam prouidentiam particularis curatio ad-
hibenda eſt.

Præterea ſtatuendum eſt, tantam eſſe particu-
læ dignitatem & præſtantiam, vt nullum auxilia
poſſint præſtare beneficium, niſi in ordine ad
ipſam dirigantur. Namque vt Galenus aſſerit, au-
xilij genus ex morbi ſpecie exquirere oportet:
A quibus ſpecies & materiæ modus ſumenda. cæterùm ſpeciem, materiæ modum, & plæraque
alia, quæ in auxiliis conſiderantur, particulæ na-
tura & differentia citra dubitationem præſcri-
bunt, alioqui Medici decepti morbi natura, im-
prudenter & inordinatè auxiliis vterentur. Parti-
culæ enim natiua temperies debitam præſidio-
rum menſuram præſcribit: ipſius verò ſubſtantia
alterantium moderatur quantitatem; & vacuan-
di modum, & locum oſtendit ſitus partium &
connexio. Sic partium acutus ſenſus aut obtuſus
modum ſuo modo ponit: dignitas item & offi-
cium multa in executione præſidiorum docent,
citra quæ, præſidia aut nocent, aut irrita ſunt, &
nullius momenti. Partis itaque ſitus & connexio Partium ſitus.
multa docent in affectuum curatione, vt mille in
locis Galenus docuerat; nam inquit: *Quòd ſi par-* 2. ad Gla.
ticula affecta in penitioribus ſit locis, machinari oportet 7. method.
inſuper tale inuenire remedium ſalubre, cuius vis nequa- 3. thes.
quam antea in itinere ſoluatur: ſi itaque calidius eſ-
ſe oportuit, eo quod eſt moderatum, non ſolùm
tantam habet caliditatem, quantam exigit mor-
bus, ſed vltra eam menſuram tantum adiiciatur,
quantum ex ſitu, vt pertingere poſſit ad locum
patientem, neceſſarium ſit: ſi vero frigidius, non
ſimpliciter tantùm frigiditatem oportet augere,
ſed & materia quoque priùs eſt aduertenda: ſi
enim craſſa ſit, non admodum poterit ad profun-
da penetrare, ſed potius contrarium præſtabit af-
fectum, ſpiſſando ſuperficiem. At ſi tenuioribus
conſtet partibus, poterit ſanè plurimum ſubire
profundum, id enim etiam in humectantibus &
exſiccantibus accidit. Conſiderare itaque opor-
tet, quot numero partes permeat medicamen-
tum, antequam ad partem affectam deducatur,
vt pro ratione itineris eius vim augeamus. Exem-
plum quidem eſt id, quod de pulmone fertur,
quod è ventriculo in iecur, venam cauam, &
cor, tandem ad pulmones deuehitur: cui certum
eſt in hiſce partibus humoribus admiſceri, & mu-
tationem ac alterationem quandam perpeti:
quapropter quod virtutis eius ſupereſt, minus o-
mnino ac hebetius eſt, quàm vt læſam particu-
lam iuuare poſſit: quo fit, vt intendi neceſſario
oporteat, quare medicamenti, ſiue id foris adhi-
beri, ſiue deuorari debeat, vires non præſentes,
ſed quales, dum ad affectum locum peruenerint,
futuræ ſunt, conſiderandæ.

Præterea confert ſitus partium mirum in mo-
dum ad vacuationem, reuulſionem, ſeu deriua-
tionem moliendam, vt *prima harum Inſtitutionum
parte* abundè probatum eſt.

Sic partium figura mille modis ex vſu eſt, & Figura.
figuris inſtrumentorum efficiendis, & effingen-
dis præſidiorum etiam figuris: cuius rei teſtis eſt
Hippocrates, qui in hunc modum refert: *Mul-* Lib. de vet. medic.
*ta vero etiam alia & extra & intra corpus figuratum
ſpecies ſunt, quæ magnopere inter ſe differunt, quod
ad affectiones pertinet, tum ægro, tam ſano:* nam-
que aliis vtimur inſtrumentis ad vterum, dum
afficitur, aliis ad veſicam, aliis ad inteſtina craſ-
ſa: quippe in hæc per clyſteres, in vterum per
mettenchitam idoneorum aliquid iniicimus:
ſic in veſicam per indirectè foratas fiſtulas,
quas ſyphones rectos appellant. Denique tan-
ti eſt momenti ſitus, figura, & connexio par-
tium, vt hæc Hippocrat. protulerit verba: *Ve-* Lib. de loc. in hom.
*rùm hoc ſtudio habere oportet, vt proximum exitum
facias, ſiue infernè, ſiue supernè, aut etiam alia ali-
qua corporis parte, vbi exitum ſunt*: & ſubdit, di-
cens: *Cæterùm morbi ea parte, qua proximi ſunt, &
qua parte ſingulis exitus quàm proximus eſt, extra-
hendi.*

His ſuppoſitis, dignitas & præſtantia partis
non minorem ſibi abrogat partem in moderan-

dis

dis metiendiſq; auxiliorum viribus, licet in ſimplici alteratione parum aberret á conuenienti refrigeratione, calfactione, humectatione, & exſiccatione: nihilominus tamen in aliis medicamentorum generibus, præſertim his, quibus aliquid notatu dignum á particula expellitur, aut naturam & facultatem membri vim & iacturam pati poſſe ſpectamus, conducit quidem plurimum, vt ex Galeno multis in locis colligitur. Nam quo particula præſtantius & magis commune obti nuerit officium eo prudentiùs & cautiùs vacuari aut laxari deſiderat, cùm non ſibi ſoli vires obtinere teneatur, ſed & reliquis. In qua re diligenter conſiderare oportet, an pars, quæ afficitur, de earum numero ſit, quæ totius corporis communes vires habent; an etiam alteri parti communem actionem, an communem quidem, ſed cuius actio ad vitam neceſſaria non eſt, licét miniſterium præſtet ad vitam neceſſarium: vltimò verò, an priuatam ac propriam, an aduentitiam, & ſubſeruientem.

Lib. 3. art. med.
Lib. 3. meth.

Partes vires communes habentes.

Vires quidem communes habent *cerebrum, iecur, & teſtes*, in quibus non leuis habenda eſt de robore virium ſollicitudo: ventriculus quidem ad portionem iecoris ſe habet, vterus non item. Virtutes etenim habent communes, & actiones ad vitam neceſſarias; cæterùm per miniſterium alteri membro ad vitam neceſſario, vt *lien, vtraq; veſica, venter inferior, thorax, pulmo, aſpera arteria, & fauces*: ex quibus quamprimum vacuare redundantiam licet, dummodo ne quid nimis diſſoluatur. Priuatam item particulam ac ſibi ſeruientem non offendes, ſi aut euacues, aut laxes, aut quomodolibet alteres. Cæterùm *in aliis primi aut ſecundi generis partibus, nuſquam, quæ vehementer laxent, ac diſcutiant, ſunt adhibenda, quin tantum eius medicamenti, quod roborandi & adſtringendi vires obtineat, adijciamus, quantam membri vires periclitari, ac propria ſubſtantia & ſpirituum diſſolui conſpicimus*: ſiquidem virtutem & robur ſibi & aliis obtinere tenentur. Et ob id laudauit Galenus vſum adſtringentium in his membris, vbi eorum, quę tenuium ſunt partium, aliquid admiſceamus penetrationis gratia, quam adſtringentia remorantur.

Per miniſterium alteri membro ad vitam neceſſario.

Lib. art. med.

Particulæ exactior ſenſus.

Particulæ etiam exactior ſenſus ſuam in adhibendis auxiliis præſtat conſiderationem: nam quæ acuti ſunt ſenſus partes, mitiora expoſtulant medicamenta, quàm affectus deſideret: at vbi tardus hebeſque ſit ſenſus, in his procul dubio aliter; quia, quod iuſtum eſt, porrigi poteſt. Itaque partes docent, & ſui temperiem, & reliqua, quæ diximus: ad quorum integram notitiam, maximam præſtat vtilitatem totius corporis ſcientia. Namque puerorum corpora, fœminarum, iuuenum, ſenum, item & eunuchorum, nonnihil etiam euariant à communi auxiliorum materia: ſicut & anni tempus, & regio. Cum hoc tamen, dum morbus grauis eſt, non ſtatim á principio conſideranda eſt ex toto particulæ natura, ſed modicum, tantùm ipſam reſpicientes eſt admiſcendum, augendum tamen, quod particulam tueatur, quo magis remedia proſunt, & morbus decreſcit: nam eo tempore plus præualet particulæ indicatio. Secus tamen res ſe habet in vacuantibus auxiliis, in quibus partis tantùm officium á principio magnifacere oportet: nam ſæpè ex euacuationibus circa affectus principia inconſideratis, aut facultas in medio itineris ſubſidet & labitur, aut membro principaliori imbecillo facto, denuo alter affectus grauior ſuccreſcit.

Vtra indicatio, membrine an morbi ſit præſtantior.

Ex qua doctrina non leue ſuboritur dubium, vtra harum medicationum, membrine, an morbi præſtantior ſit? quod hac lege dirimere ſtudui: Quòd ſi è duobus alterum agnoſcatur, ignorato reliquo, multo præſtat agnoſci affectus ſpeciem, ex quo ſummum genus curantis præſidij perſpicitur, licet ad indiuiduas differentias (quod conandum eſt) non deſcendatur. Nouit aliquis laborare calore hominis viſcera, num verò is calor hepar, an renes, an ventriculum occupet, perpetuum non habet, verùm cum hoc frigorifica adhibebit præſidia. Qui verò intelligens morbum ex capite pendere, ſecum non decernit mali naturam & morbi originem, is ne genus quidem auxilij decernit, & inops conſilij pendet animi, ſumma & maxima affectus cognitione deſtitutus. Verùm cùm ſpecies pauca & in genere doceat, ſi ambo illa Medico perſpecta ſint, & in dubium reuocatur, vtra ſit præſtantior, locus multo plura & magis indiuiduа præſtat. Quo fit, vt Galen. aſſerat, *quod vtraq; cognita imparem vſum curanti præbeat, maiorem locus, affectus minorem*. Cum hoc tamen minor illa potior eſt ea, quæ plures præſtat: nam quanto grauius eſt genus ignorare, quia totum ignoratur, quàm ſpecies, qua ignorata ignoratur ſolùm pars, tanto præſtantior eſt indicatio á morbo, indicatione, quæ á parte ſumitur.

Lib. art. med. 94.

DE EVACVATIONE, QVÆ fit à parte.

INSTITVTIO II.

Particularis vacuandi ratio.

TRACTATVRO mihi de topicis auxiliis, primum ſeſe offert particularis vacuandi ratio, citra quam nullum auxilium tuto parti adhiberi poteſt. Quæ ſanè tot habet differentias, quot ſunt partes in corpore cæteris communes & proficuæ. veluti cerebrum, ventriculus, thorax, iecur, ſplen, vterus, renes, veſica, ac teſtes, & partea, quæ habent peculiares vias, quibus citra totius corporis turbationem expurgari poſſunt, aut ſanguine miſſo vacuari. Et vt ab ea vacuatione, quæ per ſanguinis miſſionẽ fit, initium ſumam, ſtatuendum eſt, quod cum ſanguis alicui parti inhæret, plenitudinemq; partialem efficit, & ſanguine miſſo ex communi vena minimè ſeparetur, derivetùrque, duplex inſurgit particularis ratio euacuandi: altera per ſciſſionem venæ illi parti propriæ & peculiaris, á qua pars ipſa fouetur, aut quæ ab eadem oritur: nam huiuſmodi ſectiones ocyſſimé particularem plenitudinem deponunt. Sic venulas naſi & linguæ in capitis affectionibus vtiliter ſcindimus, aut eam, quæ propè humerũ ſita eſt: in præcautione vero eos ramos, qui inter pollicem & indicem ſunt. Sic capitis dolores, vertigines, & alios ex calido defluxu affe-

Primus vacuandi modus, venæ ſectio.

ctus ſanat inſciſſio earum venarum, quæ poné aures ſunt: pari lege & cucurbitæ in ſcapulis ſcarificantur. Oculorum verò affectibus medemur poſt communem venam ſciſſam, ſcarificatis partibus humerorũ & ceruicis, & ſciſſione venarum, quæ ſunt in angulis oculorum. Auribus verò inflammatis, & parotidibus vena ſciſſa ſub aure prodeſt. Gingiuarum, maxillarum, & dentium doloribus ea ſciſſa auxiliatur, quæ ſub labiis extat. Cordis verò ac pulmonis, interior ſiniſtri potius, quàm dextri cubiti vena prodeſt. Nec erit ab re, dextri venam tundere, ſi vniuerſum corpus malo conſentiat, quoniam pulmonum venæ é dextro cordis ſinu prodeunt, ſed quia in ſiniſtrum parietem venæ cauæ inſeritur, qui per alam ſiniſtram in ſiniſtrum cubitum excurrit, nõ diſplicet prima ſententia & communis. Iecore item oppreſſo inflammatove, dextra cæditur, ſicut lieni ſuccurrit interior ſiniſtra: vtriſq; tamẽ medetur ſaluatella eiuſdem manus. In his autem affectibus, qui inter clauiculas & renes ſunt, reuellit vena interior, tardiùs autem vena manus, aut ex vtriſque partibus vena media, ſiquidem illa ex communibus ramis humerariæ interioris coagmentata eſt. Subter renes, in quacunq; parte inſit affectus, ſecta poplitis vena præſidium fit: renes verò ancipites (vt Inſtitutione de Sanguinis miſſione, latiùs probauimus) exiſtunt. Muſculos abdominis ab inflammatione vendicat aperta inferior vena: coli inteſtini vitia, quamuis ſubter renes ſint, interior cubiti vena ſecta aufert. Vteri verò affectus, licet membrum vnum ſit, varias tamen venarũ ſectiones deſiderant: nam immodicè fluentibus menſtruis, interna brachij medetur: ſuppreſſis, malleoli, niſi ex immodica totius corporis copia & oppreſſione ſupprimantur: inflammationi quidẽ per initia, etiam interna brachij, mox ab impetu fluxionis aut procedente malo, ex tali venis: nam prima ſectio plenitudinem euacuat, & impetum reuellit, ſecunda directiùs partem affectam reſpicit. Præterea quemadmodum in menſibus, ita & in hæmorrhoidibus ſuppreſſis aut fluentibus res fieri debet. Verùm ſi quæ inflãmatio vel podicẽ, vel partes obſcœnas, vel veſicam, vel alterum inguen infeſtauerit, modo veneni particeps non ſit, ex ſuperioribus cubiti venis multitudo ſummouenda, inhibendaq; fluxio eſt: cæterùm deriuatio particulariùs directiuſq; ab inferioribus fiet: cui ſimilis eſt in mittendo ſanguine cruium inflammatio.

II.
Scarificatio & hirudines.

Secundus autem vacuandi à parte modus per ea fit auxilia, quæ ab ipſa parte per eandẽmet ſanguinem demit: quod fieri eſt neceſſum in his, quæ non obſident à cute & carne diſtantem locum, quibus cucurbitas affigere cũ ſcarificatione, aut hirudines, promptè, quod in parte eſt, ab eadem euacuat. Quæ omnia nouiſſe oportet: nam aut mutare, aut alio modo efficere, præterquã quod nihil prodeſſe omnibus eſt compertum, aut lędere, aut nouum affectum excitare, & facultatẽ fruſtra infirmare certiſſimum eſt. Quas ſanè particulares vacuationes neceſſum eſt moliri, præmiſſis vniuerſalibus, ſi profuturæ ſunt: quod ſi aliquando citra vniuerſalem prouidentiam fieri contingat, vt in conualeſcentibus, imbecillibus, & his, quibus abundãtia tantùm parti affectæ ineſt, neceſſum antea eſt frictionibus & ligaturis longè à parte affecta factis totius corporis humores ad diſtantes partes quodãmodo euocare, ne impetu ſanguinis fluentis ad affectam partem fluant.

III.
Purgatio.

Pari prorſus ratione dum in aliqua particula ſit vitioſus aliquis humor colligitur, particularibus etiam purgationibus materia demenda eſt. Conſiderare tamẽ antea oportet, an humor in eadem particula generetur, an aliunde tranſmittatur, vel à toto corpore ibidem decidat: ſi primum, nulli dubium eſt, quin per ea medicamenta, quæ partẽ affectam reſpiciant, euacuare partem oporteat: & pari ratione ſi ſecũdum: cæterùm commodiùs erit purgare particulam mandantem: nam in his duobus caſibus corpus medicamentis purgantibus turbare, vanum eſt: vniuerſalis enim purgatio turbatos humores ad affectam partem facilè defert. Verùm ſi à toto corpore fluant, ante particularem euacuationem pręmittenda eſt vniuerſalis prouidentia per expurgans medicamẽtum, á quo deinceps facilè eſt vitioſos in parte receptos per diſſentientia pharmaca euacuare.

Sintne aliqua purgãtia particulam aliquã reſpicientia.
Lib. de theriac. ad Piſ.
Medicamẽtum purgãs tribus è partibus poſſe ſignatim purgare.

Sintne aliqua purgantia medicamẽta particulam aliquã reſpicientia, nõ eſt ita facile dirimere: ſed dubitationem hanc ſic diſſolues, ſi priùs didiceris, eſſe medicamenta, vt Gal. probat, quæ partes ſympathia & ſimilitudine quadam reſpiciant, vt fertur de ſtœchade, de ſcolopendrio, & aliis. At vt id purganti alicui inſit, neceſſum eſt ſcire, medicamẽtum purgans tribus è partibus poſſe ſignatim purgare: Primo, á toto corpore, ex ſimilitudine humorum vniuerſum corpus obſidẽtium: Secundo, è partibus vicinis ei, in quo medicamentũ purgãs ineſt. Quamobrem obſeruantiſſimum eſt præceptũ, in purgationibus, quæ per vicina fiunt, non licere valida adhibere medicamenta, ne á diſtantioribus ad effectã vi medicamenti plus iuſto trahatur. Tertio autem modo medicamenta dicuntur purgare, cum in vnica parte exiſtẽtia, á diſtantiſſima & ſignata quadã particula, citra aliarũ turbationem humores trahũt & expurgãt. Quod multi arbitrantur eſſe, quia aliquod purgans medicamentum non habet ſimilitudinem, niſi cum humoribus, qui in ea parte præſunt: quantum valeat hæc ratio, iudicent alij. Ego quidem arbitror, id fieri ob aliud notius & manifeſtius, nimirum, quia medicamenta, quæ purgandi vim habent, ſimplicibus admiſcẽtur medicamentis, quæ é directo partem aliquam dicuntur reſpicere, qualia ſunt à Medicis appellata iecoraria, ſplenetica, cephalica, & huius cenſûs: quæ ſanè cum admiſcentur medicamentis purgantibus, & ſuapte natura habeant in illas partes deferri, ſecum deferunt in partam illam vim medicamẽti purgãtis, ex cuius attractu partes illæ promptiùs purgantur, quàm reliquæ, quæ nõ ita humoribus abundãt; præterquam quod partes, quæ afficiuntur, naturã habẽt adminiculãtem, quia grauatæ aut laceſſita humoribus, id faciliùs exequitur, quám partes, quæ humoribus ſunt exortes; qua lege cenſeo prædictas purgationes fieri potiùs, quám alio modo.

Quot modis vnumquodque membrum purgetur.

Purgamus itaque caput, aut quoduis aliud peculiare membrum, dum humorum vitio laborat, *duobus modis:* aut per proprias & peculiares vias, per oculos nimirum, nares, aures, & palatum, aut per communes: eo tamen medicamento admiſto, quod è directo caput reſpiciat, & ſic vtriuſq; vacuãdi generis ſeorſum in quauis particula memine-

minero. Sunt autem capitis emunctoria, oculi, aures, nares, palatum: rarò tamen natura per oculos cerebri purgamenta pellit, niſi errans, aut præcauens grauius malum: quam purgationem nobis non licet tentare. Nec diſſimili gradu aures æſtimantur, licet ſępiùs malores purgationes moliatur natura, quas leuiter abſtergentibus iuuare, non erit abs re. At per nares & palatum errhinis, gargariſmatis, dentifriciis, & maſticatoriis purgamus caput, ſed non pari efficacia & ſecuritate: nam maſticatoria, & quæ palato indita, caput purgant ſecuriùs, quàm errhina purgant, quia ex vehementi cerebri agitatione ignoratur, quo ſe vertat humor: cum hoc tamen omnia proficua ſunt, & neceſſaria.

Errhina.

Errhina itaque medicamenta ſolùm naribus indita duplicem præſtant vſum: quippe aut pituitam & omne cerebri excrementum præparant, vt deinceps facilè dilabantur, aut eadem vim habēt expellendi. Quam profecto expulſionem duobus modis fieri comperimus: vno, peculiari vi & efficacia trahentis medicamenti: altero vero, irritata cerebri expellente facultate, vt ipſa deinceps iua ſponte cerebrum quatiens ſternutamento facto, impetu quoſuis humores pellat à cerebri non poſtica parte, ſed à reliquo cerebro & circum meninges. Item nares purgant & non raro, quæ in ventriculis continentur: quo fit, vt potenter reuellant, quæ in fauces diſtillando dilabuntur. Cui vſui medicamenta ars probauit duplicis differentiæ: nam quædam propria & peculiari vi id efficiunt, quæ verè errhina dicuntur: quædam vero id efficiunt, cæterùm commoto cerebro, & ſternutamento facto, quæ ptarmica & ſternutatoria appellantur, vtraque tamen reperiuntur multis gradibus diſſidentia, & vtraque etiam neceſſaria ſunt pro affectus vehementia & ſenſus obtuſione vel acuitate: item vtraque ferè eiuſdem ſunt generis, diſſident tamen tenuitate ſubſtantiæ, qua promptiùs ſeſe in cerebri membranas inſerunt, quibus vellicatis & demorſis mouetur ſternutamentum: quæ verè errhina ſunt, craſſioris ſunt ſubſtantiæ, & naribus indita, & adhærentia efficaciùs humores alliciunt. Quod ſanè opus hæc medicamenta efficiunt, aut caliditate, aut feruore aperiendo, ac fundendo humores, detergendove, aut ex propria virture humores trahendo, quibus motis forſan commouetur ſternutamentum. Quæ vero caliditate id efficiunt, ſunt odorata omnia, vt ſampſuccus, pulegium, ſuccus hederæ, & nigella, quæ cauere oportet in coryza, ne maior fiat fluxio, & humores acriores. Verùm quæ tota ſubſtantia euacuant, ſunt veluti cyclamen, elaterium, nitrum, & alia huius naturæ. Quæ per nares commoto ſternutamento humores purgant, licet multis modis prędictis ſimilia ſint, differunt tamen, quia acriora ſunt, & tenuium partium, velut ſaponaria herba, caſtoreum, batrachij radix: inter quæ miniora ſunt nux muſcata, acori radix & zingiber. Quæ omnia aut in tenuiſſimum puluerem exuflata, aut aliquo liquori admixta, vtiliter adhibentur: hæc quidem quibus mens ægrotat, illa vero reliquis. Quorum omnium materiam & copiam & vtendi legem reperies *libro de recto præſidorum vſu, tomo. 2.* nam breue hoc inſtitutum non patitur longiorem tractationem.

Quotuplicia.

Apophlegmatiſmum autem vocarunt id auxilium, quod vim habet pituitam è cerebro per os educere: qualis naturæ eſt medicamentum, quod ori & palato inditum, id præſtat, & etiam è ventriculo educit, ratione communionis tunicæ, quæ ventrem & os ambit. Quę ſanè medicamenta hęc or[..]ta efficiunt, vel cum palato adhęrent, aut dentibus affricantur, vel cum eiſdem dentibus maſtiduntur, vel cum os eis colluitur, gargariſma appellatum: quorum Gal. lare meminit. Verum ſiue dentifricia, ſiue maſticatoria ſint, vel vtcunque aliter, vno è duobus modis id efficiunt: nam vel irritando & calfaciendo; vel vi propria attrahendo, id moliuntur, & quæ calida & acria ſunt, veluti anethi ſemen, capparis radix, caryophyllus, & radix etiam pyrethri, & alia huius cenſus. Cæterum quæ valenter trahunt, ſunt nitrum, anemonis radix, & radix ſtaphidis agriæ, & iridis etiam *radix*: ex quibus aqua maceratis fieri poſſunt gargariſmata: cera autem, maſtiche, vel ficuum carnē exceptis, maſticatoria: ſale admiſto, dentiſricia facile fieri poſſunt. Quæ ſane omnia mirabiliter capitis pituitā expugant: proſuntq; (corporis præhabita prouidentia) inueteratis capitis & vicinarum partium affectionibus, iis præſertim, quæ per epicraſim vacuari deſiderant, dummodo os aut palatum aut laringis caput non ſint aliquo affectu læſa.

Apophlegmat.

Lib. 5. ſimpl. c. 29.

Quotuplicia.

Ex quibus fiant.

Caput prætetea purgamus per ea medicamenta, quæ humores trahunt ad ventrem & communia emunctoria: in his tamen capitis affectibus, quæ vel à toto, vel ab aliqua particula fomentum ſuſceperunt, aut in quibus maior eſt humoris copia, quàm poſſit per capitis emunctoria purgari, & rurſus in his, quorum caput præ imbecillitate aut ſenſus acrimonia, purgantium vim & mordacitatem ferre nequit. Cui ſanè vſui medicamenta conficies ex his, quæ humorem peccantem reſpiciant, admiſtis alus medicamentis, quæ quamuis purgantia non ſint, partem quandam reſpicere poſſunt, vt antea dixeram.

Purgare ventriculum variis modis docet ars, vt totidem ipſe patitur affectuum differentias: nam aliquando adhibemus, quæ abſtergunt, quæ irritant, quæ abluunt, quæ leniendo purgant, ſæpè quæ comprimendo, ac ſæpiſſimè quæ propria vi purgando ventrem ipſum ab humoribus & excrementis immunem reddunt. Quod magno conſilio arbitrandum eſt, artem noſtram conſtituiſſe. Nam *abſtergendo* purgamus viſcidos & adhærentes ſuccos, melle, terebinthina, melle roſaceo, aut ſi calor ſimul adeſt, hordei decocto cum ſaccharo. *Irritatoriis* vtimur ventriculo ex pituita aut aliis excrementis obtuſo: ſic proſunt mercurialis, ſicla, decoctum vrticæ cum melle & aceto. *Abluimus* ipſum, dum humoris vitioſi aut acrioris medicamenti reliquiæ à purgatione vel à morbo ſuperſunt in ventriculo, quo tempore ius, aqua calida, hordei decoctum, aut conſimilia proſunt. *Lenientibus* vtimur pharmacis, dum tenaciori facta facultate retentrice, plus iuſto ventris excrementa retinet: quem vſum præſtant pinguia omnia, lenia, ac humida, veluti caſſia, manna, & eius naturæ alia. *Adſtringunt* quidem nonnulla, & ſi cum hoc etiam ventrem ſoluant, cùm in animo eſt, poſt totalem humoris expulſionem, vlteriorem impedire: quem vſum præſtant rhabarbari

Ventriculum purgantia, quotuplicia.

ſubſtantia, & cortices myrobalanorum. Vtimur etiam *propriè purgantibus medicamentis*, dum humor altiùs in ipſum ventriculi corpus, pancreas, & meſeraicas inſeritur. In quo purgandi genere primò conſiderare oportet, non licere vehementer purgantia adhibere, ne plus trahant in ipſum à toto corporis ambitu, quam à ventriculo pellant: huius conditionis ſunt, rhabarbarum, aloë, pilulæ maſtichinæ, & hiera Galeni. Secundò ſciendum

Ventriculus quomodo purgandus.

eſt, ventriculum *non confertim, ſed ſæpius* eſſe purgandum: nam vt pars princeps nequit confertas ferre citra damnum euacuationes. Tertiò ſtatuendum eſt, ventriculum præ requirere *medicamenta purgantia in forma ſolida*, vt ſufficienti mora detenta efficaciùs operentur, quantumuis leuia ſint, & ſine vehementia.

quibus medicamentis.

Hepar quomodo & quibus purgandum.

Dum iecur vitio humorum laborat, purgationem deſiderat efficacioribus medicamentis factam, quam ventriculus, vt minori facta mora, faciliùs & magis purgent, non tamen per longiora interualla: hoc inſuper habet peculiare, quod dilutiora medicamenta expoſtulet, ob viarum anguſtiam, & locorum interualla. Quo fit, vt ea medicamenta deſideret, quæ obſtructionem aperiant, roborent tamen nullo calore medio: qualis naturæ eſt gramen, intybi omne genus, adiantum, eupatorium cum rhabarbaro, agarico, & aliqua ex ſtillatitiis aquis. Nam expurgantia medicamenta iecori proficua hoc peculiare habent, quòd miſceri ſemper deſiderent inſcindentibus & attenuantibus medicamentis, & adſtringentibus etiam: illis quidem, vt purganti pharmaco vias & humores præparent: his verò, vt ſimul partis robur ſeruetur. Quod vt commodiùs fiat, præire debent inter vnam & aliam purgationem attenuantia & inſcindentia, vt qua die medicamentum purgans accipitur, ſuum munus faciliùs ſubire queat, habito ſemper reſpectu ad iecoris intemperamentum, vt ſimul aliquid illi contrarium admiſceatur.

Quibus lien.

Cùm lienis natura & conditio terreæ ſit craſſæq; compagis, & maximas ob id, & ob facilitatem ſuſcipiendi patiatur obſtructiones, quia quãtumuis craſſam habeat carnem, raram cum hoc ſortitur, neceſſum profectò eſt paulo grauioribus & efficacioribus vti medicamentis, maximè cùm humores ibidem congeſti, ob natiuam conditionem ſint tractu difficiles, & viæ arctiores, & anguſtæ. Quo fit, vt lenia medicamenta nihil proſint: vehementiora vero, anguſtias & accidentia non leuia inferant. Quamobrem cenſendum eſt, apta lieni medicamenta ea eſſe, quæ primo ſuauitate quadam terreum illum humorem vel emolliant, vel quodammodo liquent, attenuent, & detergant, ſine adſtrictione conſpicua: vt deinde obſtructione vel leuiter ſoluta, faciliùs & lenioribus medicamẽtis humores decidant in aluum. Quorum equidam nonnulla moderatè frigida ſunt & humida, quæ exſuperanti bili retorridæ conueniunt, vt violæ, vtrumque bugloſſum, & ſuccus pomorum redolentium: plurima vero moderatè calida, & tenuium partium, vt craſſam fæculentamq; melancholiam attenuent, qualia ſunt lupulus, caſſuta, ſcolopendrium, radix apij, cortex tamariſci, & capparis, & eius naturæ pleraque. Itaque in vniuerſum duplex erit purgandi

Quotuplex eiuſdem purgandi ratio.

ratio: altera, quæ blandè & leniter aduerſus humorum qualitatem & ſubſtantiam pugnet: qua ſæpè tantùm licet liquare humores, quod citra alterius auxilij adminiculum per ventrem ſingulis diebus aliquid eorum prorumpat: altera vero, quæ humoris electione & tractu eos pellere nata ſit: quæ ſanè leuibus axercenda non eſt medicamentis, ſed validioribus, verùm in parua quantitate: hoc quidem, ne maior humorum copia, quàm viæ anguſtæ capere poſſint, trahatur: illud vero, quia ſic expoſtulat duritiès, & renitentia humoris. Quamobrem cenſeo Hippocratem dixiſſe: *Si vero ſplenicus fuerit, ne purges, neq; lacte, neq; ſuo ſero, ſed eo, quod modicum ingeſtum plurimum educat.*

Vterum purganda quotuplicia.

Verùm non minus purgant vterum duo medicamentorum genera: alterum, quod per propria emunctoria ipſum purget: reliquum vero, quod per communia, vt præcaueat à corporis vel aliorum membrorum vitiis, quæ expurgantur per ipſum, tanquam per ſentinam. Primo modo vterum purgamus, per peſſaria, & per metrenchitas, vterinos appellatos clyſteres, per ſuffitus & euaporationes; ita vt cùm neceſſum eſt, vterum abluendo purgare, metrenchitas adhibemus; ſuffimus vero, & euaporamus, dum in animo eſt ante reliquias humorum conterere, aut diſtemperrem auferre, vel tandem vteri humores ad euacuationem præparare. Verùm peſſaria, quibus frequenter vtebatur Hippocrates, tribus medicamentorum ſortibus conſtare conſpicimus, dum tantùm eiſdem purgare intendimus (nam varia iuxta varios affectus parari ſolent) nimirum *ex attrahentibus, & his, quæ valida ſunt*, vt flos æris, pulpa colocynthidis, nitrum, cucumis agreſtis, & eius naturæ. Quibus licet antiquitas & Hippocrates vtebantur, minimè ego auderem, niſi aut maximo vrgente malo, aut coopertis lana & goſypio ipſis peſſariis, ne vel partes exedant, vel plus attrahant, quàm particulæ conditio patiatur. Aliud quidem eorum genus eſt, *quæ modicè purgare poſſunt*, vt agaricus, aloë, puluis benedictæ, ſuccus mercurialis, aut alicuius rei acris, quæ aut vterum irritando, aut modicè trahendo expurgent. Tertia vero & vltima conſtant his, *quæ calfaciendo, inſcindendo, & attenuando humores liquant, fundunt, & attenuant, & vteri vias aperiunt.* Sunt tamen peſſaria hæc forma rotunda, & longiora craſſioraq; glandibus ipſis; fiunt ex molli lana, cera, panno, aut bombace; vel ex herbis, quæ filo appenſa, in vterum mittuntur ad menſtrua prouocanda, ad ſedandas inflammationes, ad vlcerum curationem. Purgamus etiam vterum per communes vias, deriuationiſque gratia, vt dictum eſt.

Peſſaria.

Ex quibus conſtent.

I.

II.

III.

Peſſariorum forma.

Renes vero & veſicam purgare, docuimus *prima harum Inſtitutionum parte.*

DE RECTO AVXILIORVM AL-terantium vſu.

INSTITVTIO III.

DIxerat Gal. temperiem dignitate maiorem eſſe in quouis affectu, quoniam ipſa temperies, quaſi virtus & robur membri haberi debeat. Quo ſenſu cenſeo dictũ eſſe ab Hipp.
Li. 7. meth. c. 12. Li. de vo. me. caliditatem & frigiditatem in corpore minimè eſſe potentes, quia adeò ſunt per commiſtionem attemperatæ, vt non ſolùm alterum ab altero non lædatur, ſed vnum ab altero viciſſim veluti fomẽtum & refectionem ſuſcipiat. Quod in antiperiſtaſi euidenter conſtat, ſed diuerſo modo in corporibus adinuicem reficiuntur. Quam ſanè alternatiuam refectionem ſolùm inter calidum & frigidum reperimus: ſiccum verò & humidum ſemper corruptivè inter ſe operantur. Verùm omniũ aut quorundam contẽperatio facultatum efficitur inſtrumentum, ſicut læſionum cauſa, dum alterum, aut totum intemperatur, & à contemperatione recedit. Quo fit, vt neceſſum ſit ad vnguem callere, quantum & quid vnaquæq; prædictarum qualitatum efficiat, vt iuxta cuiuſq; effectum & agendi potentiam, ea ratione ad priſtinum ſtatum reducere poſſimus.

Natura caliditatis quæ. Sic caliditatis natura eſt, vt ad agendum omnium ſit efficaciſſima & potentiſſima: contra ad reſiſtendum omnium maximè infirma: cum hoc tamen ſi conferatur frigiditati, virtus caloris in agẽdo longè maior eſt, quàm virtus frigiditatis in agendo, etiam ſi frigiditas in reſiſtendo ſuperet caliditatem: licet tanta ſit caliditatis vis & efficacia, vt dum agit in frigiditatem, ipſius reſiſtentiam ſuperet. Eſt itaq; calor, ſi frigori comparetur, habens rationem naturæ, vitæ & habitus: frigiditas verò, priuationis & interitus. Caloris enim eſt componere & congregare homogenea, dum naturalis eſt, & coctionem molitur, ac ob id aliena ſeparat: verùm cùm modicũ excedit (nam loquimur de calore animantium) omnia diſgregat perditq;, vt de calore putredinis conſtat: qui hæc opera perficit, mediantibus quibuſdam alterationibus, quas primo inducit. Nam præter calorem, quam præſtat, tenuat eo ſ in & fundit, mollit, digerit, ſiccat, rarefacit, trahit, dolores ſedat, dolores efficit: præterquam, quod calor innatus coquit alimenta & humores, ob idque homogenea cogit, & hetereogenea ſeparat. Calor homogenea ſeparat. Calor item tàm internus, quàm externus per accidens refrigerat, humectat, aut exſiccat: hoc tamen habet peculiarius, quod humanum corpus ſecuriùs calefit, quàm refrigeretur.

Actiua etiam qualitas frigiditas eſt, longè ta-
Quæ frigiditatis. men diuerſa à caliditatis actiuitate: nam præter refrigerationem inſuper congregatam homogenea, quàm hetereogenea, conſtipatque omnia, & vnumquodq; reddit ſua natura immobile & veluti mortuum: & ſicut motus indicium eſt vitæ, ita immobilitas mortis & interitus. Per accidens tamẽ frigoris actiua vis facit ad operationem naturæ: nam cum actiones naturales à moderato proficiſcantur calore, frigiditas huiuſmodi moderationem illi præſtat: ſæpe enim vi frigoris circumſtantis calor cogitur in vnum, & per antiperiſtaſim multa generat, & conficit. Item vi frigoris compeſcitur ſæpe extraneus calor, à quo ſolet proficiſci corruptio & putrefactio miſtorum: agit quidem vicem inſtrumenti naturæ, per accidens tamen. Præterea frigiditas propter propriam, quam infert, ſibi ſimilem frigiditatẽ, craſſat, gelat, glaciat, ac durum concretione facit veluti cryſtallum aut ſuccinum. Hinc à frigido liuores: ſic ſcirrhum conficit, pituita craſſiori facta, aut melancholia: pigros item facit ſpiritus & veluti congelat: frigiditas ex retroceſſione aqueæ & ſanguineæ ſubſtantiæ impinguat. Sic à frigore conuulſiones, & cum hoc cute denſata, interna calfacit, fluxiones ea ratione concitat: item fluentes materias ſiſtit: coctionem vel impedit, vel coctũ recrudeſcit: omnia item viuentia mortificando internecat, ſiccat etiam & humectat per accidens.
Qua ratione dixit Hippocrat. *Siccant autem & calida, vbi nimium calfaciunt, & frigida vbi nimium frigefaciunt, expulſa materia humida.* Quæ quidem omnia opera, tàm calidi, quàm frigidi auget medicamentorum tenuitas in calidis, & moratur craſſities: ſicut contra in frigiditate, etiamſi tenuitas celeriorem & maiorem præſtet frigiditatis actionem propter motum & penetrationem. Li. 5. de morb.

Humiditas quidem & ſiccitas cùm magis ſint qualitates materiales, minus ſuas actiones pandunt. Vis ergò humiditatis in agendo non eſt admodum magna: in reſiſtendo contra humiditas vim magnam habet: quæ quidem propter propriam qualitatem, quam inducit, mollitiem etiam conciliat, ſicut in omnibus, in quibus prædominatur humiditas, apertè conſpicitur. Habet inſuper hæc qualitas id proprium, vt in peniniſſima corporis ſeſe inſinuet, modo per nutritionem noſtris corporibus ſuccreſcat, modo per madefactionem. Humiditatis

Siccitas ex propria natura partes durat, vt oſtendunt oſſa, cartilagines, metalla, & lutum ſole induratum: quod ſiccum duobus modis inducit: primo alterãdo partium ſubſtantiam, conſumpta videlicet ipſarum humiditate: ſecundò humorem in propriis ſpatiis ebibendo: ad quem Siccitatis.
referri poſſunt omnes illæ ſiccitatis ſpecies, quas 7. Meth. 4. ſimpl. c. 8.
Gal. laoſſima oratione recenſet. Cum hoc tamen ſiccitas minimam omnium vim habet in agendo, & maximam omnium in reſiſtendo, & ob id difficulter quæ ſicca ſunt, terminari poſſunt termino alieno: item caliditatis eſt calcar & diſpoſitio, ſicut humiditas frænum, etiamſi calori ſit pabulum.

Quibus inſpectis, ſciet diligens lector, quæ opera nata ſit efficere quæuis harum qualitatum, vt dum alterare intendit, caueat, ne ob incuriam aut ignorantiam quid aliud ex his, quæ calfacientia & refrigerantia poſſe efficere diximus, perperam & contra inſtitutum moliatur. Cuius rei

gratia ſtatuendum eſt, partes natura calidiores, dum ex frigore laborant, liberaliùs & diutiùs calfieri expoſtulare: ſicut etiam quæ frigidioris, ſiccioris aut humidioris ſunt naturæ, pari ratione. Quippe eatenus redeat ad naturam vnumquodque neceſſum eſt, quatenus ab eadē receſſit. Præterea conſiderandum eſt, *non ſemper in calidis diſtemperantiis eſſe eodem modo refrigerandum, ſed iuxta caloris actionem, aut modum, quo cauſa operatur.* Multa enim ſunt, quæ calorē compeſcunt cute rarefacta, nonnulla quiete: alia vacuatione rei calidæ, aut retentione frigidæ: plura verò alia ratione. Sic dum temporis alteratione egent: ſiquidem paruus eſt in præter naturam lapſus, & rurſus in id quod ſecundùm naturam eſt, reditus: quod de coniugatis intemperantiis pari ratione eſt ſentiendum. At cùm diuerſa particulæ affectæ temperatura, diuerſam ab ea, quæ ex ægri ſumitur natura, indicationem præbeat, illius quoq; ediſcere prouidentiam conuenit. Quippe ſi quantò ægri temperamentum iuſto eſt humidius, tantò particula ſit ſiccior iuſto, neq; adijciendum, neque detrahendum quidquam pharmaco eſt, ſed tali adhibendum, quale particula medij temperamenti expoſceret: ſin ſiccior debito plus particula fuerit, quā to corporis temperamentum iuſto eſt humidius, vtique tantam inſuper ſiccitatem medicamenti conuenit, quantum particulæ temperamentum totius temperamentum excedit. Veluti ſi quatuor numeris pars vlcerata ſit medio temperamēto ſiccior, ægri natura gradibus tribus humidior, manifeſtum eſt particulam, quæ nunc exulcerata eſt, ſiccius vno gradu deſideraturam medicamētum, quàm quæ pars ſit temperata. Præterea ſiccam partem reficere vno è duobus modis oportet: nam aliquando ſicca affecta eſt noua quadam inducta ſiccitate, quæ per alterationem ab humido factam corrigitur: fit autem vel per ablationē partium humidarum, quæ latebant compreſſæ & contentæ in terreſtribus partibus: aut cùm euolātes ſolutæ in vaporem: illam poſitiuam: hanc priuatiuam nonnulli nominarunt. Prima corrigitur per calfacientia, quæ ꝙ coagulatione ſiccum factum eſt, liquefactione humectant: altera verò per renutritionem humiditatem antiquam recuperat.

In frigidis non ſemper eſſe calefaciendum.

Præterea vt de calida diſtemperie dictum eſt, ita prorſus de frigida eſt intelligendum: nimirum non ſemper eſſe in frigidis calefaciendum. Nam corpus calefacere poſſunt motus, rei calidæ vicinia, conſtrictio corporis, & medicamenti aut alimenti calidi aſſumptio. Sic motus calorem concitat, exercitio, frictione, compreſſione & cucurbitis, gaudio etiam ac moderata ira, & reliqua, quę diximus, & ex accidenti frigiditas. Quæ omnia maturo quodam conſilio veteres illi ſapientiſſimi diſtinxerunt, vt iuxta rationem cauſæ & modi excitandi calorem, ars quoq; alterationem & correctionem moliatur, quam ſi euerſo modo aut incognita cauſa perfrigerando aut calfaciendo, aut aliter alterando tentaueris euincere, in longè grauiora mala laborantes deduces.

Etiam conſiderare oportet, *eodem ferè tempore calidam diſtemperiem diſcuti ac frigidam*, quamuis caloris maior, quam frigoris ſit efficacia. Vnde fit, vt æquali tempore vires ſuas exerceant effectuſque obtineant, dum diſtemperies ſimplices ſunt, alioqui ob materię vitium difficiliùs frigida, quàm calida euaneſcet. Quotum etiam auxiliorum ea, quæ calida ſunt, tutiſſima eſſe videntur: nam frigida dum calorem naturæ contrarium extinguere incipiunt, natiuo pariter negotium faceſſunt: calida verò dum frigus pellunt, innatum ſimiliter calorem excitant fouentque. Quin etiam genuinus corporis calor, aſcititio tanquam auxiliario opitulatur, vt facilius mitiuſque externum frigus pellat: eoque frigida intemperies, præſertim leuis & recens, ſecurius ac lenius, quam calida aufertur: inueterata autem conſummataque, difficilius multo, quam calida remediis cedit: ſicut extrema ſenectus inſito calore deſtituta mortique iam proxima, minus ſanari, quam febris hectica poteſt: eodem modo ſicca intemperies tardius omnino ac difficilius quam humida tollitur.

Conſideratione etiam dignum eſt noſſe, *has omnes qualitates non ſemper humanum corpus lædere ob inſitam ſui naturam & conditionem, ſed ob alias qualitates ſibi comites:* quod pulcra quadam ſententia his verbis dixerat Hipp. *Si autem eſt calidum quoddam acerbum exiſtens, aliud verò calidum fluidum tenax, ſunt etiam & alia calida, alias etiam vires ſub contrarias ſibi ipſis habentia:* & ſubdit: *Non enim calidum eſt, quod magnam vim habet, ſed ipſum acerbum & fluidum, & alia quæ à me relata ſunt, tum in homine, tum extra hominem, ſiue edantur, ſiue bibantur, ſiue foris inſecus illiniantur, aut quomodocunq; formata adhibeantur.* Et paulò inferiùs addit: *Atque ego hoc maximum ſignum eſſe puto, quod non propter calidum ſimpliciter homines febricitent, neque hoc ſit ſimpliciter affectionis cauſa, ſed eſt & amarum & calidum: item calidum & acidum, & ſalſum & calidum, & alia infinita: & rurſus frigidum cum aliis facultatibus coniunctum.* Quæ ſanè omnia diligenter ediſcere oportet, vt iuxta cuiuſuis qualitatis coniugium auxilia parare Medicus diſcat: nam eadem parte Hipp. diuerſam in his conſtituit curandi legem dicens: *Omnibus autem liberatio hæc eſt, vt ex frigiditate quidem affecti calfiant, ex ardore verò refrigerentur: reliqua autem omnes fluxiones quas propter humorum acrimonias & intemperantias ego fieri ſentio, reſtituuntur & curantur, vbi temperatæ fuerint & concoctæ. Sedatur autem aliquo modo ardor in naribus, nō cum fluxus prodit, & inflammatio conſiſtit, ſed poſtquam fluxus craſſior, & minus acris, concoctusq; & magis permiſtus priore fuerit, tunc ſanè iam ardor ceſſat. Quibus manifeſte conſtat, primas qualitates ceſſare, ſecundis qualitatibus ſibi adiunctis attemperatis, commiſtis & concoctis.* Quāobrem qui temperantia auxilia præſtaturus eſt, caueat, ne indiſcriminatim aut indiſtinctè adhibeat, ne aliquam accerſat ex ſecundis qualitatibus, quibus certum eſt longe magis lædere præexiſtentem, quàm antea, vt ex Hipp. *præſata doctrina* euidenter colligimus. Nam vt Gal. inquit, ex vno in alterum affectum inopinatò fit commeatus: *quapropter menſuram & modum in omnibus ſeruare oportet, & ſæpe paulò inferiùs ſubſiſtere, & iterato auxilio defectum adimplere, aut aliud eiuſdem generis interponere, aut intendere vel remittere:* tum ne natura vni aſſueſcat: tum vt quod vno fieri nequit, alio conſequamur. Qui verò voluerit ſcire, quibus medicamentis, tam ſimplicibus, quam compoſitis, teneatur temperare partes noſtri corporis, tum principes, tum priuatas, legat *com. 2. lib. de recto præſidiorum vſu*, vbi vtiliſſimum & copioſum repeciet de hac re tractatum.

Lib. de vet. med.

Li. 7 Meth. cap. 7.

Li. 9. Meth. cap. 15.

DE

DE ADSTRINGENTIVM PRÆſidiorum adminiſtratione.

INSTITVTIO IV.

Adſtringens quid.

NE nobis varietas cõfuſionem pariat, & erroris ſit cauſa, diſtinctione prius explicare oportet, adſtrictionis nomẽ quid importet. Appellant quidem Græci adſtringens omne medicamentũ ſtyphon, quod velut genus quoddam eſt ad omnia, quę comprimendi, contrahendi, adſtringendi & vtcunq; cogendi ac denſandi partium meatus & partes ipſas vires obtinent, atque etiam ad omnia, quę humores cogunt, incraſſant, ſiccant, reprimunt, ac deniq; vincunt & continent partium ſibi cohærentium ſubſtantiam. *Eſt tamen adſtringens præcipuè, genus acerbi & auſteri: continet hoc proprium, quod terreum ſit, & maiori ex parte frigidum.*

Quæ eius natura.

Acerbum verò corpus eſt vehementer adſtringens, facultate frigidum atque terreum, vt galla immatura, & eius naturæ: frigidum quidem, quoniam tale guſtantibus lingua contrahitur, denſatur, ſiccatur, exaſperaturque, quæ non niſi à frigido fieri poſſunt: terreum ſiccumque eſſe, quod tardè in corpus permeet; humiditas facilè penetrat, & frigiditati adiuncta, non acerbum, ſed acidum potiùs efficit. Acerbi quidem ſunt fructus omnes prope ſui ortus principium, qui poſteaquam humore impleri cœperint, decedit quidem acerbitas, & accedit aciditas. Acerbitas etenim tribus modis exoluitur, *incaleſcentia, aut humiditate, aut vtroque modo*: incaleſcentia quidem in dulcedinem migrat: humiditate auſteritas acquiritur, ſi aqueus fuerit humor: nam ſi aëreus, aciditas ſuccreſcit: quod ſi vtrumque, dulcedo ex aqueo, & pinguedo ex aëreo comparabitur.

Acerbitas quot modis exoluatur.

Adſtringentia quæ & quotuplicia.

Præterea adſtringens, aliud eſt ſummum, vt alumen, melanteria, galla & thus: aliud modicè adſtringens, vt pyrum & roſa: quorũ omnium maior pars frigidæ naturæ eſt; minor verò manifeſta caliditate pollet: vtraq; tamen tertio ordine ſicca apparent, ac terrea ſunt, & craſſa corporis conſiſtentia.

In cuius auxilii conſideratione ſtatuendum eſt, aliud eſſe adſtringens in genere, aliud verò adſtringens, vt aduertit Galen. nam quod aſtringit, non adſtringit modo, ſed præter adſtrictionem acre eſt, pingue, dulce, amarum, ſalſum, aut acidum: at adſtrictio vnum tantum eſt, vt dulcor aut ſalſedo. Et ob id conſtat, adſtringẽtia medicamenta duorum eſſe generum: primum eorum eſt, quæ citra manifeſtam qualitatem, ex his, quas nuper retulimus, adſtringũt, quorum munus eſt conſtringere, denſare, repellere, incraſſare, refrigerare & exſiccare: cuius generis ſunt balauſtium, galla, citinus, hypociſtis & eius naturæ alia: quæ licet ex toto non ſint alterius qualitatis expertia, quia id euidens plurimum non eſt, ſincera iudicantur. Secundum verò his conſtat, quæ cum adſtrictione aliquid etiam habent acre, dulce aut amarum, ſalſum aut acidum, vt egregiè docuit Galen.

Lib. de cibis bo. & mali ſucci.

Quot generum.

Adſtringentia acida.

Neq; eſt parui momenti hæc in re practica notiſſe: nam acida & adſtringentia, veluti immatura pruna, ceraſa, mala, mora, & immatura vua, penetrationem maiorem moliuntur, tum intus, tum extra adhibita, pręterquam quod calidis affectionibus magni ſunt momenti.

Acria.

Acre medicamentum [illegible]ſtringens repetitur, & calidum eſt natura, veluti æs vſtum, atramentum ſutorium, flos ſquamaq; æris & calcitis: quæ omnia præter adſtrictionem, q̃ præſtant, extenuant etiam, purgant, digerunt, rumpunt, attrahunt & eſcaram efficiunt. Quo fit, vt hæc proſint, quibus ſubitam & profundam adſtrictionem moliri conamur, veluti in ſanguinis profuſionib⁹, quas ſauciata pars excitat, vt humores & partes adſtrictione cogantur, cruſtaq; ſuccreſcat: quorum in viſcerum affectibus raro vti datur.

Amara.

Amarum etiam medicamentũ, veluti rhabarbarum, aloë, abſynthium, habet præter id manifeſtiorem purgandi potentiam: nam hæc omnia abſtergunt & attenuant humores manifeſta caliditate: cum hoc tamen diapedeſi & aliis ſanguinis fluxibus proſunt, maxime ſi ob ſeroſam ſubſtantiam admiſtam fluant, etiamſi ob venarum laxitatem prorumpant: licet aloë excitãdi hęmorrhoides vires habeat.

Salſa.

Lib. 4. ſimpl. c. 20.

Lib. 5 ſimpl. c. 25.

Amaris propinqua eſſe ſalſa ex Galen. aperte conſtat, quod terrea ambo ſint & calida: ſic ſalſa contrahunt, conſtringunt, & condiendo ſeruant, & ob innatam acrimoniam aluum ſoluunt: quo fit, vt proſint partibus humidis conſtringendo, & firmiùs contrahendo reſoluta humiditate, & ea ratione neruis & articulis laxis mirum in modum proſunt.

Dulcia.

Dulcia ſimul & adſtringentia ſunt myrti fructus & pyri agreſtis, & roboris & caſtaneæ ac palmulę, quibus profectò opus eſt, vbi adſtringere eſt neceſſum citra medicamẽtoſam qualitatem, quam laborantes frequenter pertimeſcunt.

Adſtringentia minus propria.

Præter hæc adſtringentia medicamenta, alia inſuper minùs propria reperiuntur, veluti ſunt omnia frigida & glutinantia, quæ materiam incraſſando ac partes comprimendo adſtringere dicuntur: arida etiam & viſcida: item craſſa, tum alimẽta, tum medicamenta: poſtremò quæ reſoluendi materiam vires habent. Oportuit profectò hanc adſtringentium varietatem recenſere, quia variam expoſtulat materiam particula patiens & affectus conditio, ad adſtrictionis formam & conditionem. In quo opere conſiderare diligenter oportet partes, quæ propter fluxum aut laxitatem adſtringentia expoſtulant, nimirum, quod tantum partem ipſam cogant, citra alterius qualitatis adminiſtratioñe, quales ſunt partes laxæ, aut caſu aliquo adapertæ, aut diruptæ, adeo, vt humores ſibi commiſſos continere nequeant. Quippe in aliis fluxiones ſupprimuntur emplaſtricis medicamentis, quia & partem obturant, & humoris acrimoniam retundunt. Præterea aliis proſunt, quæ humores denſant & incraſſant: item aliæ expoſtulant vtrumque, quod oportet diligenter conſiderare, ſi profutura ſunt, quæ præſtamus auxilia.

In ad-

Google

An & quomodo adſtringentia roborent.

In adminiſtratione verò horum auxiliorum atbittamur Medicorum vulgus adſtringentia pharmaca vim habere & efficaciam roborandi, ex quo dubitant, expultricem ne roborent, an retentricem. Sunt, qui credant ſiccitate minori iuuari expultricem, maiori verò retentricem. In qua re ita ſentiendũ eſt, quod ſi membro inanito accedant adſtringentia, retentrix augetur roboraturque & ceſſant hac ratione fluxiones: ſi verò pleno, propter vaſorum aut cauernarum contractum, expultrix operatur, & robuſtior efficitur: qua lege adſtringentia vltimo ingeſta aluum citant, non quidem, quod revera vires adaugeantur, ſed quia actiones earum videantur perfectiùs fieri. Nam conſtricta, denſataque ac compreſſa ſuperiori alui parte, fit, vt ad pellendum deorſum natura promptior reddatur. Quippe Galen. non admittit vires firmari & augeri adſtringentibus: fieri tamen euacuationem, vt dictum eſt, credit, dummodo lubrica & leuiter purgantia præmittantur, vt olera cum oleo & garo: nam conſtrictio à ſuperiori parte ventriculi deorſum pellit quod in ipſo & viis ductum fuerit, vt Galen. adſtruit.

Lib. 6. de ſanit. tu.
Lib. de opti. ſec. ad Tra.
Li. 2. de alimen. fa. c. 22.

Adſtringentia quotuplicia.

Verùm ne quis imprudenter & incautè adſtringentibus vtatur, in memoriam reuocet, adſtringentia eſſe, vel vehementer talia, vel leuia: illa quidem ſi aliis admiſceas, quantumuis humida ſint, ingredi vbi par eſt, prohibent, quod ſuperficiem denſent: quæ verò leuiter adſtringunt, iuuant reliqua medicamenta altiùs penetrare, vt de Galen. aperte probat. Præterea, *quantumuis in aliquo affectu adſtringendum ſit, non protinus à vehementibus auſpicandum eſt*, neque credendum eſt, vt Galenus docet, veriſimile eſſe, id, quod amplius adſtringit, ampliùs prodeſſe, quàm quod moderatè id præſtat. A vehementer quidem adſtringentibus partes ſimile quid contuſioni perpetiuntur, quia ſubſtantia ipſarum vehementer condenſatur. Secus quidem res ſe habet in dentium affectionibus, circa gingiuarum inflammationem, quibus vehementia Galenus eâdem parte iubet miniſtrare. Item licet jecur corroborationis gratia adſtringentia deſideret, cum hoc tamen adhibenda non ſunt, vbi infartam habet flauam aut retorridam bilem: quippe hac ratione citiùs inflammatur, quare contemperare ea oportet, quantum fas ſit, ne alia medicamenta vim jecoris reſoluant.

Li. 5. ſimpl. c. 16.
Li. 9. ſimpl. c. 1.

Qualia adſtringentia iecur deſideret.

Qualia caput.

Sic caput ea deſiderat, quæ cum exſiccatione adſtringant, cùm fluxum concitant, quia promptiùs reſoluuntur humores quieti, quàm moti. Duplici enim ratione cephalicis medicamentis adſtringentia admiſceri ſolent, vt etiam apertè docuerat Gal. primò, vt id, quod affectis partibus influit, repellatur: ſecundò, vt in profundum cætera medicamenta ducant, dum tenuiſſimè trita adhibeantur, quæ adſtringunt, alioqui vel nihil proſunt, aut potius obſunt. Verùm ſi calida fuerit fluxio, ſat eſt ſolis adſtringentibus vti, vt quæ frigiditate humores craſſent, attemperent, adſtrictione comprimant, & hac ratione faciliùs coquantur, aut digeri queant; oculi quidem adſtringentibus gaudent mineralibus, læuigatis tamen, vt ex Aſclepiadis libris Galen. refert. Oris etiam faucium & gurgulionis vitia ex adſtringentibus ea tenuunt, quæ medicamentoſa plurimum, & guſtui ingrata ſunt. Rationem quidem ſubdit apertiſſimis verbis Galen. nimirum ob tunicæ mollitudinem & ingratum ſaporem, & ne quid in ventrem aut pulmonem vitioſæ ſubſtantiæ defluat. Item ventriculus omne amplexatur adſtringentium genus, exceptis mineralibus, & quæ acria & mordacia ſunt, licet Hippocr. ſquamam æris præbuerit ſuppuratis. Inteſtina verò vlcerata, vt ex Galen. conſtat, ex adſtringentibus medicamentis ea tantùm deſiderant, quæ amarorem aut acorem non habeant, nam iis plurimum offenduntur. Præterea licet pluribus affectibus ex his, qui à fluxione prodeunt, adſtringentia medicamenta ex vſu ſint, cum hoc tamen, neque omnibus, neque ſemper, neque quibuſuis particulis. Quippe ſanguinem ex pulmone exſpuentibus nulla ratione conuenire poſſunt: nam inquit Galen. *Maximè igitur lædere eos noui, qui ſanguinem ex pulmone ex tuſſientibus adſtringentia per totum thoracem medicamenta, in orbem circumponunt*: nam præter id, quod eorum facultas in pulmonem non penetrat, ſanguinem etiam, qui in thorace eſt, ad viſcus compellit: quo etiam affectu intus ſumpta, dum ijs, quæ tenues partes habeant, medicamẽtis commiſceantur, plurimum prodeſſe eodem loco fatetur, dummodo vas à quo ſanguis proſiliit, ruptum dilatatumve ſit. Item a *vteri fluoribus & inteſtinorum ex ſanguine*, adſtringentia, quæ ſaporem induerunt, plurimum ſunt proficua, vt eadem conſuluerat Galen. Sic tumores vteri interdicit adſtringere Hippocrat. Etiam dyſentericos in deterius labi adſtringentium vſu, euidentiſſimum eſt, niſi ex his ſint, quæ leniendi & attemperandi vires habeant. Præterea ſi quando oportuerit purgantibus adſtringentia admiſcere, mitiſſima ſint, ne purgantium vi ſuperata, maius malum ſuccreſcat. Inſuper, licet in principio vlceris, ne inflammatione lentetur, & in fine, vt citiùs ad cicatricem perueniat, adſtringentibus poſſe vti, conſulat Galen. quia tamen carnis generationem nata ſunt impedire, quantum poſſibile ſit, ea vitare oportet, vt etiam idem Galen. aduertit, maximè poſthabito inflammationis timore aut tempore. Præterea cautè eſt eiſdem vtendum in maximis inflammationibus: nam vereri oportet, ne prohibita ventilatione in corruptionem commigret affectio. Sic neque in magno ecchymoſi: nam idem periculum inſtat, vel ſaltem ne quidquam ſanguinis diſcutiatur, ſed fixius ibidem inhæreat. Pueris item leuia ſunt adhibenda, quia facilè quibuſuis cedit eorum ſubſtantia. Sunt etiam quædam partes, quæ nulla ratione adſtringentia admittunt, & reliquæ, quæ ipſis plurimum gaudent, quas ſubticeo, quia diffuſa oratione Galenus annumerat.

Li. 2. pharm. gen. c. 9.
Li. 4 pharm. lo. c. 2. 3. 4. 5. & 6.
Os.
Li. 2. pharm. loc. c. 1.
Ventriculus.
Li. 2. & 5 de morb.
Li. de ſub figura empirica.
Inteſtina.
Quibus adſtringentia non conueniant.
Li. de conſt. artus med.
Li. 7. pharm. loc. c. 4.
Lib. 1 de morb.
Lib. pharm. gen. c. 12
Lib Meth. cap. 4
Li. 11. c. 16 phar. gen.

DE

DE RECTA LAXANTIVM AVXILIO-
rum adminiſtratione.

INSTITVTIO V.

QVantumuis laxum & molle quodammodo aſſimilari videantur, ſicut durũ & tenſum, cum hoc tamen inter ſe videntur lõgiſſimis interuallis diſſidere. Nam tenſum & laxum ſolùm pertinent ad partes, durum verò & molle potiùs ad partes ſimplices & ad humores (non loquor de his, quæ naturaliter talia ſunt, vt oſſa) tunc ſic licet conijcere, tenſionem fieri, quoties materia quæuis, ſeu vapor, ſeu flatus vacuitates partium replent, extendiq; cogunt: nam quæ à frigore rigent, ſeu ſpaſmo tenentur, cõtrahi potiùs, quam tendi iure optimo dixeris. Sic laxum facilè conſtat eſſe, cuius partes remiſſæ inter ſe cõcidunt, non vi, vt in congelatione cõtingere diximus, ſed laxitatis ipſius interuentu. Quibus conſideratis, conſtat euidenter differẽtia duri & tenſi, & mollis ac laxi: nam durum, Sole, æſtu, labore, & his, quę diaphoretica ſunt, potiùs fit, ſicut molle è contra, vt *cap. de emollientibus* euidenter conſtabit. Meminit quidem Gal. triplicis laxitatis differentiæ: nam ſcribit differre longè collapſionem à demiſſione & laxitate: collapſio quippe eſt ſubita demiſſio (nam demiſſiones paulatinæ ex facultate fiunt) citra vllum facultatis interuentum: laxitas verò abſq; facultatis vitio, ſed partis ſubſtantia tantum molliori facta: quo fit, vt laxitas partibus viuentibus familiaris ſit, ſecus tenſio. Rurſus hæc laxitas, quæ nobis hoc capite ſeſe offert, duplex eſt: altera *morboſa*, quæ ex præternaturali cauſa, partis temperiem vitiante proficiſcitur: altera verò, *quæ in partibus præter naturam tenſis, medicamentis laxantibus perficitur.* Qua ratione tot neceſſariò tenentur eſſe medicamentorum differẽtiæ, quot ſunt laxitatis ſpecies: ſed tutius eſt auxiliorum differentiam rimari, penes cauſæ, quę tenſionem efficit, varietatem.

Differentia duri & tenſi.

Li. 1. de diff. reſp. c. 3

Mollis & laxi.

Laxitas geouplex.

Tenſionem eſſe dupliciter conſiderandam, euidenter conſtat ex Gal. decretis: vno modo, *cum circa articulos accidit*, ligamentis pariter & tendonibus affectis, quibus tenſio contingit ipſis exſiccatis aut refrigeratis: nam id quoq; inter tenſiones numerare licet, ſpurias tamẽ maximè cum phlegmone aut ſcirrho afficiuntur. Alio verò modo *in cute*, non hac tantum ratione, ſed muſculis, qui eis ſubiecti ſunt, quoquo modo in tumorem ſublatis, aut ipſa ex receptione alicuius prædictarum ſubſtantiarum, plus iuſto extenſa. Quamobrem ex laxantibus medicamentis, quædam partem humectare, alia emollire, plura item vacuare, plurima diſcutere neceſſum eſt, licet quæ emolliunt, ex accidenti laxent, præterea, quæ frigore denſatas partes ſimul cum ſiccitate, humiditate emolliendo ſimul cum calore laxant. Quo fit, vt merito ea Gal. inter laxantia enumeret, ob idq; docet, induratis tantum ex his cauſis proficua eſſe: nam reliquia tẽſionis cauſis nil proſunt. Sed clariùs adhuc laxantiũ differentiã & vſum oſtendit loquens de aqua calida, q̃ omni tenſionis ſpeciei cõuenire docuit. *Quæcunq; enim* (inquit) *ex repletione erant intenta, ſicuti omnia, quæ inflammationem patiuntur, ea dũ euacuantur laxari conſueuerunt: quæ ex cõcretione, ob refrigerationem intentionem habent dum calfiant: quæ ex ſiccitate, dum humectantur: quæ ex humiditate, dum ſuperfluo humore inaniuntur: quoniam calida aqua hæc omnia præſtare poteſt, cùm ampliùs ac diutiùs corpori fuerit infuſa.*

Tenſionis duplex conſideratio.

Li. 7 phar. gen. c. 7

Li. de his quæ in medic. text 35

Qualiter cuiq; tenſionis forti oporteat ſubuenire.

Sed qualiter cuiq; tenſionis ſorti oporteat ſubuenire, explicare iam aggredior, induratorum tractationem differens vſq; ad propriũ caput: ſi priùs dixero, chalaſtica ſeu laxantia medicamẽta varia admodũ eſſe pro cauſę tenſionis differentia. I. Quę enim ex refrigeratione intenta ſunt, vt laxa fiant, ſenſim & paulatim calfacere oportet, ne ſubita alteratione partes dolore tentatæ nouam fluxionẽ eõcitent. Sic aqua moderatè calida, & oleũ amygdalarum dulcium calidum, aut ſeſaminũ prodeſſe eſt compertum, cauentes ignis acceſſum, quia ſubita caloris actione dolores concitat.

II. Pari ẽt ratione, quę ex ſiccitate tenduntur partes, humectatione egẽt, vt laxiores fiant. Partes enim ſiccæ duobus modis tendi poſſunt: vno depauperata parte ſubſtantifica ac natiua humiditate, quę nulla ratione humectari ac laxari deinceps poteſt, niſi alimẽtis per nouã refectionẽ: alio quidem dum partes ſua natura mucidæ ac mucore & madore exuberantes, à calore externo, exercitio, ſolis æſtu, & huius generis aliis priuantur madore ipſo naturali: quo fit, vt partes tendi cogãtur: quibus opitulatur potiùs madefactio, quã humectatio: madefactio quidem, quę aqua & aliis liquoribus ac inunctionibus fit: quæ ſanè longè diſtat ab humectationis natura: nam hæc primo deſiderat refici alimentis, iuuatur tamen balneis & extrinſeca madefactione, qua partes meliùs diſponantur: illa verò primò requirit madefactionẽ: cũ hoc tamen proficua eſt alimentorũ, quæ mucida ſunt, & aquoſa refectio, cuiuſmodi non raro contingit in articulis & laſſitudinibus, quibus balnea mirũ in modum profuiſſe conſtat.

Partes ſiccas duobus modis tendi poſſe.

III. Laxant eodem modo, ac vehementiſſimos ſedant dolores, quæ tumores præter naturã expurgant: aperto namq; tumore protinus concidunt partes. Sic vniuerſum corpus, cùm tenſiua laſſitudine tumet ac riget, ſanguine confertim extracto, protinus ſubſidet laxaturq;. Quibus affectionib' nulla ratione paulatinis auxiliis agendum eſt, vt balneis, frictionibus, inedia aut exercitio, ſed his, quæ ſubitò plenitudinem demant: aliis verò tenſionibus, quæ ex particulari aliquo humore concitantur, non ſic, ſed lentè & paulatim vacuare & laxare oportet.

IV. Quartus verò laxandi modus ſic profectò lẽtè & paulatim exercendus venit, quo ſecuriùs inſenſibiliter pars ab humore replente liberetur: veluti in partibus inflammatis contingit, quæ neceſſariò requirunt, quæ meatus aperiant: quo fit, vt calidis indigeamus auxiliis, diſcutientibus nimirum, & quæ per inſenſilem halitum humores diſſipent. Rarefacit quidem moderata caliditas, quæ aperit ſibi vias, & quod obſtat ingreſſui, mediocriter per halitum diſcutit, ſine aliqua exſiccatione ſubſtantiæ membri, vt patet de aëre balnei, & de aqua tepida: talia igitur, moderatæ nimirum caliditatis ſint oportet medicamenta, quæ

tare-

Li 5. ſimpl. c 13.

rarefaciunt, ne adurant: tenuis ſubſtantiæ, vt penetrent: humida, vel temperatè humidis commiſta, ne exſiccent, & partes conſtringant, vt Galen. apertè docere videtur. Differunt tamen rarefacientia medicamenta ab aperientibus, vtpote quæ craſſarum ſint partium, & ſubſtantia mordaci & acri, quibus non indigemus ad diſcuſſionem & rarefactionem. Nam quæ rarefaciunt, moderatioris ſunt caloris: ſiquidem calor non ratione ſui, ſed ex accidenti eſt opportunus, nimirum quatenus meatus aperit: cuius cenſus ſunt lilium, lini ſemen, chamemalum, fœnugræcum, ſampſucus, pulegium, calamintha, & id genus. Pari modo rarefaciunt butyrum recens, oleum dulce, œſypus, adeps, & reliqua quæ intra ſecundum gradum calfaciunt: quæ omnia efficiunt, quo minus cutis reſolutioni impedimento ſit: humores ipſos præterea id attenuant & diſcutiunt, quibus reſolutis, facilè tenſa pars ſubſidet & laxatur.

Rarefacientia & aperientia quomodo differant.

Aperientia.

Rarefacientia.

V. Supereſt adhuc quintus laxandi modus, qui per eadem fit medicamenta, quæ eis quidem partibus, quæ cutaneæ & membranoſæ ſunt, flatibus tamen tenduntur, proficua exiſtunt, vt ſæpe ſub cute, in inteſtinis, veſica, vtero, ventriculo, ac thoracis tegumentis contingit: excitatis vehementibus, cruciatibus, quibus medicamenta prædicta ſunt proficua, admiſtis tamen, quę mollia & lenia ſunt, quæ partem tenſam quodammodo obliniant, & cedere teneri ſubſtantiæ faciant, quo minus doleat. Quo fit, vt in coli dolore & reliquorum inteſtinorum ex flatu, clyſteria, quæ emolliant, & diſcutiant, miro modo proſint. Cæterùm hæc medicamenta tenſis ex frigore mediocriter calida ſunt adhibenda, neque inflammatis partibus, niſi tranſacto principio. Hæc itaque ſunt chalaſtica medicamenta, quæ cum tenſio multis modis contingat, videntur plores obtinere laxantium ſpecies. Nam quædam humectando laxant: alia molliendo: nonnulla vacuando: rurſus quædam aliud quidquam efficiendo, vt nuper dictum eſt.

DE RECTO EMOLLIENTIUM præſidiorum vſu.

INSTITVTIO VI.

Li. 2. de ſan. tu c 3.

STATVIT Gal. durum & molle, ſimilaribus tantùm partibus accidere, rarum verò ac denſum ob meatuum ſtructuram, inſtrumentalibus, quibus pari lege conueniunt tenſum & durũ ob plenitudinem ſolùm obortum, quod potiùs tentum aut renitens appellare docuit Gal. Nam durũ hac in parte ſtatuit tribus modis fieri, repletione videlicet, ſiccitate, aut concretione. Cæterum cùm ex concretione aut ſiccitate (nam de tẽſione pręcedenti inſtitutione actum eſt) humores in particulis induruerunt (quibus propriè emollientia medicamenta proficua ſunt) id ſæpe duabus de cauſis contingit. Altera eſt caliditas, quæ partẽ exſiccando, humores ibidem impactos, digeſto per halitum, quod eorum tenue eſt ac ſubtile, dẽſos ſolidosq́; ac duros efficit: reliqua verò eſt frigiditas, quæ concretione eoſdem duros efficit. vt in glacie & grandine ſæpe conſpicimus falſam quandam ſicci imaginem repræſentantia, potiùs, quàm quod reuera talia ſint: nam verè dura calore medio fiunt, ſicut & ſicca, vt Gal. placuit. In cuius rei conſideratione ſcire oportet, ſiccitatẽ poſſe duobus modis fieri, videlicet alteratione quadã noua inducta ſiccitate, per ablationem partium humidarum, aut per compreſſionem humiditatis contentæ à terreſtribus partibus ſiccioribus, vt dictum eſt de glacie & congelatione. Sic prorſus humiditas duobus modis comparabitur: aut enim alteratione fit, qua ea res exuat ſiccitatem priorem & induat humiditatem nouam: aut reſolutione quadam partium aquearum, quæ compreſſæ conſtipatæq́; prius erant, vel coctione vaporis in aqueam naturam, vel per ſubingreſſum in poros partium aquearum diſſolutioneque terreſtrium, priùs in vnum coactarum. His ſuppoſitis, dicendum eſt, coagulationem generice ſumptam, prout continet omnem duritiei ſortem, interdum fieri à calido per ſe, ſi calidum illud fuerit etiam ſiccum, quæ vera durities eſt: tum inducendo nouam ſiccitatem, quatenus eſt ſiccum: tum componendo partes aqueas, aëreasve, & humidas cum terreſtribus ſiccis, necnon reſoluendo partes aqueas in vaporem, qui euolet & euaneſcat: quam quidem coagulationem, ſeu ſiccitatem fieri à calido per ſe dicimus. Interdum etiam per accidens calidum efficit coagulationem, cum per antiperiſtaſim cogit in vnum frigidum, quemadmodum in grandinis generatione contingit. Frigidum autem coagulationem per ſe facit exſiccando, ſi fuerit coniunctum ſiccitati: item condenſando partes aqueas in vnumq́ue cogendo cum partibus terreſtribus, à quibus fortiùs condenſatæ etiam continentur, maioremq́ue ſoliditatem accipiunt. Per accidens etiam frigidum coagulat, exprimendo partes calidas ſubtiliores immiſtas humido, cum quibus humidum quoque implicitum euaneſcit. Item per accidens coagulationem facit frigidum, ſi vi caloris humidum reſoluatur, qui in vnum cogitur circumſtante & conſtipante frigido: dimitto etiam hac in parte aliam permiſtionem factam, quæ huic inſtituto minimè conducit.

Li. 5. ſimpl. c. 4

Li. 1. de temperamentis prope fin.

Siccitatem duobus modis fieri poſſe.

Vt & humiditatem.

Coagulatio generice ſumpta vnde fiat.

Hæc profectò ſunt, quæ breuiter de duritie & coagulatione colligere potui: incumbit nunc docere, quanam ratione quæ dura ſunt & coagulata, liquari & emolliri poſſint. Liqueſiunt itaque coagulata per ſe à calido, quoniam calidum partes in vnum coactas à frigido rarefacit, & diſgregat, ſimulq́ue diſiungit partes terreſtres, quæ vi frigoris arctiùs continebant partes aqueas. Pari etiam ratione calidum, vt per accidens coagulat, ita per accidens liquefacit, quando ſcilicet reſoluit partes aqueas in vaporem, ſimulq́ue in vnum cogit partes frigidas per antiperiſtaſim, quarum vi vapor ille diſgregatus in aquam cogitur, vt frigiditatis in vnum coactæ, à frigido verò per ſe liquefieri

Quomodo dura & coagulata liqueſiant.

dici

Google

dici poſſunt, impropriè tamen: vapor enim in aquam cogitur à frigore, ſicq; condenſando & coagulando frigidum liquefacit. Item à frigido humido liqueſcunt ſal, nitrũ eiuſq; generis alia. Per accidens etiam à frigido quædã liqueſcunt, quoniam à frigido expellitur calidum, cuius vt fit craſſitudo & inpinguatio. Quæ verò vi caloris dura per ſe fiunt, ſolum euolatis humidis partibus, & intro coërcitis terreſtrioribus, dura fiunt, agente ſemper calore, rarefacienteq; adeo vſq; ad tenuitatem quæ facilè euolet & deſerat proprium ſubiectum.

Qua via quæuis duritiei ſpecies à ſuis cauſis proficiſcatur.

Quibus ſic ſuppoſitis, docere nunc incumbit, qua via quæuis duritiei ſpecies à ſuis cauſis proficiſcatur, vt eadem emollientia medicamenta propriora & magis proficua facilè ſit cuiuis adhibere Cauſæ tamen, quæ mediante calore ſiccitatem

I.

inducunt & duritiem, quales ſunt validum exercitium, ſolis æſtus, inedia, febris ardẽs, ac medicamenta, quæ ſubitò & vehementer calfaciunt, id quidem efficiũt, extracta ab humoribus ſubtili ſubſtantia, ac dum craſſa terreſtrior remanet, cogitur duriorq; efficitur, quia aërea aquoſaq; ſubſtantia orbatur: quibus humida pharmaca prodeſſe eſt compertum, quia humidum viſcidum ſeparat à parte cui adhæret, & craſſum miſtione attenuat.

II.

Condenſationis à frigido triplex cauſa.

Cauſæ verò, quæ concretione duritiem moliuntur, qualis vehemens eſt frigiditas, facilè calore ſuperantur & molleſcunt. Sed condenſationis à frigido triplex reperitur cauſa: vna à foris incidentibus, puta aëre, aqua, aut medicamento indexterè adhibito: altera ex propria partis intemperie, qua humores in eam profluentes duritiem facilè perpetiuntur ſcirrhoſam: tertia quidem ab influente in ipſam partem humore, qui reſoluta parte tenuiori, facilè duritiem contrahit. Qua ratione dictum eſt à Galen. humectantia medicamenta ijs, quæ ex ſiccitate indurantur, tantum eſſe proficua: alijs verò, quæ ex concretione dura fiunt, quæ verè emollientia appellantur: non quidam, vt multi falſo autumant, calida & humida (qualia debentur duritiei per congelationem mediante concretione) ſed potius calida & ſicca.

Lib 3 ſimpl. cap. 6.

Quod eleganti oratione docuerat Galen. dicens: *Oritur autem induratorum affectio ex fluxione viſcoſa & craſſa paruis particula poris ſiue meatibus impacta, digeſto verò eius, quod tenue eſt & ſubtile per halitum, ac deinde quod reliquum eſt, refrigerato ac veluti congelato, ſcirrhoſa ſequitur diſpoſitio, ac proinde frigidum pathos aiunt.* Porro quoniam cum frigiditate humor redundat ſuperfluus, idcirco compoſitam eius eſſe medelam oportet, ob refrigerationem ſcilicet, excalfacientia poſcente affectu, ob alienam verò humiditatem, quæ mediocriter ſiccant. Quibus euidenter conſtat, emollientia pharmaca, quæ talia debent eſſe, ſicca & calidæ naturæ neceſſario fore. In quorum electione, ea fore proficua ſunt arbitranda, quæ nec nimis intenſæ, nec remiſſæ caliditatis ſint: cuius naturæ ſunt, quæ in ſecundo gradu vigent, nec vltra, nec citra: quæ ſanè humectiorem reddunt partem, quamuis ipſa ſicca ſint, liquata calore materia, quam exſiccare tenetur eorum medicamentorum ſiccitas. Quo ſenſu intelligendus eſt Gal. qui de emollientibus hæc refert verba: *Illa verò ceu maiorem calorem, quàm pro natura accidentia ſunt,*

Lib 5. ſimpl. cap. 2

ac nonnibil quoque humiditatis contrahentia, qua ratione oportuit eſſe ſicca natura, qua contererent humiditatem. Verùm quia periclitaretur partis ſubſtantia, ſi cum hoc, quod calida & ſicca eſſent, etiam tenuium fuiſſent partium, neceſſum fuit quodammodo terreſtria eſſe, vt mineralium pleraque, quæ huiuſmodi difflationi maiori, quam par foret, quodammodo obſiſtat & ob id emollientibus mineralia admiſcemus gratia attemperandi calorem induratorum, qui ſæpe contrahitur, tum etiam vt laxantia, quibus admiſcentur, non ſubſint ita mollia, quia aliena ſunt ab huiuſmodi induratione. Cum hoc tamen conſulit Galen. alia, quæ tenuium ſint partium, admiſcere, ſic ſcribens. *Emollientium medicamentorum miſturam laudani, nimirum vt preparantem indurata corpora, & prædictis pharmacis idonea facientem:* & cum hoc eadem parte monet, id cautè eſſe agendum, niſi malum ſit in membris interioribus, vt in iecore, tum penetrationis gratia, tum quia membrum compagis eſt humidæ. Proinde quamuis innumera ſint calfacientia ſimul & deſiccantia medicamenta, ſola tamen ea, quæ conuenientem ac ſymetrum calorem poſſident, vnamque illi correſpondentem ſiccitatem ſunt ſortita, molliri poſſunt, quæ ſcirrhi inſtar indurata ſunt: quod etiam conſuluerat Galen. dicens: *Non igitur curanda ſunt partes indurata medicamento immodicè ſiccante, ſed cum eo, quod calorem habeat tepidum, humiditatem verò neque multam neque minimam: quod enim ſuperſl. ũm humorem habet, nihil omnino diſſoluit: quod verò minimum, plus quam oportet exſiccat.*

Li 8 pharm. cap. 8

Lib. 3. ad Glauc. c. de ſcirrho.

Emollientia quibus induratis conueniant.

Quo fit, vt malactica, hoc eſt, emollientia medicamenta, eodem tempore vtrumque ſimul ſint agentia: nempe quod congelatum eſt, fundentia, & ſenſim per halitum digerentia: peculiariter enim medicamentum emolliens, non omnibus induratis ex quauis cauſa ex vſu erit, ſed his, quæ congelatione indurauerunt, magis, ſi in eis ſit cõtentus humor præter naturã. Tale enim eſt bdellium, ſtyrax, galbanum, tymiama, amoniacum medulla ceruina, adeps caprillus, & alia, quorum inferiùs meminero.

Emollientia quæ.

Induratorũ termini qui & quot.

His ſuppoſitis, neceſſum eſt docere, ea, quæ indurantur, poſſe vna ex quatuor depoſitionibus manere: prima qua dura manent, citra alterius qualitatis commercium, quibus quę verè emollientia dicuntur, proficua eſſe conſtat. Secunda, cum duritiei aſſociatur lentor & viſciditas, cui iure optimo debentur emollientia ea, quæ aut tenuium ſunt partium, aut eiſdem commiſcentur, vt docuerat Galen. dicens: *Quæ verò ob frigidos ac viſcidos humores in ſolidis corporibus imbutos indurantur, ex neceſſitate frigidam habent affectionem, quare & calfacientibus, ſimulq; tenuium partium pharmacis opus habent:* hæc enim efficacia ſunt, & ad viſciditatem humorum induratis partibus infartorum extergendam, & ad ſecandam craſſitiem, & diſcutiendos humores ita extenuatos. Sunt autem hæc acetum mulſum, vel in quo hyſſopum, thymum, pulegium, anethum & ſimilia præcoxeris, aut oleum prædictis herbis decoctum. Tertia autem forma dura manent, quæ in calloſam, tophaceam & lapideam naturam degenerant: quibus fruſtra adhibemus emollientia nuper dicta. Quapropter his porrigere oportet, quæ humidam & fluentem ſubſtantiam habent, tenuiſſimamque cum

Li.8. pharm. loc. c. 8.

Emollientia tenuium partium.

multis partibus igneis vel terreis attenuatis. Cui vſui cōceduntur liquores, qui vel pure acida ſunt, vt ſuccus limonum: vel purè acres ſunt, vt ſuccus chelidoni: vel mixti ex vtroq;, vt acetum, præſertim ſcyllinum. Quibus duritiei modis addi poteſt quarta, nimirum cum durities, vtcunque ſit, commiſtam ſecum habet tenuium, acrium & erodentium ſuccorum fluxionem, cuius ratione in vlcus cancroſum degenerare ſolet ſcirrhoſa durities. Cui vſui deſeruiunt quidem, quæ emolliunt, cæterum admiſtis non ſolùm mineralibus, ſed additis oleo mandragorę, ſucco ſolani, & aliorum, quę frigidiſſima ſunt: quorum *lib. de fœm. morb.* copiam reperies.

At quia non eſt vnica corporum omnium, aut corporis partium conditio, ſicuti neq; vnus duritiei gradus, ideò ſcire oportet, plures eſſe & varios medicamentorum emollientium ordines, iuxta maiorem, aut minorē corporis, aut partis vel tumoris exceſſum. Sic imbecilla mollientia paruis medicantur inflammationibus, vt etiā inſinuauerat Galen. his adhuc fortiora, lenem duritiem ſine phlegmone perſanant: validiora item maiores, quemadmodum & quę duritiem in ſcirrhū prope degenerantem curant. Cui vſui extant apud Gal. quatuor emollientium medicamentorū ordines, quos ad duos tantùm placuit reducere, quia hi etiam adhuc differunt ratione maioris aut minoris ſolùm.

[Li. 7. pharm. gen. c. 3]

[Li. 7. pharm. gen. c. 4]

[Emollientium ordines.]

I. Primi autem ordinis ſunt (in quo itē quædam leuiter & alia efficaciùs agere reperiūtur) cera alba, butyrum, axungia porcina & vitulorū ſepum, axungia anatis, anſeris, gallinæ, œſypus, lana ſuccida, oleum amygdalarum dulcium inſuccata: quibus aliquod ex mineralibus addere oportet.

II. Quę verò ſecundi ſunt ordinis, validiusq; emolliunt, in validis etiā & robuſtis corporibus, aut inueterata duritie proſunt, ea quidē ſunt, vt Gal. refert, gutta ammoniaci, bdellium, galbanum, ladanum, propolis, thus: pinguia etiā, verū vetuſta, & hircorum, taurorum, leonum, maximè ſi aceto liquentur, quo tempore tophaceas durities emollire etiam poſſint.

[Li. 7. phar. gen. c. 5]

Variè hæc omnia confici poſſunt iuxta partis affectæ varietatem. Partes namq; nerueæ, dum ſcirrhoſæ fuerint, nullo aut modico aceto emollientia commiſta deſiderant: ſat eſt partem oleo & aceto calidis euaporare, quo diſponatur ad emollitionem ſuſcipiendam. At in partibus mollioribus & rarioribus, dum abditæ ſunt, vt ſplen & iecur, aut quę neruis carent, vt carnoſę muſculi partes, tutior eſt aceti vſus penetrationis gratia. Quapropter muſculis, carnoſis partibus ſcirrho affectis, ammoniacum aceto liquatum plurimū confert, dū interpoſitis diebus cataplaſma ex althæa, radice lilij, axungia porcina & oleo liliorum vtamur. In tendonibus verò & ligamentis, ſolo vtitur Gal. aceti vapore, in quo ferrum candens aut pyritis lapis extinguuntur. At dum ſcirrhus in mammis contrahitur, cautius aceto eſt vtendum: faciliter enim harum partium ſubſtantiam aceto demolliemur, niſi affectus inueteratus ſit, & corpus robuſtum: quo tempore Gal. modico vtitur. Vteri quidem durities omnino acetum renuit, ſicuti ea, quæ ventris os attingit, licet hæc euaporationem ſuſtineat, illa autem nequaquam.

[Lib. 4. methodi.]

Reliquas durities ſubticeo, quia Galen. id cupioſiſſimè docuit.

[Libr. 2. ad Glaucon.]

DE APERIENTIUM AUXILIOrum adminiſtratione.

INSTITVTIO VII.

QVi aperientibus auxiliis probe vti ſtuduerit, primò diligenter perdiſcat differentiā cauitatum, quæ in corpore occludi poſſunt, vt iuxta cuiuſq; naturam & locum aperientia auxilia adminiſtrare ſciat. Ex cauitatibus itaq; quę in corpore præſunt, quędam ſunt inſenſibiles, velut cutis meatus: quædam verò euidentes, vt cauitates venarū, arteriarū, ventriculi, inteſtinorum, renum, veſicæ, vteri, pudendorum, ani, auriū, narium, faucium, & meatuum, qui ad vrinā & ſemē tranſmittēdum comparati ſunt: itaq; vt varij ſunt meatus, ita & varię reperiūtur obſtructiones. Cutis igitur meatus ab his, quę habent vim denſandi, cuiuſmodi eſt externū frigus, vel adſtringendi, vt aquæ aluminoſæ, vel exſiccādi, vt Solis feruor, vel indurandi, vt duræ frictiones, potiſſimū conſtringuntur: caloris etiam receſſus ad interna viſcera, extremā ſuperficiem denſiorem reddit: ſordes item, quæ adhærent cuti: & ei admota emplaſtrica, vel terrena medicamenta.

[Cauitates corporis quotuplices.]

[Cutis meatus à quibus conſtringātur.]

Cuius rei gratia ſtatuendum eſt, medicamenta aperientia eſſe *in duplici differentia*: quædam enim rareſacientia appellantur, quæ tantum ſunt proficua cutis obturationibus: quædam rurſus verè dicuntur deobſtruentia, quæ magno diſſident interuallo, vt Gal. ſtatuit: namque rareſacere, tantum eſt ſuperficiem cutis magis ſolutam reddere, vt vapores per ipſius meatus commode difflari poſſint; aperire autem, eſt ad profunditatem meatuum penetrare, obſtruentiaq́; corpora attenuare, abſtergere & excurere. Sunt itaq; rareſacientia modicè calida, minimè deſiccantia & tenuium partium: aperientia verò, craſſæ ſubſtantiæ eſſe oportet, & maioris caloris, eum ad profunditatem penetrare teneantur, quæ non oportet ſecundū gradum caloris tranſcendere, nec plus craſſitiei obtinere, quam par ſit, ad ſuſtinendum diutius calorem.

[Medicamēta quotuplicia.]

[Lib. 5 ſimpl. c. 13.]

[Rareſacientia.]

[Aperientia.]

Cutis igitur dum conſtringitur, rara fiet, calore, humore, aut calore & humore ſimul, vel motu: dum verò ab externo frigore conſtringitur, modicè caleſaciētibus rareſcit, vt aëre calido, quemadmodum Galen. conſuluerat, inunctionibus, tegumentis, frictionibus etiam, quemadmodum Hippoc. ſcripſerat, necnon & idem Galen. Cauendum tamen eſt à duris frictionibus, vt quæ denſiorem & duriorem reddant cutem. Quod ſi aquæ aluminoſæ contactu denſitas prodeat, vel alterius ſimilis medicamenti acceſſu, proſunt fotus ex oleo tepido, amygdalarū dulcium, euaporationes

[Cutis conſtricta quomodo rareſiat.]

[Lib. 1. ad Glauc. c. 3.]

[Lib. de his quæ in medicat.]

[Lib. 8. Method.]

tationes

tationes ex dulci aqua, calidi etiam aëris contact⁹. Verùm à Solis æſtu aut dura frictione, balneis aquæ temperatæ & prædictis inunctionibus laxa fiet: conſtrictiones à caloris retroceſſu curant extremarum partium frictiones & totius corporis, donec rubeſcant. Quibus autem ob puluerē aut ſordes meatus obturantur, abſterſiones proſunt
Li.2 fen.1. c.36 ex furfure, farina fabacea, oleo & nitro, vt egregiè docuerat Auic. loquens de oppilatione non profundata.

Patentiorũ meatuum obſtructionis cauſæ. Sed longè maius negotium faceſſit patentiorũ meatuum obſtructio, tum propter cauſarum varietatem, tum propter partium diuerſam naturam. Sed in vniuerſum cauitates eæ anguſtiores redduntur, quando corpora, quæ cauitatem conſtituunt, comprimuntur, concidunt, contrahuntur, obſtruuntur, coaleſcunt, tenduntur, diſtor-
I. quentur, vel à ſuis ſedibus egrediuntur. *Compreſſio* namq; contingit vel ob adiacentis corporis, aut i-
II. pſius partis extrinſecum tumorem, vel rem grauem arctiùs alligatam. At *concidunt* latera meatus conſtringentia, dum nimio humore imbuta, ſuum terminum retinere nequeunt, vel cùm euacuatur id, quod in cauitate contentum latera in-
III. ter ſe diſtare faciebat. *Contractio* etenim à ſiccantibus naſcitur, corrugatione media, ſicut fit ab adſtringentibus medicamentis, aut à facultate re-
IV. tentrice vehementiùs cogente. Porrò *obſtructio* fit à rei, quę in cauitate continetur, craſſitie, lentore & multitudine: quorum quædam familiaria ſunt ipſi parti, vt cibus & ſanguis contentus in venis: quædam excrementa ſola qualitate inimica, vt craſſi, tenacesq; humores: quædam quantitate: alia etiam tota ſubſtantia, vt lapis in veſica, pus, ſanguis concretus, callus, ſtercus durum, vel tuberculus aliquis, aut copioſa pinguedo. *Coaleſcunt*
V. Inſuper partes, cum vulneratæ vel vlceratæ fuerint, intercedente nimirum carne, vel ex coarctato coalitu. Item luxatæ partes, vel malè figuratæ, vel vtcunq; à ſua ſede dimotæ anguſtiores efficiunt meatus, & male diſpoſitos. Ex qua cauſarum varietate conſtat, quàm difficile ſit aperientibus medicamentis vti.

Inſtitui cuiuſq; obſtructionis differentiæ modum aperiendi ſeorſum ſcribere, quo clarior euadat docendi ratio, ne quis euerſo ordine aperien-
Ratio aperiendi obſtructiones ex tumore præt naturã ex cõciſione tibus vtatur. Sic cùm ex tumore præter naturam, aut quouis alio meatus occluduntur, nõ aperientibus, ſed his, q̃ aut tumorem præter naturam curent, aut rem adiacentē auferant, curari deſiderãt. Verùm dum laterum cõciſione deliteſcunt meatus, inſpicere oportet, an ex nimia humiditate id fiat: quam ſudoribus exſiccare, aut aliis auxiliis ſat eſt: item an cõciſa ſit vena ob immodicam vacuationem, quam per alimenta optimi & copioſi nutrimenti aperies. Quod ſi ex ſiccitate corrugētur, balneis, inunctionibus & alimẽtis rem humectabis. Adſtringentia medicamenta, ſi id fecerint, auferenda protinus ſunt, & pars fouenda dulci oleo & moderata frictione. Quod ſi robur contentricis facultatis id fecerit, deijciendum eſt tepidis, pinguoſis & mucilaginoſis, & nonnunquam expultrix excitanda eſt, vt contra opeterur: dum verò ſitus partium mutatur, eas ad antiquum ſtatum reducere ſat eſt.

Obſtructio quidem, quæ longè maius faceſſit negotium, tribus omnino capitibus continetur, iuxta tres communes vias humoribus deferendis, aut excrementis excernẽdis deſtinatas: nimirum omne venoſum genus, inteſtina, & inſtrumenta vrinæ ſeruientia: nam de reliquis omnibus actum eſt hucusq; ſufficienter.

Vrinæ autem ſeruientia inſtrumenta, dum ob- Obſtructiones meatuũ vrinæ.
turantur, longè maius faceſſunt negotium: quippe obſtruuntur ab humoribus craſſis, à ſanguinis grumo, à pure, à tuberculo, aut tumore quouis præter naturam, à carne ſuccreſcẽte aut caruncula, & vltimò à lapide. Quæ ſanè cauſæ hoc habent in curatione commune, quod antequam medicamenta, quæ contra cauſam pugnent, adhibeantur, expoſtulant à veſica vrinam priùs deponi, ne nobis præter ſpem contingat, foramine adhuc obturato, medicamentis, quibus ſalutem ſperamus, maiorem allicere vrinæ copiam, grauioraq; ſymptomata concitare. Sic priùs fomentis, inſeſſionibus, inunctionibus, cathereribus, motibus vehementioribus vrina prouocanda eſt, veſicaq; ab onere liberanda, & mox pro ratione cuiuſque cauſæ curatio aggredienda. Si tamen ab humoribus craſſis & viſcidis obſtructio fiat, præmiſſa per vomitum aut expurgantia pharmaca ventriculi & totius corporis prouidentia, omnia, quæ obſtructionibus venarum & interiorum viſcerum in eiſdem cauſis proſunt, adhibenda ſunt: dummodo illis admiſceamus, quæ vrinas mouent, ea ſolùm, quæ meatus vrinarios abſtergere poſſunt, non quę vrinæ copiam ad eas partes alliciunt. Verùm ſi ſanguis concretus meatus obſtruxerit, adhibitis, quæ lapidem comminuere nata ſunt, alias mox leges, & additis etiam calidis medicamentis curationem perficies: namque non ſat eſt, eſſe tenuia, acria & acida, niſi caliditatis aliquid obtinuerint: fundit enim, quod concretum eſt, calidum medicamentum, vt oxymel ex decocto artemiſiæ, rubiæ, aut betæ, vel rubi cum leporis aut hœdi coagulo & aceto mulſo. At purulenta materia ea medicamenta expoſtulat, quæ abſtergendi potentiam obtinent, non laxantia & emollientia, vt nonnulli cõſulunt. Quippe affectus & cauſæ natura ſolis abſtergentibus gaudet, maximè ſi eis miſcuerimus, quæ tenuandi vim obtineant ac mouendi etiam vrinas, vt *cap. de abſtergentibus* reperies.

Quod ſi ſupercreſcens caro aut verruca, vel caruncula aliqua pudẽdi meatum obſtruxerit, longè diuerſam rationem aperiendi deſiderat (prætermiſſa Galen. curatione tanquam ſuſpecta.) Namque in huiuſmodi obſtructione, quæ carnem exedendi, & carunculas perforandi vires habeant, ſunt adhibenda, præmiſſis, quæ emolliunt, laxant, ac dilatant partes per inſeſſiones, fomenta, inunctiones & emplaſtra, à quibus mox tentare conuenit, haſtulas petroſelini, iunci aut maluarum per canalem ad veſicæ vſque cauitatem immittere, quibus, ſi fieri poteſt, caro aut caruncula perforetur. Quod ſi ob duritiem fieri nequeat, inferenda leuiter eſt candela cerea (cauendum tamen ne intus frangatur, ne aliquid eius aut aliorum intra veſicam excidat) quod ſi ita tes ſucceſſerit, quod caro rumpatur (quod ex ſaltu, & portione candelæ ingreſſa cognoſces) maiorem te exiſtima feciſſe partem. Verùm ſi non permeauerit, conficienda eſt virgula plumbea, qua iterum conari oportet carnem dirumpere:

quod ſi hæc adhuc non profuerit, argenteo cathetere vtendum eſt, donec caro paulatim & leniter perforetur, ac ſedato ſanguinis fluore, & relicta ibidem per diem candela cerea, aut iunci haſtula, poſtea extracta curioſe eſt inſpicienda: & qua parte ſit contuſa & compreſſa, circa eam obducendum eſt medicamentum huic apertioni cõtinuandæ proficuum, exſiccans nimirum & erodens, quod carnem depopuletur & exedat, qualia ſunt ex mineralibus & metallicis plura.

Vnguentũ ad carunculas interiores virgæ.

Verùm quia in rebus dubiis, incertis & periculoſis ſatius eſt expertis vti, quam intrepidè noua experiri, placuit ſcribere mirabile illud vnguentum, quo ſæpe & tuto vtebatur Luſitanus quidam in hac re peritiſſimus. Recipit quidem *æruginis, auri pigmẽti, calcithidos* (vitriolum vocant) *aluminis rupei, ſingulorum ℥ ij. perfuſa acerrimo aceto inter duos marmoreos lapides ducantur accuratiſſime, redactaque in leuorem tenuiſſimum, exponantur Soli caniculari: exſiccatus puluis rurſus aceto affuſo, ducendus ac leuigandus eſt, Solique ſimiliter exponendus: id quod octo aut nouem diebus facere neceſſum eſt, donec partium ſumma tenuitate acquiſita omnem prorſus acrimoniam atque mordacitatem amiſerint*:

Fortia medicamenta quomodo acrimoniã amittant.

namque fortia medicamenta, ex aceto diebus pluribus contrita, morſu quidem & acrimonia carent, vires tamen maiores acquirunt. *Confecto itaque puluere, accipito argenti ſpuma* (quæ lythargiros appellatur). ℥ ij. *olei roſacei* ℥ iiij. *quibus per cocturam ad emplaſtri formam redactis illius* ℥ ij *permiſceto cum pari portione prædicti pulueris: aut minore, ſi imbecillius facere ſtudueris.* Quod quidem vnguentum mitius adhuc efficies, ſi *olei ſeminis cucurbitæ* ℥ j. admiſcueris, & ad formam linimenti mollioris effeceris: cuius autem aliquid in ſe recipiat candela cerea parte ſignata à carunculæ foramine excauata: curandumque eſt, vt ei parti exquiſitæ adhæreat: vel candelam inuolues linteo molliſſimo in circuitu ad modum lineæ gyratiuæ, ſupra quod vnguenti aut linimenti aliquid appones: nam ſiatus ea arte adhæret medicamentum: & tunc perſtabis in hoc opere, donec carunculam extirpaſſe cognoueris ex libero vrinæ exitu, & ex facili candelæ tranſitu, & nullo aut pauciſſimo pure excreto, mox tamen vlcus abſterges & conuenienti methodo curabis.

Quod ſi vrinarium foramen, aut aliquod ductum, quæ à renibus in veſicam deferuntur, lapide obſtruantur, aperienda ſolùm via eſt lapide fracto, aut à foramine ſemoto.

Lapidem in veſica non poſſe frãgi.

Frangere quidem eum, qui in veſica eſt multi tentarunt fruſtra tamen: & cum hoc ego etiam tentabo idem efficere: non tamen dum in duritiem lapideam commigrauit, ſed cum adhuc in glutinis formam concreuit ſolum; quod poſſibilius arbitror. Cui vſui præſtat ſcire, varia medicamentorum lapidem frangentium genera à variis authoribus ſcripta fuiſſe, diuerſa quidem & ſæpe contraria, vt facilè apud Gal. reperire eſt, quod non citra maximam conſiderationem, & ſalubre medendi conſilium factum eſſe cenſeo: ex varia etenim frangendi lapidem ratione, & ex varia lapidis diſpoſitione ſeu ætate aut tempore ſumpta ad id indicatione. Quamobrem, poſtquam Medicus ex propriis ſignis, lapidem ineſſe veſicæ cognouerit, non poteſt hoc aut illo medicamentorum genere indiſtinctè vti, ſed à principio id adhibere tenetur, quod iuxta lapidis ſtatum proficuum fore cognouerit.

Medicamẽtorum calculum frangẽtiũ genera.

Cuius rei ratione ſciendum eſt, quatuor reperiri medicamentorum frangentium lapidem genera multis doctiſſimorum compertum eſſe. I.

Primum quidem æſtimari diligenter oportet, an lapis ſit plurimum induratus, concretus & compactus, an paruo aut nullo glutine cõfectus: nam hoc eſſe lapidis principium Hipp. his verbis ſtatuit. *Glutinum quidem fit pituita ad ſacem admixta, & primò parua lanugo ſuperſtat, deinde quod accedit arenoſum fit glutino fiente pituita*: quod etiam eadẽ parte longiùs explicat.

Lib. 4. de morb.

Quo quidem tempore ſolent adhiberi calidiora, quam pro frangendo lapide forent neceſſaria, vt Galen. optimè aduertit, quibus exſiccato debili, aut vt rectiùs loquar, diſſoluto & nondum concreto glutine, faciliùs inhibeatur lapidis concretio.

Li. 9. pharm. loc. 1.

Quem vſum præſtant inter alia, quæ breuitatis cauſa prætermitto, nicotiana herba, vulgò tabaco appellata, cuius puluis quantitate ℈ j. cum tripla ſacchari quantitate, & vino aut aqua ſaxifragiæ exhibitus plurimum conducit: veluti ſtillatitia aqua ex calcitrapa, & decoctum etiam florũ & ſeminis eius.

Verũ ſi iam induratum eſſe lapidem cognouerimus, non tamẽ omnino concretũ, neceſſaria ſunt ea medicamenta, quæ tenuibus conſtant partib⁹, acida tamen & multo humore inundantia, & quę calore ſunt moderata: nam talia à tenuitate habent, vt penetrent denſas concreti lapidis partes: ab aciditate, quod inſcindant & in minutiſſimas partes lapidem diſſipent: à copioſo verò humore, quod madefaciant, & veluti emolliant: egent tamen moderato calore: nam quę acrius calfaciunt, magis indurant, quàm comminuant lapidem. Cuius efficaciæ ſunt *ſuccus limoniũ, oxalidis, radicis rubi: betonica ipſa, graminis radix, adiantum, aſplenium, ſmyrnij ſemen, rumicis radix, vitis la. bryonia, ſemen maluæ ſylueſtris, radices ananarum, blitũ, ſaxifragia, vrtica* & alia huius naturæ.

II. Medicamẽta ad lapidẽ induratum, ſed non omnino concretum.

Tertij generis medicamenta ea ſunt, quæ impropriè lapidem inſcindere dicuntur: nam abſtergendo tantùm atterendoque ſuperficiem lapidis, ipſum conterunt, vt aſpera omnia, ſicut *vitrum tritum, lapis ſpongia, lapis lincis, cinis leporis combuſti, cinis corticum ouorum, lapis, veſica hominis aut porci & alia huiuſmodi*, quæ vt ſunt parui momenti, ita voluntariè ſubiiceo.

III. Impropriè calculũ confringentia.

Quarto loco ea oportet porrigere, quæ multam vrinam prouocent, vt quod ex lapide excuſſum eſt, & in arenulas aut fruſta comminutum, inundãte copioſa vrina pellatur.

IV. Vrinã prouocantia.

Qua quidem lege Medicus poterit, inſpecto ſtatu laborantis, porrigere, quæ proficua fore ſperauerit. Sunt præter hæc alia medicamenta, quæ à proprietate ferunt id poſſe: ſed hæc prætermitto, nam plus fictitii quam veri obtinere arbitror. Inſuper compoſita reperiuntur non pauca, quæ efficacius id poſſent efficere, ſi experimentum probaſſet, vt rationabiliter videntur compoſita. Et hæc ſufficiant, quando breuis inſtitutionum ratio plura non admittit, & *libr. de inter. morb. curat.* latiùs ſcripſi.

V. à proprietate iuuantia.

At quod maius videtur negotium faceſſere in aperiendis meatibus, eſt venarũ, tum viſcerũ, tum totius corporis obſtructio.

Venarũ obſtructio.

Quam efficere ſolent humores multi confertim & ſubitò vaſa obturantes, aut viſcidi & craſſi ibidem congeſti, & vaſorum tunicis adhærentes, præpedienteſq; aliorum humorum, tum diffluxionem, tum diſtributionẽ ſufficienter. Fert quidem natura patienter collectiones

Quinam his obſtructionib. ſunt magis obnoxii.
Li. 8 pharm. lo. c. 6.
Li. 8. & 11. meth.
Li. de conſt. art. med.

ctiones humorum, donec vel qualitate ſua ſint admodum moleſti, vel creſcendo iam incipiant eam premere: quæ ſi valens ſit, eos aggreditur expellere vel deuincere: ac ſi impotens, humores ibidem permanere ſinit, & obſtructionem efficere: quod ſi multi aut calidi fuerint, febrem accendunt: ſi verò craſſi & tenaces, minimè aut longo poſt tempore, vt Galen. mille rationibus probat. Eueniunt quidem ſæpius ac citius huiuſmodi obſtructiones, in frigidis & fœmineis naturis, quæ ob crudi ſanguinis copiam, aut vitam ocioſam & ſedentariam facilè his humoribus aut excrementis abundant, tardiùs verò in calidis.

Medicamenta deobſtruentia quotuplicia.

Sed medicamentorum, quæ deobſtruere poſſunt, natura triplex reperitur: vna quidem, quæ primò & per ſe humorum peccantium prauæ cõditioni ſe opponit, euacuatione nimirum, ſi quãtitate peccant: aut purgatione, ſi vitio aliquo: inſciſſione, attenuatione vel abſterſione, ſi craſſi, viſcidi, & tenaces ſint. Altera minùs, quæ ex accidenti obſtructionem demolitur, pondere videlicet, etiamſi abſterſione id efficiant. Tertia verò continet ea medicamenta, quæ infartu liberant & obſtructione, quæ à Galen. ecphractica, & ecatarctica appellantur, quaſi expurgantia & infartu liberantia dixeris: quæ omnia nitroſa & amara ſunt, nonnihil adſtrictionis habentia: cuius ratione, quæ circa ventrem ſunt partes, quæque in iecore, liene aliiſque viſceribus, cum maximos in ſe meatus habeant, maius accipiunt commodum ex vaſorum corroboratione, quàm propter oſculorum exiguitatem lædantur. Sunt autem ea vt ſcylla, iris, nitrum, aphronitrum, ſpuma nitri ſcryphon, & id genus reliqua, quibus raro vtimur ſolis, ſed ob humoris peculiarem conditionem ea, quæ primi generis eſſe diximus, admiſcere iubemus.

Lib. 8. meth.
Li. 11. eiuſ. & 3. art. med.

Nam cum humores craſſi, viſcidi & lenti plerumque obſtructiones efficiant, ob id Galen. conſulit ea eſſe adhibenda, quæ abſtergendi & attenuandi vires habent: nam abſtergentia & inſcindentia, viſciditatis præſidia ſunt; craſſitiei, attenuantia. Inter quæ medicamenta etiam eligenda ſunt, quæ cuique membro proficua experti ſumus, veluti quæ iecur reſpiciunt, vt nardus Indica & Celtica, ex aqua frigida epota, lauri cortex, tribus obolis vino odorato ſumpta, piceę folia mulſa diluta, gentianæ radicis ſuccus, aut decoctum chamæpiteos, eryngii, rapontici, agarici, betonica, eupatorium: quibus admiſcere oportet ſuccum, vel ſerapium cichorij aut abſynthij: quibus etiam modicas lienis obſtructiones auferre poterimus: nam quæ maiores ſunt, vehementiora deſiderant, vt capparis corticem, radices tamariſci, ſcolopendrium, ſcyllam, aſplenij folia, & alia id genus: cuius natura eſt vinum in quo ferrum candens ſæpius fuerit extinctum. Hoc tamen obſeruabis, quod ſi iecoris cauum fuerit obſtructũ, quæ ventrem ſoluunt, admiſcere oportet: ſi verò gibbum, quę per vrinam purgent: *in lienis autem obſtructionibus ſemper addere oportet aceti nonnihil.*

Med. Epatica.
Splenetica.

Quid in deobſtruendis viſceribus primo agendum.

Verùm licet hæc ſufficere viderentur, neceſſum tamen eſt noſſe, quid primo ſit agẽdum in deobſtruendis viſceribus, inſcindendumne, an abſtergendum aut extenuandum, an ſimul totum peragendum. In qua re, niſi quid particularius obſtiterit, ſemper attenuantibus primò eſt vtendũ, mox inſcindentibus, & abſtergentibus vltimò. Quod ſi ex omnibus vnum compoſueris medicamentũ, longè vtilius te feciſſe exiſtima: in quo tamen primis diebus attenuatio polleat, poſtmodum addere oportet, quæ inſcindendi vires obtinent, vltimò tamen abſtergentia, & repurgantia vigeant, neceſſum eſt. Qualia autem ſint, quę attenuant & inſcindunt, antea dictũ eſt. Abſtergunt quidem inſciſſos & attenuatos humores *mel, ſaccharum, terebinthina, addito rhabarbaro aut agarico*: præſertim ſi his vtaris tertio vel quarto quoq; die ℈ ij. pondere, in aqua lupulorũ facta infuſione & expreſſione. Quorum ſufficientem copiam repeties *lib. de curat. morb. c. de iecore & ſplene obſtructis* nec non *lib. de recto præſidiorum vſu.*

Abſtergẽtia

Secundum apertionis obſtructionum genus.

Secundum autem apertionis obſtructionum genus, maioris eſt efficaciæ & vetuſtioribus affectionibus proficuum: quod perficiunt ea medicamenta, quæ (vt ferunt) ſua grauitate deorſum ferre omne id, quod in viis anteſtat, vires habent: qualia ſunt omnia medicamenta, quæ ex chalybe conficiuntur. Quæ quidem, non ſolum pondere & grauitate id nata ſunt efficere, ſed vt Galen. aduertit, quia nonnihil obtinent caliditatis, & plurimum abſterſionis, & vt *lib. de fœminarum morbis* diximus, ob vim etiam purgatiuam ex parte ſulphurea, qua abundant: quo fit, vt calore ſibi viam aperiat, & humores etiam attenuet, pondere quidem celeriter quoſuis meatus permeet, abſterſione verò humores abradat. Nec ob id credendum eſt, craſſarum partium chalybem plus prodeſſe, quàm dum ſubtiliter limatur: quippe tunc potius perforat humores ſuo pondere, quàm vi propria abſtergat: quo fit, vt fœminæ ſic curatæ cuius reincidant in maiores obſtructiones: quod profectò bis, quæ ſubtiliùs limatum chalybem acceperunt, non accidit. Exempli tamen gratia modum præparationis vnum aut alterum proponam: longiùs enim de hac re egimus *libr. de fœmin. morb. & libr. meth. de rectis præſ. vſu.* Quod magis proficuum fidiſſimo experimento cognoui, eſt *chalybem ſubtiliſſimè limare & ſæpius aqua roſacea vel quauis alia abluere, & admiſcere prædictis medicamentis hac forma: Excipe ſyrupi de quinq; radicibus (in fœminis ſine aceto, & in viris cum eo) ſyrupi chichorij & adianti ana* ℥ iij. *pulueris rubiæ, & rumicis ana* ʒ j. ſ. *pulueris diamargariton is fri.* ʒ j. *chalybis ſubtiliter limati & loti* ʒ vij. *miſce & fiat ad modum opiata.* Robuſtioribus verò addere poteris *mellis* ℥ ij. *chalybis vſq; ad* ℥ j. ſ. *diatragacanthi* ʒ j. *dia curcumæ & dialaccæ ana* ʒ ij. Cuiuſq; harum compoſitionum ſumat laborans manè cochleare vnum, & mox per locum acclinem & decliuẽ vnius horæ ſpatiũ ſe exerceat. Verùm in his, qui aut vomunt, aut aluum habẽt adſtrictam, ex vſu eſt modicum aquæ calidæ antea ſumere: in aliis modicum vini, & ſi quod accidens ſuccreuerit, iuxta eius naturam ſubuenire oportet, *locis citatis* abunde dictum reperiet diligens lector.

Li. de ſimpl. c. de ſquamis.
Chalybis præparatio.
Opiata ex chalibe.

DE TRAHENTIVM AVXILIO- *rum adminiſtratione.*

INSTITVTIO VIII.

Motus localis quotuplex.

FIERI motum localem vno è duobus modis, vnanimi conſtat Philoſophorum, & Medicorum omnium conſenſu: vno à principio quodam intrinſecu (cuius hac in parte nô meminero) alio quidê à principio extrinſeco, in quo res mota renitêtiam potius quàm actionem præſtat. Quod ſanè motus genus iterum diuiſerunt Philoſophi in quatuor ſpecies, quales ſunt pulſio, tractio, vectio, & vertigo. Inter quas hęc eſt differentia, quod pulſio ſumit denominationem à termino à quo pellens incipit motum: tractio à termino ad quem: vectio ex vniuerſo motus ſpatio: vertigo verò ex pulſu & tractu componitur. Pulſu verò vtimur, cùm aliquid, quo non oportet, vergit: ſic medicamentorum repellentium adminiculo à parte trudimus, quod præter naturam fluit: quod ſi ea prodeſſe non côperiamus, tractu vti cogit rei neceſſitas: quippe trahentia auxilia, vel propria virtute, vel per contactum ad ſe alliciunt, quę aliunde vergunt. Verùm hæc trahentia auxilia, duobus modis conſiderata & accepta reperio: vno, cùm à virtute quadam trahente ſibi indita id munus exequitur: vt magnes & rhabarbarum: alio verò conſideratur tractio, quæ ſolùm eſt humorum tranſmutatio, abſq; peculiari trahêdi virtute: qua ſignificatione, licet genere motus trahentia auxilia eadem ſint ſpecie, longè tamen diuerſa ſunt, & diuerſa côſtantia materia. Quæ ſanè trahentia oîa quatuor generibus tantû continentur, in vacuo videlicet, in ſuctu, in dolore & in calore: quorû omnium meminiſſe decreui, vt cuiq; côſtet, quando, quomodo & quouſq; hoc vel illo tractionis modo vti teneatur. Nam licet ſoli curi hæc adhiberi poſſint, conſecutione tamen quadã viſcera & internû corpus exonerât, foras tranſlata materia tabidas & veluti ſideratas partes reſtituunt: venenû in cutim euocant, vitioſam ſaniẽ exhauriunt, criticos abſceſſus accelerât, deploratos, pleuriticos & fortaſſe attonitos releuant, inguinû tumores amplificant, ſquamas oſſium detrahunt, coxendice laborantes iuuant, hydropicos ſuctione minuunt, clauos, ſpinas, ſagittas è profundo reuocant, ſic reuulſiones & alia pleraq; eximia beneficia præſtant.

Motus ab extrinſeco principio ſpecies.

Trahentia medicamêta quotuplicia.

Trahentiû vtilitas.

Vacuum quomodo trahat. Et quot modis.

Vacuû non vt vulgus arbitratur, ſimpliciter trahere eſt intelligendû, cum ſua ſponte nihil agere, vt quid priuatiuû poſſit: cum hoc tamen duobus modis vacuo trahere accidit. Primò, quia partes, quæ circumſtant, propter ſui conſeruationê in vnione ſitam, naturaliter coniunguntur: quo fit, vt grauia ſępe aſcendant maiori vi, q̃ dum ad proprium locû conſcendunt: quia ad propriû locum, vt meliùs ſe habeant, adeunt, ſurſum verò côtra proprium motû, vt conſeruetur vniuerſum. Trahitur ſecundò alia ratione in vacuo, nempe quia in corporis partibus vacuis & inanitis excitantur facultates ad validas & conſuetas tractiones: qui mod⁹ frequentiſſimè vſui medico proficuus eſt. Hac n. lege fiunt reuulſiones, q̃ cum euacuatione aſſociantur: nam inanito diſtãtiori à parte affecta mêbro, quod ibidê ſupereſt, facilè ab innato trahitur: modo ipſa facultate trahête: modo ſucceſſione ad id, quod euacuatur, humore delapſo. Quod ſanè pręſidium, dum vacuationi adiungitur, ſemper vires validas requirit, nam ſanguinê mittere & eo vſq; corpus vacuû reddere, vt à diſtantiſſimis trahere cogatur, graue eſt, niſi vires conſtent.

Suctus.

Non minores obtinet trahêdi vires ſuctus, quinimo è profundioribus & diſtantiſſimis partib⁹ educere valet. Quê vſum præſtant cucurbitę, hirudines, folles, aut ſyringa vacua, quæ ſugêdo à partibus, quibus adhærent, ad ſe facilè alliciant. Vtimur tamen hoc præſidio, vbi vires periclitari veremur maioribus vacuationibus.

Dolor an & quomodo trahat.

Dolorê de maximè trahentibus eſſe Gal. & ferè omnes Medici aſſeuerant. Verû ſtatuendû eſt, non vi & efficacia propria poſſe efficere, cû qualitas ſ. lû ſit intêtionalis, ſed potiùs arbitrandû eſt, tranſactionê ſuccedere, quia ad dolentê partê reliquæ tranſmittunt ꝑpter communê ſympathiã, q̃ habent: quo fit, vt omnes condolentiã perſentiſcant, & quod habent (ſiue abundet, ſiue ſecus) tranſmittant, facultate nimirû totius corporis trãſmittente ad partes affectas. Quippe Gal. ex profeſſo docet, dolorê non trahere, ſed tranſmiſſionem & fluxionem mouere. Quod duplici ratione poſſe fieri, exiſtimo: nimirum ſpiritu & calore per arterias trãſmiſſo ad partem dolentê: aut humore per venas ad eandem delapſo: illud quidem neceſſario ſit in omni dolore, eo, quod facultas vitalis ſpiritû & calorê ad ſingulas partes pro ratione vſus & indigentiæ tranſmittit: & cum pars dolore affecta eo tempore ad cauſam moleſtantem propulſandam plus indigeat calore & ſpiritu, ob id natura ex propria lege id ſemper nititur: cum hoc tamen vera tractio dici non debet, quia non ſit appetitu mouente facultatem ad expellendum nocuum, aut ad trahendum ſimile & neceſſarium, quorum neutrum in dolore reperitur. At in quibus aut ſanguinis miſſione reuellere non datur, aut iam factum eſt, & non ſufficit, præſentaneum remedium eſt longè à parte affecta dolorem vinculis, aut alio quouis modo excitare.

Lib. 5 meth. c. 3

Calori non ineſſe vim trahendi.

Potiori profectò ratione tractiones calore fieri omnibus eſt compertum, non quod calori inſit trahendi potentia, quantumuis ab Hippocrat. dictum ſit, membrum per caliditatem trahere ad ſeipſum à vicinis venis & carnibus pituitam aut bilem. Nam ſi quis authoris mentem ſatis callere ſtudeat, reperiet, *partes potiùs medio calore trahere, quam quod ipſe per ſe trahat*: dilatat enim partem calor, & fuſis humoribus vicinarum partium trahere dicitur. Quo fit, vt partes præter naturam calidæ, protinus humoribus repleantur: tum quia dilatatæ facilius ſuſcipiunt: tum verò quia humores promptius ad eas liquati confluunt. Qua quidem ratione Gal. trahentia medicamenta, calida eſſe & tenuium partium aſſeuerat. Caloris enim eſt partes dilatare, & humores fundere: tenuium verò partium eſt in altas permeare partes, quo faciliter fiunt in partib⁹ magnæ attractiones. In qua re ſtatuendum eſt, trahêtia auxilia aliquando quod attractû eſt à corpore, ſenſibiliter excludere, cum attractio cum euacuatione ſit, vt in reuulſoriis ſanguinis detractionibus: aliquando verò inſenſibiliter, vt digerêtia efficiunt

L. b. 1. de morb.

Lib. 5. ſimpl. cap. 16.

ciunt medicamenta: nonnunquam ſolùm attrahunt citra diſcuſſionem, vt cùm in partem emortuam calorem & ſpiritum reuocant. Quod etiam probauerat Galen. dicens: *Vicina ſibi virtutes ſunt eorum, quæ in alto latent, attractrix, & attractorum digeſtrix*: nam quæ trahunt, etiam nonnihil diſcutiunt, & quæ diſcutiunt, pariter trahunt: differũt tamen, quia in digerentibus diſcuſſoria vis eſt, in attrahentibus attractrix præpollet. Qua ratione Gal. *loco citato*, valenter trahentibus adſtringentia admiſcet, ac nonnunquam emplaſtica, vt vno tantùm medicamento, aut ſolùm, quod opus eſt, trahatur, aut minus, vt diſcuſſioni detur locus, vt neceſſitas poſtulauerit.

Digerentia & trahentia quomodo differant.

Medicamentorum trahentium genera

Medicamenta vero trahentia duorum ſunt generum: nam quædam ſua ſponte nata ſunt trahere, vt *tapſia*, *ſagapenum*, *propolis*, *ſuccus cirenaicus*, *euphorbium*, *opopanax*, & alia huius naturæ: quædam etiam aduentitio calore trahunt, vt *fermentum*, & *ſtercora putrefacta*; inter quæ non paruà ineſt trahendi diuerſitas, vt Galen. aduertit, quæ medicamenta à ſecundo ad tertium ordinem calfacientium vagantur. Sunt præter dicta, alia, quæ proprietate quadam magis, quàm alter id agere videntur, vt *radix arundinis cum melle*, *radix oxiacanthæ*, *coagulum*, *oleum etiam ſcorpionum*, & *theriaca*. In quorum adminiſtratione Gal. ſic ſcripſit: *Quòd ſi ſumma quidem partes omni noxa caruerint, id verò, quod euacuari oporteat, in penitioribus partibus fuerit, incendendus atq; augendus eſt diſpergentis medicamenti calor, cùm dubitatum ſit, ne priùs, quàm profundas attigerit partes, interim vires amittat; neq; tamen ex eo ſuperiores partes aliquem dolorem ſentient, cùm omni vacent affectu. Quare nunc hæc duo ſimul iuuant ad calidorum pariter atq; acrium medicamentorum vſum, & ſummæ partes, quæ tolerant, & profunda, quæ egent.* Quibus conſtat, præcalidis eſſe vtendum in profundioribus malis, ita vt iam acria ſint, quæ Græci metaſyncritica vocant, id eſt, tranſponentia, traducentiaque ab internis ad extimas ſedes, quæ etiam vocant rubificantia. Quorum etiam vium docuit Galenus, his verbis: *Si quidem vbi tantùm corpus celeriter calfacere conſilium eſt, ea tunc exhibenda ſunt, quæ & celerrimè à caloris noſtri contactu incaleſcant, & promptiſſimè vndequaq; ferantur; verùm vbi partem quampiam refrigeratam calfacere ſtudemus, contrà agendum eſt, nimirum, quæ tardè caleſcentia plurimo tempore perdurent.* Itaque cùm in calorificis mens eſt, vt per moram igneæ partes in profundas ſedes meent, non in ſolas eas, quibus admouentur, eligenda ſunt calida, multam habentia lentamque humiditatem, quæ feſtinam calidi euolationem inhibeant, & remorentur, cuius generis ſunt *tapſia*, *naſturtium*, *ſinapi*, & id genus: quorum calor diutiùs duret, & tardè ſuccendatur, vt quæ ex profundo ſunt euocatura humores. Cæterùm cùm mens eſt, partem, quamprimum contingunt, citra aliquam attractionem excalfacere, eligenda ſunt, quæ citra incoctam humiditatem promptè incaleſcunt: qualem ſubſtantiam Galenus in pipere coniectat: nam ob eam tenuitatem humiditatis expertem, citiſſimè exuritur, & permeat; quod etiam alibi expreſſius docuerat. Ex quibus omnibus apertè conſtat, *trahentia omnia, aut ſicca, & tenuium partium eſſe, aut humida illaborata humiditate*. Siccis vti docet in extremis partibus, reliquis, vbi ex profundis locis aliquid

Lib. 5. ſimpl. c. 16.

Lib. 6. ſimp. c. de zingibere.

Lib. 4. de ſanit. tu. c. 15. Lib. 6. ſimp. c. de zingibere.

educere conamur. Præterea ſenſim aut confertim, leuiora aut maiora, continuo aut interpolatè huiuſmodi præſidia adhibenda ſunt, prout affectus diuturnus, grauis aut acutus fuerit. Nam grauibus & periculoſis maiora à principio ſunt adhibenda; diuturnis vero, ſenſim & paulatim vires eorum ſunt augendæ, inſpecta parte, cui adhibentur, ne vltra modum operentur; parſque, vt faciliùs vim medicamenti ſuſceptet, vino aut aqua tepida fouenda eſt. Lex autem & ratio vtendi, neque vna in omnibus, in quibus conueniunt, neque quibuſuis omnia ſunt adhibenda. Nam *criticis tumoribus, venenatorum morſibus, & peſtiferis bubonibus, non ſunt adhibenda, quæ vehementer trahant, ſed quæ leuiter*; nam præter id, quod plurimum calorem concitant, minori tranſpiratione grauius periculum accerſunt. Vltimo tamen, vti Galeni conſilio expedit, qui partem, cui adhibentur medicamenta hæc, circumliniri medicamento aliquo inflammationem arcente, docet; in alijs vero, in quibus ex profundo allicere conamur, his opus non habemus; *Præſtat tamen in omnibus, à leuioribus ſui generis initium ſumere.*

Lib. 5. pharmacoc. c. 10.

Purgantis medicamenti tractio.

Sed de tractione expurgantis medicamenti nonnihil docere inſtitui, quantumuis ſciam non magis poſſe meam ſententiam pluribus placere, quàm reliquorum authorum. Conueniunt itaq; ferè omnes Medici in hac re; nimirum medicamenta purgantia trahere peculiari quadam trahente virtute, calore, quo abundant, plurimum ad id iuuante. Alij tamen ex ſimilitudine tractionem fieri contendunt: item alij, qui ad veritatem propiùs accedũt, tractionem in calorem, electionem verò in huius aut illius humoris ſimilitudinem referunt: qualis autem ſit hæc ſimilitudinis ratio, non conſtat: nam varias proferunt de ea re ſententias. Nos autem per ſimilitudinem, modum quendam mixtionis in medicamento & humore ſimilem intelligimus; hoc eſt, quod æquis portionibus elementorum conſtet humor ac medicamentum trahens; nimirum, quod ad miſtionem concurrat vnumquodq; elementum æqua lance libratum, ac in medicamento, & ſic de reliquis omnibus; hac lege, quod in medicamento ſint vnius elementi partes duæ, alterius pars vna, reliqui rurſus partes quatuor, & quarti partes tres: rurſus in humore ſibi familiari par portio omnium & ſingulorum adſeruanda erit. Qua ſympathia & ſimilitudine coniectabile eſt, vnum ab altero elici & trahi. Quo dogmate conſtat poſſe dilui multa argumenta difficultatem inferentia; nimirum, medicamentum trahere humores, & non econtra, ob præſtantiorem medicamẽti formam, quàm biliosa, pituitoſa, aut quæuis alia excrementa ſortiantur. Secundo, non inconuenit, medicamentum eſſe calidum, & humorem frigidum, quia *ratio ſimilitudinis non ſtat in primis qualitatibus*: nec item conuenit, vnicum medicamentum poſſe plures humores trahere, quia familiarẽ trahit, reliquos natura irritata ſua ſponte expellit. Præterea tractio medicamenti nequit fieri, niſi in minima diſtantia, & libero medio: at cùm medicamentum in ventriculo reſidens humores habeat diſtantes, & mediis plurimis præpeditos, oportuit calorem præſto eſſe, qui vias aperiret, humores funderet, & iam attenuatus

Similitudo inter medicamentum purgans, & humorem purgandũ.

Obiectiones.

per

per apertas vias & anfractus duceret: quo fit, vt calore hæc medicamenta ab aliis trahentibus diſſideant: ſiquidem neque magnes, nec electrum eo indigent ad tractionem.

DE REPELLENTIVM AVXILIOrum adminiſtratione.

INSTITVTIO IX.

Vnde plurima corpori humano mala.

CVM maiori ex parte mala, quæ noſtris corporibus ſuccreſcunt, *ex fluxione* dependeât, ob id prouida ars decreuit, variis medijs & inſtrumentis á parte affecta aut afficienda fluxiones auertere: *reuulſionibus* nimirum, *deriuatione*, & vltimò *repulſa* ſeu *tranſmiſſione*, non ſolùm fluentis adhuc materiæ, verùm & fluxæ iam, atque in partibus receptæ.

Repellentia quomodo repellant.

Repellentia itaque auxilia, quæ miram hanc efficaciam ſortiuntur, non eo repellunt, quia virtute aliqua id efficiant, ſed quemadmodum trahentia, ſolùm partium dilatatione, & humorum fuſione, ita & repellentia *partium compreſſione*, trudunt humores in particulis contentos. Dimitto hac in parte deligationes & faſcias, quę viarum coarctatione potius impediunt, quàm repellant. Auxilia ſanè repellentia, vt ex Galeno facilé colligitur, naturæ eſſe frigidæ & adſtringentis, euidenter conſtat, licet per ſe frigida citra adſtrictionem, ad leuiter repellendum paucum humorem, ſuperficiem corporis occupantem, conſtituta eſſe comperiamus, vt ex eodem Galeno his verbis conſtat: *Genus igitur repellentium pharmacorum, in principio inflammationum in refrigerantium materia ſitum eſt.* Hæc enim medicamenta molli tantùm aqueaque materia præpollent, quæ denſantia Medici vocant, velut eſt *aqua frigida, ſemperuiuum, portulaca, tribulus, lenticula, paluſtra, lactuca, intybum, oleum roſaceum, violaceum, lac, oxycratum*, & id genus: alia inſuper fortiora reperies in hoc genere, vt *mandragoram, hyoſcyamum, & cicutam.* At in grauioribus affectionibus, & quæ poſtulant reuulſiones maiores, neque illa, neque ſolùm adſtringentia, ſed quæ ſimul adſtringant, & refrigerent, requiruntur: namque hæc ſunt verè repellentia, vt expreſſit Galenus; quia ad adſtrictionem opus eſt craſſa terreaque ſubſtantia. Quippe proprium adſtringentium munus eſt, contrahere, conſtipare, & ſubſtantiam noſtram condenſare. Huius autem naturæ duorum generum ſunt medicamenta, frigidorum cum adſtrictione vnum, vt *arnogloſſum, rubus, capreoli vitis, polygonum, myrtus, balauſtium, omphacium, & ſanguis draconis, oleum myrtinum, & ſumach.* Calidorum verò aliud, qualia ſunt, *maſtiche, thus, abſynthium, mentha, alumen, calcatum, caſia, cinnamomum, ciperus, ſpica, myrrha, polium, & marrubium*, ex quibus varias repellentium formas effinxerunt Medici. Nam defenſiua appellata huius etiam naturæ ſunt, quę non ſupra partem, ſed paulò diſtantiùs ab ea apponuntur, & ſtrictioribus factis viis & canalibus fluxionem ad particulam inhibeant: repellentia verò ſupra partem apponuntur, vt ab ea contentum & fluentem humorem pellant, ac delabi ampliùs in partem prohibeant.

Lib. art. medic. c. 85. Repellentium natura.

Lib. 6. pharma loc. c. 1. Genera.

Verè repellentia. Lib. 5 ſimpl. c. 16 Lib. 6. ſimp. c. de centaurea. Lib. 9. ſimp. c 1. Lib. 3. c. 17.

Verùm ante omnem conſiderationem diſcat diligens Lector naturam affectuum, locum, & denique tempus, in quo adhibenda ſunt. Affectionis naturam Galenus eleganter depingit, dicens: *Cùm vaſa maiora & minima, affluenti vel ſanguine, vel quouis alio humore repleantur, ita vt periculum ſit, ne ex vaſis exſudet ad ſpatia vacua, tum quidem vacuatione indiget particula, vtpote plena.* At vacuatio (vt alibi refert) hoc genus affectorum excogitata eſt duplex: aut tranſlato ad alias partes, qui in ægra continebatur, ſanguine, aut foris á corpore expulſo: *Satius profectò eſt* (inquit) *vtraque uti, obſeruantibus diligenter, ne qua læſio ex accidenti ſequatur.* Ergo cùm gemina ſit dictarum vacuationum vtraque, quadruplex in vniuerſum naſcitur vacuationum genus. Quorum omnium præcipuum primumque eſt, tranſlatio humoris ad alias partes: quam profectò his auxiliis repellentibus molimur, quo iterum reſumi poſſit, qui delabitur humor. Itaque ſi vacuatione non prohibeatur ad particulam fluxio, aut non ſat fuerit, reuulſionibus ipſum retrahere oportet, & mox á parte repellentium adminiculo abigendus eſt humor, perſtandumque, donec delapſa materia in venas, á quibus emanauit, iterum recipiatur. Quo auxilij genere declinamus phlegmonarum ortus atque incrementa, quia mirum in modum á parte, quod defluxerat, pellunt. Retrocedit autem, inquit Galenus, vel impulſa, vel attracta, vel tranſmiſſa, vel horum vno aliquo modorum, vel omnibus. Quos etiam extractionis modos *alibi* clariùs exprimit, intelligens per repulſionem actum facultatis expultricis: verùm cùm id parte exiſtente ægra nequeat commodè fieri citra alicuius medicamenti adminiculum, ob id ſummoperè ſunt huic vſui proficua. Verùm tranſmiſſio ſolùm intelligenda venit, prout refertur ad frigida & adſtringentia medicamenta, quorum munus eſt conſtringendo expellere humorem ad vicinas partes. De quo auxilio hæc refert verba Galen. *Quanto enim per maiora vaſorum conceptacula fiat euacuatio, eo promptiorem eſſe, eſt arbitrandum*: nam per ea expellitur á laborante loco materia ad maiores membrorum meatus: qua enim ratione delabitur materia á maioribus ad minores, eâdem iterum remeat á minoribus ad maiores, compreſſis minoribus vi medicamentorum adſtringentium: quo ſolo auxilio facile inflammationes nō paucæ curari aſſolent, vt idem author optimé *alibi* docuerat.

Lib. art. medic. 85.

Lib. 3. meth. c. 9.

Retractionis modi.

Lib art. medic. 85. Lib. 13. meth. c. 6.

Lib. art. medic. 85.

Lib. de opt. ſect. ad Tra.

Dubitatio.

Verùm quod in hac re maiorem ingerit dubitationem, eſt, *an tanta ſit vis & efficacia repellentium, vt, quod in ſpatia non naturalia exciſum eſt, á venis, in eaſdem iterum reſumi efficiant.* Quod profectò euentu quotidiano probant multa: nam puerorum excrementa, morbilli, & variolæ crebro repercuſſu frigidi aëris repentè occultantur: item inanita loca, inquit Galen. trahunt ad ſeipſa, ergo humorem contētum in tumore ad vaſorum inanitatem remeare, & ſecta vena purgari manifeſtum eſt. Præterea ex pleuritide fieri commeatus in phrenitidem & pulmoniam, docet euentus (quanquam hoc alia ratione & modo fieri poſſit) ſic Hippoc. *Quibus inter ventriculum & ſeptum pituita*

Lib. art. med. c. 85.

Lib. 7. apho. 54.

pituita repoſita eſt, & dolorem affert, non habens exitum, neque ad alterum ventrem, hæc per venas ad veſicam pituita verſa ſoluitur. Rurſus in his, qui ex morbo Gallico hydrargyro inunguntur, mirabile dictu, quàm celeri motu ab externis ad intima fiat humorum confluxus & commeatus. Confirmat inſuper ecchymoſis curatio per repellentia, facta retroceſſione ab ſpatiis illis ad vaſa. Quam etiam Galen. doctrinam docuit loquens de emplaſtro, quod ex argenti ſpuma & hydrargyro conficitur, dicens: *Cuius auxilio exulceratis partibus ne quid influat, impedit, & iam fluxum denuo ad partes circumſtantes trudit.* Idem ſcripſit idem author, dicens: *A patiente verò loco aſtringendo ac refrigerando repellimus, ſed & loca exinanita attrahant ad ſeipſa, quæcunque repercutiuntur.* Quibus profectò conſtat, commeatus humorum poſſibiles eſſe, quantumuis aliquid poſt repellentia remaneat in parte, diſcuſſoria auxilia deſiderans. Quo fit, vt non ſit repulſoriis plurimum innitendum, ſed antequam poſtremum fiat, ceſſandum, ne aut in alium mutetur affectum, vel in duritiem immedicabilem, ac etiam vt detur diſcuſſioni locus. Cum hoc tamen ſeſe extendit huius præſidij vis & efficacia ad frigidos ſuccos repellendos, vt ex Galen. euidenter conſtat: nam œdemata ea lege curare iubet per repellentia ex ſpongia aqua & aceto imbuta, addito in incremento modico aluminis. Præterea iubet à capite repellendum eſſe humorem, quiſquis ſit. Verùm id non debet intelligi de affectionibus, quæ fiunt per paulatinam congeſtionem.

Lib. 13. meth. c. 9. Lib 1. phar. gen. c. 6. Lib. art. me.

Lib. 2 ad Glau. & 14. method.

Solutio. His ſuppoſitis, arbitrandum eſt, non fuiſſe dictum temerè & inconſultó, repellentia duorum eſſe generum: nam frigidorum munus ſolùm eſt incraſſare humores, ac partes denſare, ne facile pateant: frigida verò & adſtringentia id quoque efficiunt, & ſi quid in parte receptum eſt, pellunt. Sic partes, quę præ nimio calore fluxione tentantur, ſibi ista expoſtulant auxilia; quæ refrigerando repellunt, quibus & principium fluxionis auferatur, & pars compreſſione firmetur, maximè ſi fluxio ex humoribus ſit tenuibus, biliosis, & calidis: adſtringentia verò his partibus ſunt proficua, quæ ob impotentiam fluxionem ſuſceptant, maximè ſi dolore afficiantur ſimul.

Quando, & quouſque repellentib. vtendum. Lib 1 de opt ſect. ad Tra. Lib. 13. meth. & Lib. art. me.

Supereſt adhuc his exactè cognitis, quando & quouſque ſit his repellentibus vtendum: quod docuerat Gal. ſtatuens, id fieri tutiùs, cùm corpus vacuum fuerit, & reuulſionibus vſus fueris; quia tunc humoribus impulſis ſubeſt via & locus liber. Quouſque verò ſit agendum, idem author ſcripſit, docens, quod in parte continetur, repulſu & diſcuſſione abigendum eſſe ab ea, & ob id tranſacto principio vtriſq; ſimul iunctis vtimur, præterquam quod alterum alterius miniſterium præſtat, reſoluens penetrationem adſtringentis, & adſtringentia propulſionem calidi ad interiora, quo adinuicem iuuantur, vt docuerat idem Galen. per hæc verba: *Vna verò alia miſtura ex diuerſi generis pharmacis, ex huiuſmodi ratiocinatione cœpit verò quidem inuenerit quis affectionem, aut diſcuſſorij tantùm, aut repellentis indigentem.* Paruæ etenim & affectionis nomine vix à Medicis dignatę confeſtim ſedantur: vbi verò generatus affectus maiorem habuerit cauſam, impoſſibile eſt, ipſum per repulſoria perfectè ſanare, & maximè vbi ægri corpus humoribus multis refertum fuerit, aut particula affecta natura debilis: ob id igitur cogimur ſæpe quidem in principio, ſæpiſſime verò paulò poſt admiſcere quidpiam ex diſcuſſoriis.

Lib 6 phar. loc. c. 3

Quapropter nō tempus morbi, ſed conditionem præſentem affectus ad curationem tantopere cōmendarunt authores: ſed maximè Gal. nam licet tempora ad alios vſus conſiderare oporteat, ad curationem tamen præſens cauſa & præſens diſpoſitio affectus neceſſariæ ſunt: quare non ſemper expectare oportet augmenti principium ad mixtionem reſoluentium, vt multi conſulunt: ſed conſiderare oportet, num antea expoſtulet affectus conditio. Et ob id ſola aut parum miſta in principiis inflammationum repellentia ſunt adhibenda, quia plurimum fluit, fluxit tamen quàm pauciſſimum, vt Gal aſſeuerat, & quo magis morbus augetur, minor eſt fluxio, aut ſaltem æqualis, magis vero quod fluxum eſt: qua ratione vberius oportet admiſcere, vt optimè aduertit his verbis idem author: *Quemadmodum enim in principio commoda ſunt pharmaca, id, quod influit, repellentia, ſic poſt principium vſq; ad finem, pharmaco opus eſt ex vtriſq; miſto, repellente videlicet & diſcutiente facultate prædito: ac primo quidem tempore adſtringens præcellere oportet, ad finem verò diſcutiens: interpoſito autem tempore, æquales vtrobiq; partes eſſe conuenit. Quando verò velut induratum quiddam de inflammatione relinquitur, penitus non conuenit adſtringens ad diſcuſſorium admiſcere, niſi priùs totum corpus ſit euacuatum: atq; neq; in principio bonum eſt diſcuſſoriam adſtringenti admiſcere.* Itaque vt quis exactè teneat, quouſque ſit repellendum fluxionis durationem attento animo exquirat: nam hæc eſt, quæ meretur repellentium adhibitionem & durationem. Pręterea ſciendum eſt, non ſolùm conſuluiſſe Gal. repellentibus admiſcenda eſſe reſoluentia fluxionis aut fluxuri humoris gratia, ſed & penetrationis, vt dictum eſt, & roboris conciliandi cauſa; quod eleganti oratione docuerat Gal. dicens: *Cæterùm adſtringendo ac denſando ſumma corporis, quod adſtringitur, virtus illorum excluditur, & in altum ire prohibetur.* Ob quā rationem nōnulli Medicorum huiuſmodi pharmacis alia ſubtilium partiū & acri poteſtate prædita indere conſueuerunt, à quibus veluti ductæ adſtringentium vires in profundum corpus perueniant. Quas vires cùm in cupreſſo adinueniſſet Gal plurimum laūdat. Rurſus admiſcentur adſtringentia his, quæ maligna & incurabilia vlcera curant, vt nihil influat, quod ſanationem impediat, vt variis in locis docuerat Gal.

Lib 14. meth. c. 2.

Lib 13. meth c. 5. Lib 6 phar. loc c. 3. Lib. 6 phar. lo. c. 6.

Lib. 3. meth. c. 15 Lib. 1 phar. lo. c. 5.

Lib 7 ſimp. Lib. 13. meth c. 18. Lib 2 phar. gen. c. 2. Lib. 1. phar. gen. c 12.

Sunt præterea quædam affectiones, & quædam partes, quæ prorſus huius auxilij vim & efficaciam ſuſtinere nequeunt; aliæ rurſus, quæ certo quodam modo. Affectiones, quæ id auxilium renuunt, ſunt, in quibus materia eſt craſſa, & repulſioni inobediens, quapropter in ſtatu rarò eis vti licet; nam poſtquam Galenus dixerat, in ſtatu humorem eſſe craſſiorem, & vehementer impactū, inquit; *Tunc igitur, quæ à phlegmone ſumatur, vna duntaxat eſt indicatio agendorum;* hanc Græci diaphoreſin vocant, Latini digeſtionem; ſecundo, nec minus admittit locus affectus incapax fluxionis magnæ, vt pollex, & talus; ſit ſæpe talibus reuellis materiæ reditus ad viſcera; id etiam formidandum eſt, ſi ad vile membrum fluxio decumbat, vt ad cutem & adeues, è quibus ſæpe ſuſpecta eſt re-

Affectiones repellentia non ferentes. Lib. 13. meth. c 6. & 13.

eſt remigratio ad interiora & nobiliora: item, ſi fluxio critica ſit. Inſuper quando locus affectus expurgatorium eſt membri principis, aut principi vicinus. Cum hoc tamen Gal. in amunctoriis & parotidibus, repellentibus vtitur, non tamen in omnibus; inquit enim: *Qui à ſola deſtillatione ſeu defluxu materiæ proueniunt, neque multa exiſtente, quæ fluit, materia, neque venenoſa, neque tate denique corpore plethorica, ſola ſpongia ex poſca impoſita, ſiſtuntur*: quibus conſtat, quando in his vtendum ſit repellentibus, quando ſecus. Nam dum corpus plenum eſt, fruſtra tentatur repulſio, quoniam nil ampliùs ſuſceptabit. Profundus præterea locus repellentia quoque renuit, vt ex Galeno apertè videtur conſtare: qua enim de cauſſa extima pars inflammata, repellentis beneficio inanitur, eâdem, ſi penitior ſit, impletur: cum hoc tamen ex commoditate partis id commodè efficitur: neque inflammato cerebro cum vtilitate imponuntur ſyncipiti cum modico aceto, quoniam locus non valde ſecedit ab impoſito remedio. At ſi ſpiritalia venter afficiatur, Galenus nonnunquam diſſuadet, quandoque timidé concedit; inquit enim: *Ita verò ſic vbi adſtringente opus fuerit medicamine, ſitus egentis loci ſpectandus eſt: nam ſi quod adſtringit, pertingere ad ipſum ſufficiat, nihil prohibet, quamtum eo vtaris, ſin idoneum non ſit, conſiderandum, num humiditatem ſimus ex antepoſitis partibus acturi in affectam, quamobrem aut adſtringente medicamento admiſcenda vis eſt, quæ dux veluti via ſit, aut eo non vtendum.* Videtur que eo moderamine procedendum in pulmone affecto, ſiue pulmonia, ſiue hæmoptoiſi, ſæpè egregiè læſerunt exterua repellentia, quoniam ob interualli magnitudinem, preſſus á thorace ſanguis pulmonis plenitudinem adauget: ſin thorax ipſe, pleura, muſculive, parciùs vtendum eſſe, ait. Cum hoc tamen ſatiùs eſt abſtinere, quantumuis Meſues contrarium videatur conſulere: nam in pleuritide nemo eſt, qui non vereatur ob retroceſſum & incrudationem materiæ, atque craſſitudinem, quam præſtat: ita neque in ventre ſunt admodum tuta. Verùm in his & in ſpiritalibus membris aceti modus tanto magis moderandus eſt, quanto cedit thorax ex dimidio oſſeus, & venter ex toto carneus toti oſſeæ caluariæ, ita vt illic ſubquadruplum, hîc ſuboctuplum admoneatur. Superſunt adhuc artuum iunctuæ, in quibus hoc modo repellendum eſſe, docet Galenus. Quippe inquit: *Nam in particulis, quæ circa artus ſunt, ſat fuerit etiam ſpongiam vel ex frigida aqua, cui paululum aceti ſit commiſtum, vel aqua ſola madentem imponere, ſicut etiam ex vino aliquo auſtero.* His etiam Rhaſes conſiderans loci anguſtiam, concedit nonnunquam repellentia: reliqui poſt vacuatum corpus admittunt: Auicenna non multò aliter, ſed debilia concedit. Itaque aut non adſtringendum, aut leniter, in materiæ copia, craſſitie, vitio molli, & vegeto ſenſu prædito corpore, aut dolore & calore graui oppreſſo, vel criſim efficiente.

Lib. de part. fa.ci. c. 23.

Lib. 10. phar. lo. c. de iſchiade.

Lib 13. meth.

Lib. 13. meth.

Lib. de conſti. art. med. c. 17.

Li. 13. meth. c. 11.

Taxat Galenus eos, qui ſi adſtringere tenentur, quæ validè adſtringant, proficua fore arbitrantur: nam *indiſtinctè adſtringere & quouis medicamento, periculo non vacat, ſed inſpecta priùs natura & dignitate particularum, cuique materiam aptam adhibere oportet.* Ab auribus quidem repellit Galen. his, quæ modicè adſtringunt, & refrigerant, (licet alterius generis medicamenta validiora ſuſtineant) vt roſaceo cum aceto, lacte muliebri calido, candido oui, item roſaceo cum auricula muris, aut polygoni, vel portulacæ, & cucurbitæ ſucco. Oculi verò, dum fluxione tentantur, deſiderant, quæ Galen. commendat, dicens: *Eſt aliud genus pharmacorum, quod in ocularum compoſitiones iniicitur, torum videlicet, quæ natura adſtringunt: quæ igitur mediocriter hanc vim habent, mediocriter repellunt influxiones, quæ verò valenter, ampliorem dolorem infligunt, potius eas exaſperando, quàm iuuent fluxionis impetum repellendo, aſperitas longè à natura oculorum diſtat.* Præterea idem author præcipit, ea debere eſſe mordacitatis expertia, qualia ex metallicis lotis, aut aliter præparatis, componi refert. Conſulit etiam Hippocrat. mediocriter adſtringentia commoda oculis exiſtere; inquit enim: *Vbi modica potabilis in ſpongia vtaris, optimum oculis eſt.* Explicat etiam Galen. qualia debeant eſſe, his verbis; *Sunt verò huiuſmodi, folia roſarum, & flores, & ſuccus, oryceáque fructus, & nardi ſpica, amplimú; & malabrati folium, & crocus, & lilium, & quæ hypociſtis appellatur, atque vt exemplum hæc ſufficiant.* Gingiuæ etiam, & dentes, dum dolore inflammantur, repellentia ſuſtinent vehementia, vt Galenus hac oratione docet: *Vehementiſſimis igitur opus eſt medicamentis, ſiue quis repellere, ſiue diſcutere velit doloris cauſſam, ſiue humor ſit, ſiue flatus ventoſus, & propterea pleraque ipſorum ex aceto acerrimo præparantur; ſic galla pinguis, tæda, myrtus, & eius naturæ alia aceto ferueſacta plurimum proſunt.* Cæterùm gingiuæ mitioribus admiſceri deſiderant, vt reliquæ oris partes, vt Galen. aduertit ob tunicæ oris tenuitatem. In his verò medicamentis, quæ intus ad repellendum ſumuntur, ſuam etiam eligendi rationem Galenus præbet, ſic ſcribens; *Neque enim abſolutè, ſi adſtringere incipientem phlegmonem eſt opus, quodlibet adſtringens in his, quæ deuoranda ſunt, adhibebimus, ſed ea, quibus nulla corruptrix admiſta vis eſt.* Denique omnia mordacitatis expertia oportet eſſe talia medicamenta, vt *loco citato* longiſſima oratione oſtendit.

Lib. 13. meth. c. 11.

Lib. 3. pharma. loc.

Lib. 4 pharma lo. c. 1. Oculis conuenientia adſtringentia quæ.

Lib. 4. pharma. loc. c. 4.

Lib. de vſu hum.

Lib. 4. pharma. loc.

Lib. 13. meth.

Lib. 5. pharma. loc. c. 9.

Lib 6. pharma. loc. c. 1.

Lib. 13. meth. c. 19.

DE AVXILIORVM RESOLVENtium adminiſtratione.

INSTITVTIO X.

Lib. art. medic. 85.

ESSE opus reſoluendi poſt repulſionem, docet his verbis Galenus; *Neceſſum igitur eſt, vt aut ſuperfluitas retrocedens euacuetur, aut per ipſam patientem particulam*; retrocedet autem, vel impulſa, vel attracta, vel tranſmiſſa, vel horum vno aliquo modorum, vel omnibus. Per locum verò patientem euacuabitur, partim quidem manifeſtè & ſenſibiliter, partim verò in vaporem ſoluta. Quod ſanè reſolutionis miniſterium, per huius efficaciæ medicamenta, reſoluentia nimirum, perficitur. Verùm vt vis, natura, & efficacia horum medicamentorum eluceat magis, ſtatuen-

Reſoluentia agere mediante calore.

tuendum eſt, omnem ſuam gratiam nobis impertiri mediante calore: quamobrem neceſſum erit, quibus modis ea opera calor poſſit efficere, ante omnia docere, vt conſtet, quæ ſint, quæ verè reſoluentia haberi debeant, & quomodo á calorificis diſſideant.

Calor igitur peculiari imitatione, quæ craſſa ſunt, tenuat, ac ſi liquida fuerint, in vaporem verſa, exhalant: interdum intra corpus, & fiunt é pituita aquoſa flatus, inflationes, & palpitationes: interdum verò foras, euacuanturque halitu, vel inſenſili, vel ſenſili cum ſudore: ſi vero ſicca fuerint, craſſa illa, quæ tenuantur, aut etiam humida, ſed minus exhalantia, tenuioris ſubſtantiæ euadunt omnia, vt Galenus ſtatuit, ex auſteris nimirum acida, ex acidis dulcia tenuia, ex dulcibus ſalſa tenuiora, & ex ſalſis amara adhuc tenuiora euadunt.

Lib. 4. ſimpl. c. 19.

Calidum item fundit, & liquat á frigido concreta: rurſus eadem fundendo mollit: ſic etiam fundendo, & liquidiora ad motumque promptiora reddendo excrementa, obſtructa liberat, fluxiones etiam aut excitat, aut geminat: idem calidum fuſa tenuataque, ſi diutius exercet digerendo, aut aliter vacuando, tandem ſiccat. Rarefacit eâdem ratione poros ac meatus omnes, & ora ipſa tám vaſorum, quám aliarum cauitatum aperit: item trahit adhuc foras, ſi admotum eſt, intro ſi ſomptum ſit: euocat materiam á ſe tenuatam per meatus etiam á ſe apertos, quapropter vehementer reſoluit, & digerit. Quo fit, vt etiam dolores ſedet, & cum hoc materiam, vbi adeſt, euocet. Verùm, vt ex Galeno conſtat, calida ſumpta non tantùm trahunt, ſed etiam prorſus propellunt, licet ex accidenti, vt quæ flatus diſſipant per ructus & crepitus: quæ etiam ſudores, vrinas, menſes, & hæmorrhoides mouent, ſecundas & fœtum mortuum propellunt. Calor item ex accidenti refrigerat, vel euacuata ex corpore materia calida, vt Venus & medicamentum purgans, & dura frictio. Item per accidens humectat, fuſis, qui á frigido concreuerunt, ſuccis: & vltimo calor, tám internus, quám externus, dum vehementior eſt, mordet, rodit, rubificat, carnem deterit, vrit, & eſcaram inducit: quæ ſané ſunt opera caloris. Quibus conſtat, quanti momenti ſit diſtinguere, quale ſit opus reſolutionis inter omnia hæc opera, vt eligere poſſis, quando hoc, quando illud caloris beneficio velis efficere.

Lib. 6. aph. 31.
Li. 11. meth.

Reſoluentia pharmaca, quæ omnibus affectibus proficua ſunt futura, tertio ordine calida & ſicca eſſe, apertè monſtrat Galen. nam inquit: *Vt enim e tenuium partium, & exſiccatoria morſu vacant: nam talia ſint oportet, quæ paronychia ſanant, talia enim ſunt, quæ cùm ex tertio ſint ordine calfacientium & exſiccantium, præter hoc inſuper eſſentia ſubtila ſunt.* Item, idem author loquens de digerentibus, ad differentiam coquentium, inquit: *Quæ multo etiam magis ab his, quæ diximus, & excalfacere & exſiccare poſſunt.* Prætereà alibi ſic ſcribit: *Quæ autem penitus tenuia calidaque ſunt, magis digerunt diſcutiuntque humores ex corporibus, quibus admouentur*: & clariùs adhuc alibi, dicens: *Diſcutiunt autem calida & ſicca facultate prædita*: cum hoc tamen valde diffident diſcuſſoria ab his, quæ trahendi vires obtinent, etiamſi vtraque calida ſint: nam trahentia ex profundo ad cutem externam poſſunt trahere: diſcuſſoria vero attractum poſſunt ſua ſponte in halitum conuertere, licet nonnihil attrahere poſſint; itaque vt in vnoquoque vis altera ſuperat, ita genere diſtincta ſunt.

Lib. 9 ſimp. c. de paronychio.
Reſoluentium natura.
Lib. 5. ſimp. c. 9.
Lib. 5 ſimpl. c. 17.
Lib. 3 pharmaloc. c. 3.

In qua re ſtatuendum eſt, quod licét dictum ſit, tertio ordine eſſe calida & ſicca diſcuſſoria pharmaca, cum hoc tamen id ſubintelligere oportet de his, quæ omnes tumores & humores in genere diſcutere poſſunt. Verúm quia non omnes, neque omnia corpora, aut corporum partes, eiuſdem ſunt naturæ & conditionis, ob id varia oportet eſſe diſcutientium opera. Quod Galenus animaduertens, ſuammet ſententiam moderatur, & de ſcirrhoſis tumoribus verba faciens, inquit: *Quæ verò á lentis craſſoque humore congelata ſunt, calida poſcunt ſiccaque medicamenta, ſed non tamen, quæ valida ſint, ac violenta, ſed ſufficit interim, vt ſecundi aut tertij ordinis ſint calfacientium, primi exſiccantium.* Porro cùm non exigua ſit in corporibus ſic induratis maioris minoriſque latitudo, neceſſe vtique eſt medicamentorum illis medentium non paruam eſſe latitudinem; & ob id idem Galenus in duo capita diſſecuit; primum namque continet in hoc genere leuiora omnia, quæ ſarcotica nuncupantur; aliud vero fortiora, quæ Medici appellant diaphoretica; inquit enim: *Quæ verò excalfaciunt, dum contentum in caleſcentibus humorem in vaporem diſſoluerit: quæ autem deſiccant, velut quæ vocantur diaphoretica, hoc eſt, per halitum digerentia, & ipſa dupli ratione, aut humores ebibentia, cum poris quibuſdam inſunt, aut totam alterantia partem.* Sunt autem leniter digerentia, vt *chamæmelum, melilotum, fœnugræcum, ſemen lini, adiantum, & althæa.* Paulo vero valenter diſcutiunt, *abrotonum, braſica, daucus, veteres medullæ, & oleum vetus*; adhuc valentiùs *ruta, iris, aſphodeli radix, galbanum, bdellium, nitrum, piper, & id genus.* Ex quibus non pro libito quis vti poterit, ſed pro indigentiæ ratione, ea eligens, quæ affectus aut locus expoſtulauerint.

Lib. 5. ſimpl. c. 3.
Diſcutientium gradus.
Lib. 5. ſimpl. c. 4.
Leuiter digerentia.
Validiora.

Quæ vero lenia ſunt, deſiderat tumor in corporis ſuperficie ex poſitus, materia calida, humida, & locus affectus natura mollis & contextura rarus; nam talia maiori ex parte calori noſtro ſimilima ſunt, aut parum intenſa, & humido tepori commiſta. Quo fit, vt minimè ſiccent, dolorem leniant, cutem laxent, ſpiramenta corporis rarefaciunt, penetrentque, & humorem liquefaciant. Quæ vero acrius reſoluunt, vt tertio ordine calida, ſicut longè noſtrum calorem ſuperant, ita affectus perſanant in alto corporis ſitos, & ex frigido craſſoque & glutinoſo humore ortos; quia dum ad eam partem deuenit, quale eſt neceſſarium, redditur.

In quo vero, quantum, & quouſque vtendum ſit his præſidiis, ediſcere conuenit; nam reliquias cuiuſuis affectus conterunt; ſed hos diuides in affectus vniuerſales, & in particulares internos aut externos. Et licèt in omnibus proſint in conterendis reliquiis poſt vniuerſales euacuationes, cum hoc tamen in cauſis & affectibus calidis ea tantùm agenda eſt iis, quæ ſunt noſtro calori ſint ſimilima, aut his, quæ relictam diſtemperiem compeſcẽdo, noſtrum calorem iuuant, qui poſtea ſua ſponte reliquias conterit; quo fit, vt *quæ intenſum calorem attemperant, reſoluant etiam.* Cum hoc tamen in morbis calidis & acutis certiùs & ſecu-

In quo, & quouſque digerentib. vtendum.

ſecuriùs reliquias conteruot, quæ per aluom & vrinam ſenſim & paulatim educunt, vt latiùs dictū eſt propriis Inſtitutionibus. In aliis verò affectionibus, quæ aut diuturniores ſont, aut ex frigidis & craſſis concitantur humoribus, longè aliter fieri debet: nam præmiſſis pleniotibus euacuationibos, intrepidè, quæ ſenſibiliter diſcutiunt, adhibenda ſunt, veluti in hydrope, paralyſi, epilepſia, ac reliquis eius conditionis. At qoia hoiuſoiodi affectus plures expoſtulant euacuatiooes, ideo iorer vnà & aliam iia oportet vti, quę & materiam attenuent, & eandem diſcutiant, & quod reliquum fuerit, ad coctionem ſimul præparēt. Quo fit, vt ſimol cum diſcuſſoriis inſcindentia & attenuaotia admiſcere oporteat. Sic ad internarum materiarum diſcuſſionem præſtant *radices gentianæ, peoniæ, iridis, pimpinella, galangæ, & aliarum huius natura,* quibus admiſto medicamento pro humoris natura, facile erit reliquias quaſuis conterere, ſi vim purgantium ſubterfugerunt.

Internas materias diſcutientia.

Quæ in externorum affectuum reſolutione obſeruanda.

Sed in externorum affectuum reſolutione, noſſe primò oportet tempus ſeu occaſionem reſolueodi: ſecundò, differentiam diſcutientium, quam præſcribit humoris aut affectus differentia: tertiò verò, quid loci cōditio expoſtulet. Circa primum Galenus euidenti oratione docet reſoluendi occaſionem, dicens: *Si igitur hac via* (loquebatur de repulſione) *ſuperfluum omne retroceſſerit, bene ſit res habet, vt ſi aliquid fuerit in parte retentum, coniectandum erit, id lentum & craſſum exiſtere, atq; ea ratione coactum atq; adſtrictum, vt cum difficultate ſolui poſſit: in quo caſu tempus ſuadet ad id veniendum eſſe, vt hoc ipſum, quod reliquum eſt, per patentem locum euacuemus, imponendo ſupraiacentibus partibus ea, quæ influentem humorem vim habeant reprimendi. Maximè vero euacuabis, ſi in ſpatiis intermediis coniectura aſſequaris, & ſcarificationum auxilio, & medicaminum, quæ vim habeant digerendi.* Ex qua ſententia euidenter colligitur, eos affectus expoſcere diſcutientia auxilia, quibus vniuerſales vacuationes non profuerunt.

Lib. art. medic. c. 85.

Quo autem tempore vtendum ſit repellentibus, Galenus docuerat, dicens: *Digerendi certè tempus adeò latè patet, vt, etiamſi velis, in eo non aberres.* Et paulò inferius: *Semper tamen* (inquit) *vtraque miſceatur, & repellendi, & diſcutiendi facultas, niſi quando fluxio prorſus conſtiterit, & corpus vacuum fuerit, tunc ad digerentem, ſicut in primis incurſibus ad repulſoriam virtutem tum eſt acceſſio.* Sed clariùs adhuc alibi ſic refert: *Nam per initia repellere comprimereq; influxum oportet: in vigore autem ita per halitum digerere, vt morſus abſit.* Etenim indicationes in inflammationum incrementis contrarias eſſe neceſſe eſt: nam ſimul vnoque impetu, ab adſtringentibus contrahentibusque ſubſtantiam, ad laxantia fundentiaque tranſire, planè abſurdum eſt: ſicut ſanè æquum eſt in intermedio principij, ſtatusque ſpatio, dum videlicet morbi adhuc ſocreſcunt, nec planè repellere, ſicut in principiis, nec itidem digerere, ſicut in vigore, ſed perinde vt morbi conditio media eſt inter contraria, ita medicinam quoque mediam eſſe oportet. Præſtat etiam maiorem huius rei nutitiam, noſſe occaſiones, quibus partes affectæ ſuſcipere cœperunt, & naturam humorum, quos ſuſceprant. Primum egregiè aduertit Galenus, dicens: *Ad eundem modum, ſi ex frigido dominante diſtemperies ſit oborta: nam tunc quoque calfaciendo, non ſolùm intemperantia, ſed etiam phlegmoni vnà medeberis: itidem ſi calor vehementior intemperiem facit, refrigerantibus præſidiis, ſiquidem intemperantia contraria ſemper requirit.* Quibus verbis apertè mooſtrat, adſtringendi tempos eo debere eſſe breuius, quo frigidior fuerit fluxionis cauſſa, ac ex conſeqoeoti eo magis moratur digerendi occaſio, quo & particulæ calor fuerit intenſior. Secundum alibi his verbis explicat: *Cùm enim phlegmone duplici ratione à natura receſſit, & quòd pars ipſa multo ſanguine ſit referta, & quòd eadem ſit calidior, vtique vacuationis indicatio vincit, contra ſcilicet, quàm in eryſipelate:* in illo namque refrigerationis indicatio magis vrget, qoàm vacuationis, quanqoam vtrioſque affectus curandi commune caput eſt ioſeſtantis humoris euacuatio: ideoqoe poſtquam refrigeratum eryſipelas eſt, ad ea, quæ digerunt, medicamenta conuertimur. In phlegmooe igitur tantiſper eſt refrigerandom, quatenus & ad iocrementum eius ſiſtendum eſt commodum: etenim cùm immoderatus calor dolorem excitet, atque etiam aliquid ad ægram partem attrabat, vtroque nomine augeſcere phlegmooem accidit: ergo quantum refrigerationis phlegmoni, ceu calido morbo congruit, tantum eius incremeotum inhibere eſt aptum. Simili modo & quæ calfaciunt modicè, vtraque interdom ratione proſunt: quoniam & dolorem ſedant, & quod contentum eſt in laborante particula, digerunt. Quibus conſtat, quantum præſtet ad occaſionem & quantitatem repellendi noſcendam homoris & tumoris conditio.

Li. 7. meth. c. 6.

Quando reſoluendum.

Lib. 3. ſimpl. c. 17.

Lib. 3. meth. c. 6.

Lib. 13. meth. c. 8.

Qualis verò futura ſit ad digerendum materia, expreſſe docet Gal. dicens: *Quod igitur mediocrem caliditatem obtinet, in his ſenſum doloris non inuehit, atq; eo ampliùs omni dolore vacat, ſi humidum extiterit; quippe calidiora maiorem dolorem & fluxionem concitant & ob id ſimillima noſtro calori oportet eſſe, quæ phlegmonis & eryſipelatis reſolutioni proficua ſunt.* Quod ſanè aliis verbis mille in locis commendauerat idem author, ſemper ſtatuens, moderatum calorem ſimilem cuique particulæ affectæ, ad phlegmooarum reſolutionem proficuum eſſe. Nec ob id credendum eſt, ſuppuratoria fore hæc medicamenta, quia nec poros obſtruunt, nec ſeruant humiditatem partis & humoris, ſed lentè & ſenſim depaſcontur, & reſoluunt omne ſuperabondās. Quapropter cenſeo, Hippocrat. dixiſſe, pinguia ad inflammationem noo conducere, neq; ad ea, quæ non ſont purgata, neq; ad putreſcentia, quia hia redduntur calidiora.

Lib. art. medic. c. 95.

Reſoluentium materia.

Lib. 3 ſimpl. c. 17.

Lib. 3. meth. c. 8.

Lib. de affectionib.

Cæterùm in aliis affectionibus, io qoibus fluxio ex toto iam quieuit, & craſſum ac ſummè impactum eſt, quod ſupereſt, aut citra fluxionem paulatim gignuntur, maxima opus eſt conſideratione, ne aut tenui parte euaporata, durior ſuperſit reſidoum, ſi efficacioribus vtaris, aut ſi leuioribus nihil prodeſſe poſſis. Quod egregiè aduertit Gal. dicens: *At in quibus ſenſus quidem eſt* (loquebator de ſcirrho & duris tumoribus) *ſed obſcurior, hæc curantur pharmacis humorem incraſſatum digerentibus, non tamen validè ac vniuerſim hoc agentibus, ſicut digerentia medicamenta faciunt, cuiuſmodi Græci vocant epiſpaſtica & exhipotica,* id eſt, attrahentia, & excolantia. Mirari verò oon oportet, mutationem in duritiem ex ioflammatis accidere, cùm ſimol & homor

Lib. 7. pharma. gen. c. 9.

humor confluens craſſus eſt & viſcidus, & curatio medicamentis valdè exſiccantibus adminiſtratur: oam verendum eſt, vt *alibi* refert, ne humorum reliquię duræ fiant: nam ea curatio, quæ fortiter exſiccantibus agitur, reliquias duras operatur: Niſi eoim humectaberis, inquit Galen. atque mollietis induratos tumores, ſed fortibus medicamentis tantum reſoluere ſtudueris, in primis quidem diebus eos inſigniter decreſcere facies, ſed pariter id quod relinquitur, indurabis. Quamobrem cenſeo *alibi* dixiſſe: *Melius igitur ſicut diximus, vt fortiter reſoluentibus medicamentis admiſceamus mollientia, verentes, ne tumores in ſcirrhũ conuertantur.* Coius operis metrum & rationem adduxit Galen. dicens: *Indureſcentia igitur, quæ ex recta medendi methodo non curata ſcirrhum contrahunt, optimè curabuntur, ſi Medicus ſpectet, quantum ægri corporiſque ſubſtantia à mediocri humiditate ac ſiccitate receſſerit, quemadmodum etiam ſi affectus conſtitutionẽ, quatenus ſit aucta, inſpiciat. Præterea conſideret inter ipſa pharmaca, quæ magis, quæ minus emolliant: hoc namq; ſpectanti primum vſum emollientis medicaminis cõiecturabilis quidem erit, ſed cum artificio: at poſt vnum aut alterum diem, num intendere an remittere medicamenti virtutem conueniat, intelliget.* Et ſubdit: *Quapropter Medici emollientia & digerentia pharmaca compoſuerunt, tum vt partis duritiem, quæ iam in ſcirrhum degenerat, diffunderent: tum vt per halitum digererent: non viciſſim vtroque vtentes.* Ex qoibus euidenter colligitur, neceſſum eſſe in induratorum reſolutione miſcere emollientibus diſcuſſoria: nam materia reſolutioni apta ea ſola cenſetur, quæ aquea & vapotoſa ac tenuis ſit: quòd ſi craſſa exiſtat, & talis non reddatur, longè durior fiet reſoluentium adminiculo.

Lib 2. ad Glauc. c. 7.

Lib. 14. method c. 4.

Lib 6 pharmac gen. cap. 1.

His præmiſſis, euidenniſſimum eſt ad hanc vacuationem, quæ per reſolutionem futura eſt, neceſſum eſſe humores in parte contentos priùs per attenoationem præparare, more naturalis poteotiæ, quæ dum per cutem humorem ſudando nititur expellere, priùs in vaporem mutat, tandem in aquoſam naturam, tenuiorem longè humoribus. Quam ſanè legem ſeruantes priſci authores varia compoſuerunt pharmaca diſcutieotia, præparatoriis admiſta, ab affectus & humoris natura ſumpta diuerſitatis indicatione. Nam duros concretione aut ſiccitate humores reſoluere tentabis, pręmiſſis aut commiſtis, quæ emolliũt, medicameotis, craſſos humores attenuantibus, lentos inſcindeotibus, viſcidos abſtergeotibus, omnes verò humidis: nam humiditas, & quod craſſum eſt, tenuat, & quod viſcidum eſt, facilè ſeparat & fluidum reddit: quibus ſat eſt adiungere, quæ modicam habeant caliditatem: nam his frænata humorum duritie; vel ſolo innato calore reſolutio fit, nedum cum moderato, aut paulò maiori: quinimò ſæpè ſat eſt, ſicca citra calorem addere medicameota, quibus ebibatur, qood fuſum tenuatumque exiſtit. Cuius reſolutionis meminerat etiam Galen. his verbis: *Quæ verò excalfaciunt, dum contentum in caleſcentibus corporibus humorem in vapores diſſoluunt, quæ autem deſiccant, velut quæ vocantur diaphoretica, hoc eſt per halitum digerentia, & id ipſa duplici ratione, aut humores ebibentia, cùm poris quibuſdam inſunt, aut totam alterantia partem.* Quo genere curationis Chirurgorum peritiores vtuntur, verentes maiora mala ex calorificis præſidiis. Quo fit, vt adinuenirent illam mineralium miſcellam, qua id tutius exſequuntur, vt latius reperies *libr. de præſidiorum recto vſu.*

Lib 5. ſimpl. cap 4.

Supereſt vltimò notitia partis affectæ, quæ nõ paruam præſcribit reſoluentium varietatem, & admonet prouidentiam. Sic Galenus couſulit cum parte ſtupida duriùs, cùm ea verò, quæ acutiùs ſentit, clementiùs agendum eſſe, quamquam ſtupore partis abutendum nõ eſt, vt ea impereſ, quæ exulcerent: ſic enim corpus contabeſcet & contrahetur, non areſcet, cogetur materia, non liqueſcet, horror, dolor, fluxio concitabitur, dehiſcent venæ & omnia in deteriùs mutabuotur, ac multo magis, ſi materia conſtant ſicciori & craſſiori. Præterea affectarum partium nonnullæ raræ, laxæ, molles natura exiſtunt, nonuullæ autem denſæ per ſe aut duræ: priores igitur facilè euacuantur, reliqoæ acrioribus egent. Item ſunt inter partes, quædam in ſuperficie corporis ſitæ: aliæ, quæ ſitum habent profundiorem: nonnullæ raræ & molles, vt dictum eſt, & plures, qúæ connexionem habent cum emunctoriis: item quædam, quæ cœcos habent meatus: vltimò aliæ, quæ principales ſunt & publicum habent officium, & aliæ, quæ reliquis inſeruiunt. Quo fit, vt partes in ſuperficie, molles, raræ, tenues, leuia ſolùm reſoluentia ſuſtinere poſſint: contrariæ verò vehementiora, quia vt illa à maioribus offenduotur, ita hęc à leuioribus ooo iuuantur. Principes verò partes adſtringeotibus gaudent admiſtis cum reſoluentibus: ſicut infimæ ſortis particulæ oullis indigent, niſi ſolis reſolueotibus.

Notitia partis affectæ.

Lib. 4. meth. cap 5.

DE PVS MOVENTIVM AVXILIORUM RECTA ADMINISTRATIONE.

INSTITVTIO XI.

MEDENDI quidem ratio & vſus poſtular, poſt repellẽtia auxilia diſcutientia eſſe adhibenda: in quo opere perſiſtendum eſt, ſi malum illi cedat, alioqui ſuppuratio tentanda erit, vt natura docet, & Gal. ſcribit. Cuius auxilii gratia (quia graue opus eſt) pus moueris, ſcite primo oportet, qualis ſit pus mouentium medicamentorũ oatura, qualis materia in genere. Quæ ſanè res cùm opus naturæ ſit, rimari oportet, an id ea ſola poſſit, an artis adminiculo indigeat. In qua re conſiderare expedit, raró ſolùm membri calorem id poſſe efficere: quia cùm maior quantitas humoris io parte ſuccreſcat, quàm ea ſit, quæ ſecundũm naturam ad alimoniam ſuccreſcere ſoleat, tantum oportet caloris adaugere, quantum ipſe humor copia ſuperauerit. Sic enim quia caloris innati beneficio ea opera fiunt, ſubſtantiam innati calidi adaugere opus erit. Quo fit, vt duorum generum neceſſariò debeant eſſe hæc medicamen-

Lib. 14. method. c. 13.

Pus an à ſola natura conficiatur.

Pus mouentium genera & natura.

I. ta: primum eorum, quę calida ſunt, quantũ pars, in qua futura eſt ſuppuratio, calida fuerit, aut æquè temperata: namq; æqualitatem eius neque intendere, neq; obtundere tenetur: ac etiam cum hoc humida eſſe oportet, ita vt neq; augeat, neq; minuat humiditatẽ partis naturalem, quod ſaltẽ
Lib. 4. me theor. ſit manifeſtum & ſentiri queat, vt ex Ariſt. & Ga-
Lib 4. meth. len. citra controuerſiam conſtat. Secundũ eo-
II. rum genus eſt, quæ emplaſtica dicuntur: nam ſi
Emplaſtica. ſubſtantiam innati caloris augere & non intendere eius qualitatem oportet, poros corporis obſtruere neceſſum eſt, quo videlicet halituoſos tranſpiratus includant, quibus ipſius caloris ſubſtantia & copia manifeſto augmento creſcit. Itaq; ea medicamenta, quæ maiori ſunt prædita calore, vt naturalẽ haud quaquam ſeruent moderationẽ, omnino nihil horum efficiunt. Nam ſi ſicciora ſint, cùm detergant, obſtructione liberant, reſerantq; meatus, & vnà quoque particulæ calor euolat: quo fit, vt humores contenti non parum euacuentur, & qui reliquus eſt, incaleſcat, & caloris natiui ſubſtantia diminuatur.
Differentia inter emollientia & pus mouentia. Qua etiam lege hæc medicamenta ab emollientibus diſſideant, hinc conſtabit, quia emollientia calidiora ſunt, & moderatè ſiccant, humiditatem tamen in partibus exiſtentem adſeruant: pus enim mouentia ſimilem noſtris corporibus ſortiuntur calorẽ: aut emplaſtica ſunt, & calorẽ ꝓhibito effluxu adaugent: quæ vt celerrimè pus fiat, proficua ſunt, ſicut illa, vt optimum fiat.

Differentia inter veram & coctionẽ & ſuppurationem. His ſuppoſitis, ſtatuenda eſt differentia inter veram coctionem, & eam, quæ ſuppuratio dicitur: nam vera coctio ſeparat excrementa à verò alimento: ſuppuratio verò, quod per putredinẽ calor vitioſus ſeparare nitebatur (cum teneatur facere ceſſare putredinem) coniungit & vnit, & tantum ſtudet ad benignum reducere, nulla aut quàm pauciſſima ſeparata nutritura ſubſtantia. Præterea hæc eadem ſuppurationis ratio, diuerſo modo exequenda venit in tumoribus præter naturam, ac in vniuerſo genere venoſo, vbi febrium putridarum humores ſuppurationi tumorum quid ſimile experiuntur. Quæ ſanè diuerſitatis ratio ſita eſt in modo caloris: quia calor coctionis auctor halituoſus eſſe tenetur & ſpiritibus plenus, qualis neceſſariò eſt, qui in venis & arteriis profundioribus corporis, in quibus fit putredo, reperitur: qui verò in partibus externis moratur humor, talem nequit obtinere calorem, quoniam ille per carnis & cutis meatus facilè exhalat cum ſpiritu. Quamobrem vi emplaſtrica & adſtringenti intus occludendus eſt, ne deſit coctioni aut ſuppurationi, quæ in partibus inflammatis prærequiritur. Nec parti quidem inflammatæ idem imminet periculũ, quod vniuerſo corpori adſtricto & obturato: nam ſuffocatione periclitaretur vniuerſi corporis calor, ſi natiua tranſpiratione emplaſtricis deſtituatur, quod vni parti non continget, quia vicinarum perſpiratione frueretur. Quo fit, vt calor natiuo ſimilis, morbis febrilibus ex vſu ad coctionem ſit: alter verò, qui emplaſtricis conciliatur, particularibus ſuppurationibus, ni quid obſtiterit, aut immodica fuerit partis plenitudo, vt vereamur illis appoſitis in gangrænam migraturam.

Hæc profectò eſt in genere emplaſtrici medicamenti forma & natura: quibus vt quis rectè vti poſſit, ſciat, quæ temperatæ eſſe naturæ diximus, tot ſuſceptare differentias, quot partium noſtri corporis ſunt temperamenta & calorum ſortes, quæ etiam nonnihil variantur ob variam humoris ſuppurandi naturam. Ex emplaſticis Emplaſtica quotuplicia.
etiam quædam ſunt propriè talia, & alia ex adſtringentium ſorte id quoque efficiunt, quia poros occludunt. Quæ autem verè talia dicuntur, duorum adhuc ſunt generum: nam quædam illinientia eſſe oportet, quòd poris corporis illita tenaciter hæreant, qualia ſunt glutinoſa, ferrea, & nulla ratione acria, vt Galen. ſtatue- Lib. 5. ſimpl.
tat dicens: *Breuiter ergo emplaſtricum medicamen-* c. 10.
tum, quod tenaciter corporis poris ſiue meatibus illitum hæret, & mordacitate vacare etiam tenetur, vt pinguedines omnes, butyrum, reſina gummi & oleum dulce. Alia rurſus ſunt, quæ emphractica, id eſt, obſtruentia poros ſuo lentore appellantur, quæ media ſunt inter calida & frigida, quorum meminit his verbis Galenus. *At ſi talis cùm ſit, inter caloris frigo-* Lib. 14. method.
riſq; differentiam inſuper conſiſtentiam nacta ſit, ſiccam, terreſtris ſit, & citra morſum deſiccare neceſſe eſt: appel- Lib. 2. ad Glauc.
litant huius generis medicamenta omnia empla- Lib. 4 ſimpl.
ſtrica, velut pleraque quæ exactè lota ſunt, vt amylum, pompholix, cerusa, & eius naturæ alia. Sunt præterea alia, quæ ex accidenti emplaſtrica fiunt, vt emollientia & laxantia, vbi craſſioris ſint ſubſtantiæ: hæc enim illinientia ſunt, & hac ratione poros obturant. Quamobrem Lib. 4. method.
cenſeo Galen. numeraſſe inter emplaſtrica hor- Lib. 2. ad Glauc.
deaceam farinam, cum frigidæ ſit naturæ & abſtergentis: ceterum illi accedit potius ob miſcellam olei & aquæ, quàm ex propria lege.

Eſt etiam præter dictas alia puris mouendi ratio, quæ proficua eſt vlceribus, aut quibuſuis aliis continui ſolutionibus, quæ per ſimplicem coalitum curari nequeunt, ob ſanguinis copiam, quæ in extremitatibus vaſorum & partibus vicinis ſupereſt, quem in pus mutari neceſſum eſt, ſicut ea, quæ contuſa ſunt: nam talia, inquit Hippoc. ſuppurari neceſſum eſt, ſi contuſio grandior ſit: nam leuis abſynthio cõtuſo & myrtino oleo & roſis ſuperſparſis curatur. Pus igitur mouentia exoptant vlcera, tumore aliquo præter naturam phlegmonoſo, œdematoſo, aut eryſipelatoſo coniuncta calidioribus quidem & humiditate temperatis, vt quæ ex hordeacea farina & oleo conficiuntur in phlegmone, & in eryſipelate adhuc temperatioribus. Cui vſui ne vlcera ſordeſcant, quæ ſecundo ordine emplaſtrica eſſe diximus, proficua ſunt, cæterum appoſita eo loco, quem conſulit Hippoc. dicens: *In* Lib. de vlceribus.
talibus quidquid cataplaſmate opus habere viſum fuerit, non ſuper ipſum vlcus cataplaſma ponere oportet, ſed circum, ſuper circumſitas partes, quo pus decedat, & indurata molliantur. Quod etiam *alibi* his verbis Lic. de decent. orna.
protulerat: *Verùm cataplaſmate per ambitum vlceris, vtaris: nam is vſus & artificioſus eſt, & multum prodeſſe poteſt: obducere enim oportet vlcus medicamento ei vtili: rurſus in defluxione, quam partis impotentia nequit aut conficere, aut in pus vertere, huiuſmodi auxilia plurimum ſunt proficua: nec non vbi pars affecta frigida eſt, aut facultatem habet languidam. Verùm ſi diſtemperies vlceris calida fuerit, quæ noſtro calori aut partis affectæ ſunt ſimillima, adhibenda ſunt, vt quæ calorem maiorem nata ſunt attemperare. Hinc enim factum eſt, quòd ſæpe*

mino-

meneralia lota & lauigata optimè pus moueant, vt in cerato ex lithargyrio quotidiano euentu comperimus. Ratio eſt, quia eam nanciſcitur temperiem, quæ fere omnibus externis partibus, quarum non eſt magna in temperamento diuerſitas, eſt affinis.

Quinā tumores & humores ſuppurationem admittant.

4. Apho. 47.

Subit tamen in examen, quales humorum, aut tumorum differentię ſuppurationem admittant, aut quæ difficulter aut facilè, & quale ſuppurantium genus quiuis eorum expoſtulet. Cōſtat profectò ex Galeo. puris ſubſtantiam potiùs confici ex ſanguine, quàm ex quouis alio humore: ſic proximè huic ſunt carnes contuſæ, & tandem omne id, quod cum parte alenda ſimilitudinem habet. Quo fit, vt ſimplicis humoris tumor, velut eryſipelas, rarò in pus mutetur, & ſi id Galen. tentare iubeat, quòd ex tenuiſſima fiat ſanguinis parte, qui exquiſitus eſt, idque rarò & cum hordeacea farina, aut ſimilibus: nam

Lib 7. apho. 20.

veritum fuit etiam ab Hippocrat. dicente: *Ab eryſipelate putredo aut ſuppuratio malam*: magnam enim corruptionem ſignificat adeſſe, vbi cum eryſipelate putreſcit caro, ad quam ſequitur ſuppuratio: verùm hæc de ſolo eryſipelate ex flaua bile facto: cum hoc tamen aliis præſidus tentare oportet biliosorum tumorum curationem, & omnino abſtinere ab his quæ pus mouent. Quod etiam obſeruare oportet in omnibus à melancholia obortis & ſcirrhoſis omnibus, ne in cancrum aut malignam exulcerationem degenerēt. At pituitoſis tumoribus & his, qui ex frigida, craſſa & viſcida materia conſtant, non eſt ita facilè interſtinguere, an ſuppurationem admittant.

Lib. 1. prognoſt. 30. & 31.

Nam Hippocrat. œdemata ſuppurare docet: quod perdifficile videtur, cùm neceſſum priùs ſit pituitam in ſanguinem verti, quod vix fieri poteſt, aut nunquam: ergo neque in pus.

An & quæ œdemata ſuppurationem admittant.

Quam cootrouerſiam dirimes, ſi intellexeris Hippocr. locutum fuiſſe de œdemate, quod ex venoſo genere per iudicationem in morbis acutis progignitur: item ea pituita etiam ſuppurari poteſt, quæ in loco aliquo calidiſſimo concluſa, diu incaleſcit: inquit enim Hippocr.

Lib. de glandulis

Aliis autem ſi per palatum in guttur multa fluxio contingat, vt plurimum morbi tabis oriuntur: replentur enim pulmones pituita, atque ea ipſa pus fit, id quod pulmonem exedit. Ex quo colligitur, aliquando pituitam in pus verti, cæterum à maiori calore: quare pus mouentia illis opus eſt eſſe maioris efficaciæ & caloris, vt tantum partis calorem adaugeant, quantum ipſa à pituitæ frigiditate ſuperatur. Cauendum tamen eſt ab his vehementioribus, vbi copia humoris maior eſt, aut particula parua, vel partes extremæ & exangues: quapropter in his omnibus prudenter ſuppuratoriis vti oportet, ſicut in partibus natura imbecillibus: & omnino ab eis fugiendum in malignis tumoribus, vt conſulit Galen. his verbis:

Lib. 6. popul. 30.

Cæterum noli to putare me omnia cruda nullumque pus habentia ita curare docere: nonnulla enim ex his, ab emplaſtricis iſtis medicamentis putreſcunt, aut propter humorum ipſa tenentium prauitatem, aut ob affecti membri imbecillitatem, ingenitum calorem ita puſillum ægrumque habentis, vt neque humorum in ipſum delapſorum coctionem aggrediatur. Tandem enim veretur Galen. adhuc in his, in quibus opus eſt ſuppuratione, vt eam potiùs prohibere ſtudeat, dicens:

L. br. 1. ad Gla. ca de abſceſſ.

Si ſperes eam prohibere poſſe, panem oleo & aqua permiſtum plurimum incoques: ſatius enim eſt reſoluentibus diſcutere, aut ſcarificata parte humorem vacuare. Qood ſi natura ad ſuppurationem properauerit, diligenter & breuiter procuranda eſt. Inquit enim Galen. *loco citato: Quos vbi digerere poſſe parum ſperaueris, cataplaſmatis ex triticea farina vtere, nam ad celeritatem ſuppurationis plurimum conferunt*: quæ enim diutius immorantur, maximam carnis excauationem, plurimos ſinus, ac ſæpe immedicabiles fiſtulas pariunt.

Quæ partes ſuppurationem non admittant.

Nec minoris momenti eſt noſſe, quæ partes ſuppurationem admittant, & quæ difficulter, aut ſecus. In qoa re ſtatuendum eſt, partes abditas & intra corpus diſſitas nulla ratione ſuppurationem admittere, ob loci incommoditatem, & quia ſufficienter calidæ ſint ad id opus. Quo fit, vt nefas ſit in huiuſmodi partibus ſuppuratoriis auxiliis quidquam tentare, licèt natura id aliquando efficiat: nam *multa tentat ipſa, quæ Medico non licet mouere.* Partes etiam, quæ articulationes conſtituunt, omnino pus mouentia renuunt: difficulter enim vlcera harum partiū ſaneſcunt, ob copioſas humiditates, quæ ad eas confluunt: præterquam quòd ligamenta & tendones facile ab his medicamentis putredinem ſubeunt. Rurſus partes puſillæ & extremæ, vt *ſuperius* diximus, vbi multo humore irrigantur, ob gangrenæ periculum defectu caloris, qui facilè ſuffocaretur his appoſitis. Item vſtiones, quæ fiunt vel ad varices, vel fluxum ſanguinis ſiſtendum, ne guſtare quidem poſſunt ſuppurantia medicamenta, ne ante integrum partium coalitum decidat eſcara: neq; in gangræna protinus ante integram exſiccationem eis vti oportet, ne ampliùs partes computreſcant.

Suppurantium varietas.

His habitis, ſtatuendum eſt, ob id varia artem noſtram adinueniſſe ſuppurantium auxiliorum genera, qoòd mira partium & humorum varietas id iure optimo expoſtulet. In genere tamen ea, quæ ſimilima ſunt noſtro calori, neceſſaria exiſtunt & ſufficiunt, vbi pars calore abundat: cæterum ad ſuppurandum humoris incrementum caloris etiam incrementum adhibere oportet: aut vbi humor adeò tenuis eſt, aut cutis rara: quòd non opus ſit emplaſtricis: quibus opus habemus in frigidis particulis & humoribus. Aliis verò, quæ ex accidenti pus mouent, indiget natura, vbi opus eſt aliquid ante puris confectionem efficere: præparare nimirum ad feſtinam ſuppurationem, præſertim vbi vtrumque finem reſpicimus, ſcilicet reſolutionem, & eius, qood remanſerit, ſuppurationem. Ceterum licèt in eryſipelate & aliis calidioribus, frigidis vtamur aliquando, tutum tamen ſemper non eſt, quia & calor partis extinguitur, & tumor in duritiem immedicabilem commigrat.

DE RECTA ADMINISTRATIONE tergentium auxiliorum.

INSTITVTIO XII.

SVPPVRATO diruptoq; abſceſſu, nequit pars ad antiquum ſtatum reduci, niſi à recrementis tum puris, tum ſordium quæ in carnis generatione ſuperſunt, expurgetur. Quam ſanè tractationem in quatuor potiſſima capita placuit diuidere, iuxta quatuor, quæ in ipſa conſideratione digna exiſtunt: nimirum, quibus, quando, quantum, & quouſque abſtergentibus vti oporteat.

Detergentia quotuplicia.

Circa primum ſciendum eſt, *trium generum* eſſe medicamenta huic miniſterio proficua: quorum primum continet ea omnia, quæ communi quadam acceptione abſtergentia, ſeu rhyptica dicũtur: ſecundum ea, quæ catarctica ſeu purgatoria, & fartu liberantia ab omnibus appellantur: tertium verò reliqua omnia, quæ abluendo, à ſordida labe partem vindicant.

Lib. 5. ſimpl. 11.

Conſtat igitur ex Galen. rhyptica ſpeciatim ſordem à cute & vlceribus tantum extergere, nõ etiam obſtructa liberant, inquit enim: *Nam quæ in ſuperficie ſolum ſordem auferunt, ſiue in cute, ſiue in vlceribus, ea extergentia ſeu rhyptica nominarunt: quæ verò poros purgant, ea ſubtiliorum his partium ſunt, & emplaſtricis contraria: proinde ephractica & ecatarctica appellantur.* Nitroſa quidem ſunt omnia & amara, parum inter ſe ratione maioris aut minoris operis diſſidentia: cum hoc tamen, quæ efficaciora ſunt, ſi adſtrictionem ſortiantur, parum aut nihil abſtergunt, ob meatuum anguſtiam, quia ea ratione adhærent magis ſordes. At in internis viſceribus, quod maiores habeant meatus, maius accipiunt commodum ex vaſorum corroboratione, quam propter oſculorum exiguitatẽ læduntur: ſic *abſynthium* foris adhibitum, parum aut nihil agit, intus verò ſumptum, *mirum in modũ repurgat*, ſicut alia, quæ eiuſdem ſunt naturæ, *vt nitrum vſtum, nitri ſpuma, & ariſtolochia radix.*

Valde tergentia.

At cutis vniuerſæ & vlcerum ſordes, non hęc tantùm, ſed viribus minora auferre poſſunt, ſalſa nimirum & dulcis omnia, quæ tenuiũ ſunt partium: licèt ex amaris imbecilliora aliis admiſta, prodeſſe optimè poſſint, tergit enim modicè *farina fabarum, hordei, cicerum, ſemen lini torrefactum, terebinthina magis & mel* deſpumatum: *thus, amygdalæ amaræ*, valentiùs *erui farina, ſemen hormini, radix ireos & panacis*, atque alia id genus.

Modice tergentia.

Abluentia.

Abluentia verò medicamenta, licèt etiã ſordes auferant, longè à prædictis virtute & agendi modo diſſident, quod nullã habeant abſtergendi vim, vt his verbis dixerat Auic. *Lauatiua eſt omnis medicina, cuius proprietas eſt, vt abſtergat, non virtute agente in ipſa, ſed virtute patiente, quam iuuat motus: & ſignifico per virtutẽm patientẽ, humiditatem, & per motum ſignifico curſum: currens enim ſubtile cùm vadit ſuper orificia venarum, lenit humiditate ſua ſuperfluitates, & remouet eas ſuo curſu, ſicut aqua hordei & aqua cucurbitæ.* Quibus conſtat, qualis naturæ ſint abluentia medicamenta, & qualiter diſſideant ab abſtergentibus. His tamen medicamentorum abſtergẽtium ſordibus alia adiungi poſſunt, quę ſugendo, vt ſpongia & ſuctiones, idem opus moliuntur. Et ea quidem aliquando in anguſtis & fiſtuloſis vlceribus non paruo vſu adhibentur: quo etiam caſu pyulcis vti licet, ſicut & aliis, quę idem præſtant, quòd ex ſicca & rara materia ſint confecta.

Lib. 2. tra. 2. c. 4.

Quomodo differant a tergentibus.

Hæc autẽ medicamenta, quæ verè abſtergentia dicuntur, ſolùm id vlcus, quod aliquid habet in ſordem aut pus conuerſum, deſiderãt, etiamſi vlceris conditio, qualia abſtergentia debeant eſſe, eligat. Euidentiſſimum quidem eſt nonnunquam carnem vitioſam, ac ſæpe humorẽ fluentẽ in pus verti: item carnem ipſius vlceris, craſſum & tenue excrementum ex neceſſitate naturæ generare: tenuè verò oportet, aut coquere, ſi id vlcus crudum expoſtulet, aut exſiccare & conterere: craſſum equidẽ aut mediocre, modò pus, modò ſordes, aut quouis alio modo appellare libuerit, perpetuò abſtergendum.

Tergentiũ variatio vnde pendeat.

Sed primi generis medicamenta (vt probè eligas, & cuique, vt par eſt, præſtare poſſis) tria conſideranda præbent: nimirum affectus naturam, ſordis ſpeciem & locum affectum: quippe ab his omnibus ea variare aut aliquo modo mutare, non raro contingit. Quippe vlcus quodlibet, vbi à ſimplici degenerat aut affectibus coniungitur, qui peculiarem ſibi curandi rationem prærequirunt, vt cum dolor, fluxus, carnis deperditio, ſordes, ſanies, pus aut cacoëthia, vel quæuis alia deterrima conditio illi ſuccreſcunt, aut aliquid ab vlcere prodit, quod ipſum mutare videtur. Si primum, præmitti debent medicamenta, aut ſaltim his commiſceri, iuxta rationem affectus, qui vlceri aſſociatur: nam cruditas peptica, durities malactica, phlegmone lenientia, & ſic de aliis permiſcere docent, donec ex toto aſſociati affectus ſubſideant, & ſolis abſtergentibus vti liceat, vt conſuluiſſe Galen. conſtat. Quo fit, vt iuxta optimam rationem priſci illi ſapientiſſimi varias compoſuerunt his vſibus medicamentorum formas, quas Galen. refert. Si verò ſecundum, cachexiam, virulentiam, corroſionem, ſordiciem, putredinem, profunditatem vel cauernoſitatẽ: quæ omnia ſymptomatis potiùs aut cauſſæ, quàm vlceris diuerſitatem obtinent. In quorum curatione id adſeruabis, quod in reliquis: nimirum accidentia vel cauſſam primò auferes aut fluxionem, quam abſtergentia adhibeas, vt his verbis optimè dixerat Galeous: *Prohibet quidem maximè huiuſmodi vlcera ſaneſcere fluxio, poſt verò, reliqua omnia putredo ſanguinis, & ſi quid ex ſanguinis tranſmutatione eſt ortum: præterea herpetibus & eſthiomenis omnibus: namque ex his qui fluxerunt, humoribus, aliquid facilè ſuboritur ex ſupradictis malis: aut facta aliqua mala nutritione, corruptioneve aut duritie, aut quouis alio famoſo aut putrido vitio, quod curari antea deſiderat.* Quapropter his vlceribus abſtergendis ea medicamenta ſunt proficua, quæ vlceris vitio viribus ſint æqualia, ſi abſtergere intendimus. Qualia autem vnumquodque vlcus requirat, perdiſces facilè, ſi noueris *priùs*, ea poſſe duplici forma adhiberi,

Lib. 2. phar. mac. gen. cap. 4.

Lib 5. phar. gen.

Libr. 4. methodo. c. 5.

Detergentia quotuplicia.

adhiberi, *ſolida* quidem & *humida*: illa præhumidis vlceribus, & his, quæ in cute fiunt, aut prope articulos: abluentia verò ſinuoſis, fiſtuloſis, & his, quę in corporis profundo ſita ſunt. Cum hoc tamen his aliquid ex ſiccis & ſolidis addere oportet, quo aliquid vlceri adhæreat: inquit enim Galen.

Lib. 4 pharmac. gen. 1. & 4 cap.

Niſi medicamentum diutius cuti adhæſerit, nihil efficiet, & ob id damnat, ſæpius medicamenta mutare. Nam licet Hip. conſulat ſæpius cataplaſmata eſſe mutanda, intelligendũ eſt de cataplaſmatis refrigerantibus:

Lib. de affection.

In malignis quidem vlceribus, & his, quæ ad cicatricem ægrè perueniunt, tota exſiccandi ratio his medicamẽtis fiat neceſſum eſt, quæ citra morſum deſiceant. Verum conſiderare oportet, an vlcus ſurdidum fiat ex carne ipſius exeſa & colliquata, an præter exſiccantia, prætequirat etiam abſtergentia, quorũ defectu ſurdidum efficitur. Nam ſi ex fluxione caro exeditur, per exſiccantia & fluxũ reprimentia medicamenta, ſordes auferes: quòd ſi hoc nõ ſit, abſtergens medicamentum acrius eſt, & ea ratione euocat prauos ſuccos & carnem exedit: aut tam eſt debile, quòd nequeat abſtergere. Quamobrem in his penſitanda eſt corporis, &

Lib. 2. prædict.

affectæ partis diſpoſitio ac medicamenti natura & efficacia, quod his verbis dixerat Hippoc. *Qui porrò de vlcerib. cognoſcere velit, quomodo ſingula finiet, eum primum omnium hominum ſpecies perſcrutari oportet, tum eas, quæ meliores ſunt ad vlcera, tum quæ deteriores: deinde ætates noſſe, in quibus ſingula vlcera curatu difficilia exiſtunt: locos item in corporibus perſpectos habere, quantum alii ab aliis differunt.* Eadem etiam refert Galenus, docens partes, quibus difficulter curantur vlcera:

Lib. 1. pharmac. gen. 2.

ex locis ſubalares & laterum mollitudines, aut femora: nam & moræ in ipſis ſunt, vt inquit Hippocrat. & recidiuæ: & ex articulis periculo maximè obnoxii ſunt maximi digiti: & præſertim pedum:

Lib. 4. meth.

Nam vt Galenus conſulit, maligniora vlcera & corpora duriora ac robuſta, valentiora abſtergentia deſiderant: at mediocria mollioris corporis habitus aut imbecilliora. Sed horum formam & rationẽ ſcripſit Galenus apertiſſimis verbis dicens:

Lib. 4. pharmac. gen. c. 2. & 3.

Præterea notandum venit, pura vlcera ab his medicamentis, vnde priùs cùm eſſent ſordida, nihil mordicationis percipiebant, nunc mordere: quod eſt ſignum euidens, medicamentum eſſe efficacius. Quæ cauſſa eſt, vt à valentioribus abſterſoriis ad mitiora minuſque mordacia digrediamur, vbi vlcus adamuſſim purum inuenerimus: quemadmodum rurſus in ſordidis, præſertim quæ vim medicamenti non perſentiunt, ad magis abſtergentia tranſeamus. At in corroſiuis vlceribus, vt maior vrgentiorque eſt repellendi & exſiccandi neceſſitas, ita quæ abſtergunt medicamenta minorem præſtant vſum, licèt aliquid eorum admiſcere non ſit ab re: abluere tamen huiuſmodi vlcera ſæpè conuenit. In cancroſis verò vlceribus maiori opus eſt conſilio: in quibus ſi debili vtaris medicamẽto, nil efficies, ſi validiori, irritabis: quapropter lotis aut vſtis metallicis Galen. vti conſulit, quia mediam obtinent naturam: nam hac ratione coctionem iuuant, tepore verò vlceris calorẽ compeſcunt, innata ſiccitate exſiccant & extergunt. Huius generis ſunt lemnium ſigillum, cadmia, calcithis, calcanthum, myſi, ſori, ſtybium, plumbum, ſcoria plumbi, ſquama ferri & alia eius naturæ, dum lotione aut igne miteſcant, quibus tãtum ceræ, pinguedinis aut olei addere oportet, quantum hæc ſimplicia fuerint fortiora. Sic quæ ablui deſiderant priùs, molli vellere aut linteo abſtergere oportet, aut ſero, ſi acris ſit ſanies: ſi copioſa ſordes, melicrato: ſi multa ſimul & acris, ſero in quo ſacchari octuplum, vel mellis tantundem diffuſum ſit: ſi verò vermiculoſum fuerit, ſucco abſynthii: quod ſi cauitas purior ſit, œnomellite, poſt vino auſtero vtendum eſt. At in fœtido ſinu, putrido & cruento, oxycratũ adhibebis, acetum, oxymel, œnumelli, dilutum marrubij, abſynthii decocto, aloes, myrrhæ cum pauco melle. In defluxione humoris maligni & malignis vlceribus, & atramento ſutorio & caricis in cinere vſtis puluiſculus œnomellite aſpergitur. Ligni etiam ſancti decoctum, mirum in modum prodeſſe aſſolet. Tandem ea medicamenta abſtergentibus & exſiccantibus addes, quæ vlceris conditio, accidens aut complicatio poſtulauerit.

His ſuppoſitis, ſupereſt adhuc alia vlceris conditio, qua vlcus quidem ſimplex aut cauum appellatur: ſimplex verò duplex reperitur, alterum citra alicuius ſubſtantiæ deperditionem, cuius meminero *cap. de agglutinantibus*: alterum verò cũ deperditione, quod à cauo differt, quia hoc & cute & carne ſubiecta caret, illud quidẽ ſola cute, quod vlcus planum appellat Galen.

Vlcera ſimplicia quæ requirant tergentia.
Lib. 3. method. c. 4.

Circa quas vlceris differentias noſſe oportet, quòd cùm hæc tantùm deſiderent carne impleri, & cutè regi, & ea ſint ſolum naturæ opera, quę perficere ipſa nequit, niſi quæ prohibent, abſcindantur excrementa, quæ neceſſariò ex quauis coctione prodeunt, hinc profectò fit, dum vlcus ſimpliciſſimum non eſt (quòd ſola vnione coaleſcat) abſtergentia medicamenta eſſe neceſſaria, quæ naturæ carnis generatrici, exterſis ſuperfluitatibus miniſtret, vt libere carnem generare poſſit. Nihil enim vulgarius eſt, apud Chirurgos, quam huiuſm[o]di vlceribus adhibere, quæ abſtergant & exſiccen[t]: hoc ad ebibendas tenues humiditates, illud verò ad ſordes detergendas. Quoniam tenue illud excrementũ, quod ſecundùm naturam ex coctione & nutritione partis ſanæ ſupererat, euolabat quidem vi & efficacia ſani caloris: at vlcerata pars, cùm calorem non habeat æquè vegetum in aqueam & tenuem humiditatem mutat, qua vlcus humidius redditur: prætereà craſſum excrementum, quod ex eadem coctione pullulabat, nunc in vlcerata parte, in ſordem & putrilaginem abit. Qua ſententia diluuntur rationes Argenterii & Falopii aduerſus Galen. exiſtimantium, in vlceribus non reperiri has ſordes & tenues humiditates, quia non coquit pars vlcerata: quam diſputationem latiùs explicatam reperies *libr. de recto vſu præſidior.* Ego tamen exiſtimo in principio & ſemper in vlcere prædictas ſordities reperiri: cæterum diſpari plurimum ratione: in principio quidem ob cruditatem & caloris præternaturalis actionem, & humoris ad vlcus confluentis maiorem copiam & vitium, partim quia non coquitur, partim quia aduritur. At procedente tempore dum vlcus coquitur, prædicta ſorditie purius redditur, quia coquuntur qui præfuerant humores, quibus vlcus ſordeſcebat: ea tamen

excrementa, quæ à partis nutririone & carnis generatione ſuboriuntur, vt Galen. eſt ſententia, quo magis coquitur leuiter ſordidum fit ea ſorditie, quæ nou efficit vlcus vitioſum, vt prima ſordities: quinimo his apparentibus, boni moris eſſe, & ad ſalutem properare vlcus exiſtimamus, & ſic quo magis coquitur, eo minus apparent ichores & ſurdes, quæ à principio apparuere, & putis maior copia, & citius ſaneſcit vlcus, & pus ſecum ferre admixta illa duo excreméta coctionis. Er ſic pus prout maiorem aqnoſi & crudi humoris copiam ſecum deſert, aut craſſioris, ſordidioriſque maiorem aut minorem, aut æqualem cum abſtergentibus exiccantium medicamentorum miſcellam expuſcere: quia hæc excrementa ratò ſola viſuntur. Quo factum eſt, vt

Duo genera excrementorum in vlceribus. vlcus in principiu eſſe crudum iudicemus, ob copiam illius primæ ſpeciei ſordis: concoqui verò, dum pus oprimum ſit: impruſpeté verû eoqui, dum tenuis craſſáve puris ſubſtantia plus iuſto eſt. Ex quibus euidenter conſtat, duo eſſe genera excrementorum in vlceribus: vnum ex cruditate & viriu caloris obortum: aliud ex cuctione. Illud verò, quod crudis vlceribus adeſt, nulla ratione abſtergentibus curari poteſt: nam irritato vlcere eorum mordicatione & abſterſione, crudius ob nouam fluxionem & dolorem efficitur, ſed iis ranrùm auxiliis quæ coctionem iuuent, & pus moueant. Quo fit, vt adhibitis frigidis, aut aliis, quæ à natura coquentium longè diſſideant, vlcus temperato extraneo calore coquatur. Cui etiam viui ea tanrùm ſunt adhibenda, quæ partis natiuam temperiem corroborent, citra emplaſtricam qualitatem. Area excrementa duo, quæ diximus, & pus citta vllam dubitationem abſtergentia medieamenta expoſtulant: ſiccantia tamen admiſcere oportet, ſed aliis prę cipue vſibus, vt leges *cap. de carnem generantibus.* Verùm dum pus improſperè perficitur, & vitio caloris aut humoris aquoſius fit, exſiccantia medicamenta prædominari tenentur, ſicut abſtergetitia, dum pus craſſius fit, eiuſdem caloris aut humoris vitio. Atque his conſtat, qua lege quis certò vti poſſit tribus illis generibus abſtergentium, quæ *ſuperiùs* diximus.

Sitûs etiam & natura atque figura partis euariant prædictorum medicamentorum furmam: nam ſinuoſa, abluentia deſiderant cum abſtergentibus paulù valentioribus & frequentius exhibitis, vt Hippocrat. conſuluerat. Quæ ſanè

Lib 1. de morb. vlceris figuræ indicatio adeò eſt neceſſaria, quòd ſæpe obumbret indicationem partis ſicciora expoſcentis: quod docuerat Galen. dicens:

Lib. 1. meth cap. 9. *Succioru ſunt, qualia eſſe diximus, quaminus ſunt carnoſa, cuius generis, quæ circa digitos & articulos habentur: præterea, quæ circa aures, & naſum, & oculos, & dentes ſunt, ac vt ſemel dicam, vbi crebræ cartilagines ac membranæ & ligamenta, & oſſa & nerui ſunt: cum hoc tamen dum ſinuoſa ſuſtinent vlcera, abluentibus tutiùs & citiùs curantur.* In qua re in examen reuocatur ſententia illa Hippocrat. in qua præcipit, *nulla vlcera eſſe madefacienda, præterquàm vino, niſi in articulis fuerint:* quem locum nonnulli intelligunt de vlceribus in artieuli prolapſione. Quo loco Galenus apertè monſtrat, id fieri, ne neruis in articuli prulapſione diſtenſio contingat: qua de cauſſa non ſolùm vino, ſed & laxantibus & mollientibus vti docet: quod expreſſis verbis cōſuluerat Hippocrates dicens: *Omnibus enim circa articulos læſionibus multa aqua calida aſſundenda eſt, quod de omnibus vlceribus iuxta articulos ſubaudire oportet.* Nam harum partium vlcera varia exoptant medicamenta, ob varias cauſſas: tum quia articulorum natura non omnino renuit abluentia medicamenta (licet ſicca conſtent ſubſtantia, quæ ob id & ratione vlceris Siccis gaudent) quia iu articulis neceſſum eſt ineſſe quandam humiditatem motui faciliùs efficiendo aptam, quam humidis præcauere oportet, aut humidioribus alimentis reficere: tum quia ſiceis medicamentis harum partium vlcera facillimè exacerbantur, & ob id abluentia ſiccis admixta exoptant: tum vltimò quia frequenter in his partibus ſinuoſa contingunt vlcera, quæ curari, vt dictum eſt, deſiderant, nimirum per mixta pharmaca: nam ſola abluentia plus damni, quàm commodi afferre puſſunt. Pari etiam ratione, ſi vlcus in quouis viſcere aut caua corporis parte fuerit, pus ſuctu & pyulcis extrahere oportet: poſt hæc abluentia admiſtis abſtergentibus ſunt adhibenda, modò per proprium foramen, modò per communia, vt aures, nares, veſicam, vterum & inteſtina. Ac ſi vlcus ſordidum fuerit, abluentibus medicamenta ſunt liqueſcenda, quæ per ſe ſola exteriùs ſufficerent extergere, nam quod loci ratione nun datur, adhibere murata medicamenti forma neceſſum eſt. Vlcera verò vteri peculiari quadam & grandi diligentia curare longiſſima oratione docet Hippocrat. & ob id ad eam

patrem lectorem relego. At viſcerum vlcera ea medicamenta expoſtulant, quæ præter id, quòd vlceri ſint proficua, roborent etiam ob partis dignitatem & officium, vt his verbis Galen. conſuluerat: *Plerique paucum ex adſtringentibus pharmacis ei admiſcuerunt*, idque duplicis vſus gratia, ſicut diximus: *nempe, vt id quod affectis partibus influit, repelleretur, & abſtergentium facultatem vſque in profundum deduceret.* Lib. 2. de morb. mul. Lib. 4. meth. Lib. 2. phar. gen. cap. 16.

DE RECTO VSV AVXILIORVM carnem generantium.

INSTITVTIO XIII.

SVBIT quidem in examen illud auxilii genus, quo vlcera carne impleri faciliùs poſſunt: quod quidem opus, & ſi ſolius ſit naturæ, ipſa tamen in vlceribus variis impedimentis præpedita, nequit ſine artis adminiculo ſuum munus perficere, velut cùm ſana erat. Cætera auxilia, quæ id efficiunt, longè diuerſa ratione ac vulgariter fertur, ſuum munus exequuntur:

tur: prӕterquam quòd Galenus neque vnam tenet ſententiam, neq; Chirurgi ſuum perficiunt opus citra maximam controuerſiam. Nam aliquando Galen. ſcribit, ea medicamenta debere eſſe ſicca: nonnunquam primo gradu ſicca, & proſequens eorum exempla, quӕdam ſecundi, quӕdam tertii gradus annumerat ſiccantia. Item modicè calida, hoc eſt, ipſa carne calidiora debere eſſe: *alibi* digerendi vi prӕdita: rurſus carnem denſantia, repellentia, temperantia, & vltimò ea, quӕ ſubmouent omnia, quӕ naturӕ opus intercipiunt: quam varietatem ſic dirimes.

Sarcoticorũ genera.

I. Diuiditur medicamentum carnem generans in duo potiſſimum genera: quorum primum continet ea omnia, quӕ propriùs videatur id munus perficere, qualia ſunt, quӕ modicè ſiccandi vires obtineant, quӕ quidem non eo magis Sarcotica appellantur, quòd aliquid conferant per ſe primò in carnis generatione, quàm cӕtera omnia: ſed quia ſemper competunt vlceri, cui nullus alius affectus ineſt, niſi carnis priuatio, cuius medela eſt inundantis humiditatis exſiccatio.

II. Secundum verò genus omnia alia complectitur, quӕ vtcunq; ſubmouent ea, quӕ naturӕ opus intercipiunt. Sunt enim vlcera non pauca, quӕ carne non implentur, quia prӕter humiditatem naturalem, aliud etiam obtinent impedimentum, quod niſi ſemoueris, etiamſi commodè ſicces, nil efficies.

Circa primum genus noſſe oportet, duo eſſe excrementa, quӕ in ſanis corporibus in carnis nutritione fiunt, quorum tenue per inſenſilem halitum abit, & craſſum in ſordem: ceterum in vlceribus tenue vertitur in tenuem ſaniem, & craſſum in ſorditiem. Quo fit, vt cùm vlcus coquitur, & caro generatur, ſordidũ & humidum fiat: quӕ ſanè excrementa poſtea carnis generationi refragantur: quapropter ea abſtergentibus purgare, & exſiccantibus inanire conſulit rei natura & conditio. Quӕ Galen. doctrina licèt optimo innitatur fundamento, vt mea fert opinio, non ſatis probat, exſiccantia ſolùm hac ratione eſſe vlceribus proficua, vt verè ſarcotica poſſint dici: nam hӕc ſiccandi ratio longè diſſidet ab ea, quam ichores, qui ex coctione prodeunt, expoſcunt. Quo fit, vt duplex ſuccreſcat

Lib. 2. meth.

in vlceribus ſiccandi neceſſitas, materia & fine longè diuerſa: nam ſanies, quӕ vlcus prӕhumidum (aut, vt rectius loquar, madidum) efficiunt, nulla ratione quę poteſtate exſiccant expoſcunt, ſed ea tantum, quӕ ebibendi ſeu auferendi humiditates illas efficaciam actu habent. Namque

Duplex in vlceribus ſiccandi neceſſitas.

ſӕpe contingit, plura vlcera ſaneſcere, lineis aut cannabinis linamentis: huius rei ratio eſt, quia ſi tenuis ſanies à carnis generatione prodit, neceſſum eſt, tanquam excrementum, à carne ipſa ad vlceris cauitatem pelli. Quo fit, vt vlcus ea humiditate madeſcat, cui medicamenta, quӕ potentia ſiccent, qualia ſunt, quӕ à Galeno recenſentur, nulla lege ſint proficua, ſed ea tantum, quӕ ſugendo & ebibendo proſunt, vt exterſio crebra ex ſpongia aut quauis alia re, quӕ extergendi vim ſortiatur. Quamobrem aliud pretioſius miniſterium medicamenta poteſtate exſiccantia prӕſtare vlceribus, mihi ſemper viſum fuit. Quippe arbitror medicamenta illa ſarcotica à maioribus appellata, non ad humiditatis illius conſumptionem, ſed ad nouӕ carnis robur, firmitudinem & conſtantiam ac ſimilitudinem cùm prӕexiſtenti comparandam fuiſſe inuenta. Quod ſane dogma ipſa rei ratio videtur conuincere. Nam cum ex Hippocrate conſtet, ſiccum ſano eſſe ſimile, nec meminit quidem Hippocrates ſiccitatis, quӕ priuatione ſanioſӕ humiditatis ſolùm contrahitur: nam hӕc madidum reddit vlcus, non humidum: ſed eam profectò magnifecit ſiccitatem, quӕ carni ſanӕ aſſimilatur: quam quidem vlcus ſua ſponte citra exſiccantium adminiculum efficere nequit. Ratio eſt, quia cum calor partis vlceratӕ ob cutis defectum facilè euaneſcat, nequit veluti cum ſana erat pars, ſua munia proſperè perficere: quo fit, vt carnem generet, ſed non ӕquè ſolidam, denſam ac ſiccam, ſicut ea eſt, quӕ in parte prӕerat, quia nequit puſillus calor ad vnguem diſcutere, quod alimenti ſupereſt: quo fit, vt mollior humidiorque generetur caro, quàm ſit ſana, quӕ prӕeſt: qua quidem ratione ſemper eget exſiccantibus medicamentis, quӕ robur, firmitudinem, ſoliditatem, conſiſtentiam generatӕ carni addere poſſint, vt prӕexiſtenti ſimilis fiat: qui vſus exſiccantium medicamentorum potiſſimus eſt in vlceribus, & ob id dicta ſunt Sarcotica, id eſt, carnem quaſi generantia, aut reddentia ſimilem carni prӕexiſtenti. Quӕ ſanè paulò calidiora ipſa carne oportet eſſe, quo ſanguinem attrahant, nec vllo modo adſtringere, ne ipſum repellant. Qua potiſſimum ratione factum eſt, tot artem noſtram adinueniſſe exſiccantium medicamentorum gradus, indicatione ſumpta à partis vlceratӕ natura, non tenui ſanie, quia cuique parti ſimilem tenetur reddere carnem: ſic Galenus docuit corporis naturam contemplari: nam plura in pueris eſſe ſarcotica conſtat, quӕ in adultis & robuſtis corporibus pus mouent. Pari ratione Aëtius hӕc refert verba: *Carnem enim, quӕ ad vlceris nutritionem diſtribuitur, reliquo corpori ſimilem eſſe oportet*: vbi igitur priſtina caro ſiccior eſt, ibi noua quoque ſuperueniens ſiccior fieri debet: denique tantum oportet ſiccum medicamentum vlceribus prӕſtare, quantum caro, quӕ prӕexiſtit, ſicca fuerit, nec plus nec minus. Nam *exſiccantia medicamenta, potius carnis conficiendӕ gratia, quàm vt ſanioſas conterant humiditates, adhibenda ſunt*. Cui rei vltimam rationem adiungit Hippocrates dicens: *Vbicunque in vlceribus, quӕ neque rectè, neque vt res poſtulat, aſſidue purgata prius fuerint, produci caro cœperit, ſolet plurimum ſupercreſcere: in his vero, quӕ rectè, atque vt res poſtulat, aſſidue purgentur, & niſi colliſum aliquid acceſſerit, ſiccis prӕſidiis nutriuntur, plerumque caro non excreſcit.* Quibus omnibus conſtare arbitror, ſicca medicamenta, huic ſolum vſui, & vt verbum Hippocrat. ſonat, veluti nutriatur vlcus, adhibenda eſſe, & ob id ſarcotica iure optimo dici. Quo etiam fit, vt ſi ſiccioribus, quàm prӕexiſtens caro poſtulet, vtamur, caro ſiccior fiat, & in cicatricem protinus degeneret, prӕterquam quòd hӕc exſiccantia ad conſolidationem vlcerum ſummoperè conferunt.

Sarcoticorũ natura.

Lib. 3. meth. cap. 3.

Lib 4. c. 33.

Lib. de vlceub.

Sarcoticorũ gradus. Lib.3 & 4. meth.

Cùm dictũ ſit,plures eſſe exſiccantium medicamentorum gradus,iuxta diuerſitatem partium corporis,neceſſum ſubinde erit ea numerare, ne quis plus, minuſve quam par ſit, vlceris carnem inſcienter exſiccet. Quæ ſane medicamenta Gale.in tres ordines partitur:nam primo ordine locatur *thus*, *farina fabacea & hordei*: ſecundo *reſina, terebinthina lariſina,abietina, mel coctum & deſpumatum,mel roſaceum & pompholix*: tertio vero *eruifarina*,multo magis *ariſtolochia, mel crudum, myrrha,opopanax*, & ſimilia, quæ ſecundum exſiccantium gradum non excedant.

Lib 3 meth. cap. 3. Lib 10. method.

Quantum vero perſiſtendum ſit in exſiccatione, docuerat Galen. ſtatuens, id monſtrari à carne,quæ generatur: nam ſi ſupercreſcat, & id plurimum fuerit,ſiccioribus vti oportet: ſi verò modice creuerit,eiſdem, quibus ad id deuentum eſt: at ſi tabeſcat,mitioribus, donec velut reuiuiſcẽs iterum creſcat. Cui vſui ſciendum eſt ex Galen. doctrina, carnem eſſe in triplici differentia, propriè quidem & abſolute vnam:& duabus impropriè: illa quidem dicetur pars corporis noſtri, ſimplex, mollis, rubicunda, fibras muſculorum complectens: gignitur ex ſanguine mediocriter ſiccato. Alterum carnis genus nomine carens, huic eſt finitimum,ſed tamen diuerſum,fibras omnes cordis,vẽtriculi, œſophagi, inteſtinorum, veſicæ vtriuſque & vteri ambiens & circum eas naſcens, & muniens contra cauſas calorem innatum diſſipantes. Membranis etiam ſuam carnis compagem, negare non poſſumus: nam cum ſanæ ſunt, corpulentiores apparent: attenuantur verò dum non ita valent: quod in re practica diſtinxiſſe,magnum præſtat vſum. Tertium autem & vltimum carnis genus eſt, propria cuiuſque viſceris ſubſtantia, quam parenchyma Medici antiqui appellarunt: talis quidem eſt, cerebri, pulmonum,hepatis,lienis, renumve,caro,ſeu id totum, quod venis ac neruis adhæret. Atque hæ ſunt omnes carnis differentiæ, quarum facilè regigni, dum deperditur, poteſt prima: ſecunda difficulter: tertia verò poſſibiliter,partim difficilius. Sic enim Hippo. inquit: *Neruum diſcuſſus non coaleſcit, neq; veſica,neq; aliquod ex tenuibus inteſtinis, neq; vena ſanguiflua, neq; tenuis genæ pars, neq; pudendi pellicula*: qualiter vero in ſenibus caro regenerari poſſit,& quibus medicamentis,latius poteris legere *lib.de recto præſid.vſu*.

Carnis differentia. I. II. III. Lib.1. de morb.

Sciendum vltimo in hac inſtitutione eſt,vlceribus plura accidere, quæ circa nouum affectum carnis generationem impediunt: veluti ſanguinis paucitas: cui vſui medicamenta, quæ parum ſiccent,& manifeſtè calfaciant,ſunt adhibenda: nã quæ talia ſunt, plus attrahunt quàm ſiccẽt. Confluit item ſæpè ſanguis tanta copia, quod eam natura regulare nequeat: quapropter quæ repellendi vim obtinent, ſunt admiſcenda, dum non ſint ex adſtringentium genere. Item diſtemperies ſæpe facultatem proſternit, ita vt carnem generare nequeat: quapropter non contrariis (vt nonnulli cenſent) ſed moderatis in omni qualitatum exceſſu diſtemperiem corrigere, & facultati miniſtrari oportet. Verum ſi vlceris diſtemperies plurimum fuerit à medio labens, medicamenta parum à medio recedere tenentur, verſus contrariam qualitatem ei, qua vlcus diſtemperatur. Idem etiam de his,quæ emolliunt, intelligere oportet,ſi præ partis duritie caro gigni non poſſit, & pari ratione de omnibus aliis,quę naturæ ſunt impedimento.

DE HIS, QVÆ CICATRICEM inducunt, medicamentis,

INSTITVTIO XIV.

QVAMVIS vlceratæ partes tunc ſanitati proximæ habeantur, cum cicatrice ſolum obduci deſiderant,non tamen ob id ita certum eſt,quando,qualis, quove modo futura ſit. Nam vlcerum plura ita ſunt malignitate affecta, vt nullis præſidiis cicatrice obduci queant:alia etiam ob carnem excreſcentem, potiùs, quæ exedant,quàm quæ cicatrice obducunt, deſiderant,ob partis affectæ præſtantiam. Alia rurſus ob partis ſitum & naturam diuerſis medicamentis expoſtulant cicatrice obduci, qualia ſunt internarum partium,oculorum,aurium, narium & oris. Quapropter quatuor ſeſe nobis offerunt diſputanda in hac Inſtitutione. Primum, quod ſimplicem & optimam cicatricem efficere doceat: ſecundum, quid poſſit modum ponere ſupercreſcenti carni: tertium, qua via malignis vlceribus cicatrix conciliari poſſit: quartum verò, quid iuxta diuerſitatem partium cicatricem inducat.

Epuloticorum natura Lib 5 ſimpl. cap 16.

Ante omnia tamen neceſſum eſt monſtrare, qualis ſint naturæ & ſortis medicamenta epulotica nuncupata. Cuius rei reminiſcitur Galenus, monſtrans duplicem obtinere naturam: primam eorum,quæ ex accidenti epulotica dicuntur,quę carnem detrahere, & colliquare propria natura ſunt apta, quorum ſi minimum quid ſuper vlcus inieceris,ipſum ad cicatricem perducet: cuius generis ſunt *calcithis, æs vſtum & lotum, æris ſquama, myſi ac vitriolum*: hæc enim calli inſtar carnem indurando, & contrahendo, cicatricem dicuntur inducere: quibus ſi paulo largius vtaris, vlcus cauum efficies. Longè tamen diuerſa ab his eſt natura eorũ, q̃ verè epulotica dicuntur: nam præter id, ꝙ nihil proficiunt, niſi magnam quantitatẽ vlceri imponas, carnem ſolum alterare habent, non exedere, vt ea, quæ mox diximus: id quod perficitur per ea medicamenta, quæ carnem ipſam contrahere, conſtringere, denſare & exſiccare, ac inſtar calli durare valent, quæ vt plurimũ ſicca ſunt, & frigida, vt *galla, alumen, æs vſtum, malicorium, balauſtium, acatia, thus & huius generis alia*: quæ omnia Galen. de epuloticis refert: Quippe *regignere* (inquit) *aliquid opus eſt, quod perit, non tantum vnire, quæ diſſident: cæterum diuerſa ratione hic gignere, quod deficit, quàm in cauo vlcere, quando illic ſanguis, hic caro, pro materia fit: ſiquidem quod cauum eſt, impletur ex gignenda carne, quæ ex ſanguine ortum habet: at in cicatricem perducitur, quod iam eſt impletum ex gignenda cute, quæ ex ſubiecta creatur carne. Cæterum*

Vere epulotica. Lib.9.ſimpl. Lib.9.ſimpl. Lib 3. pharma gen.c 8. Li. 6. aph.8. Lib.1. pharma. gen.c. 11. Lib.3.meth. cap 5.

caro

caro eadem ſpecie cum ea, quæ periit, gigni in cauo vlcere poteſt: cutis talis omnino, qualis erat, quæ periit, reſtitui non poteſt, ſed quid ſimile cuti, & quod eius officium ſuppleat. Quibus verbis cnnſtat, ex carne per vlteriorem exiccatinnem fieri cicatrices, & eis deberi ea medicamenta, quæ mnx diximus ſubiectam carnem poſſe alterare.

Lib.3.meth. Lib.4. methodi.c. 10. Qualis ſit futura cicatrix & quomodo.

Qualis verò futura ſit cicatrix, & qonmodo, apertè dncuerat Galenus, docens cicatricem cutem non eſſe, quia pilis caret: inquit enim: *Ergo quoniam cutis carne ipſa, tum ſiccior, tum etiam denſior eſt, ſi carnem ſiccabimus & adſtringemus, cuti etiam perſimilem reddemus: nam quæ cicatricem inducunt medicamenta, non ſolùm, qui influit, conſumere tenentur humorem, ſed eum, qui in ipſa carne ſubiecta continetur.*

Lib.5 phar. loc cap.6.

Cæterum in hoc opere cauere plurimum oportet calli generarionem, vt Galenns apertè conſulit dicens: *Cura enim habenda eſt, vt citra callum cicatrix inducatur.* Arque ea gratia ea pharmaca in vſum veniunr, quæ multam ad tactum lenitatem inducunt: ſubnritur enim cicatrix paulò ſicciotibus his, quæ carnem generant, & minimè mnrdentibus. In publicis itaque cnrporis particulis, & planis vlceribus, leniſſimis medicamenris cicatrix quærenda eſt, aut ſalrem ſarcoticis maiori adhibitis copia. Qund ita facere in lienoſis ac ſenibus nnn adeò facilè eſt: neq; exedentibus medicamentis, nec plurimum lenibus, quia maior & defnrminr fiet cicatrix: quas pnfectò emendare, niſi recentes fuerint, non poteris, ac ſi id futurũ eſt, calamintha ſuperſparſa facies albinrem cicatricem, ſicuti ipſa cum vino cncta, aut argenti ſpuma lota cum oleo rnſaceo: item oleum, in quo ferbuerit brioniæ radix, ſicut thyitem lapidem refert Galen. recentes cicatrices emendare, inoeteratas difficulter, licèt medicamenris, quæ carnem exedant, anſerinn aut gallinaceo adipe commiſtis, ſæpe id ex vntn ſuccedat: alia verò, quæ cicatricem corriguot, leges *libr. de rect. præſidior. vſu.*

Quid in cauo vlcere ſit faciendum.

In cauo vlcere neqne antea cicatricem inducere, quàm carne adimpleatur, par eſt, neque plurimum carnem permittere ſupercreſcat, ſed cùm planum factum ſit vlcus. Quæ quidem opera cautè facies, ne cùm exedere & æqnare carnem intendimus, aut creſcentem plus iuſtn exedamus, ant præter inſtitntum, caro ipſa in cicatricem degeneret, antequam æqualis efficiatur.

Lib.13.method.c. 16. Lib.de conſ. art.med.

Qund etiam aduertit Galen. dicens: *Ceſſare enim conſulit Hippocrat. antequam finem facias*, & eleganti oratinne *alibi* his verbis dixerat: *Eatenus verò vtroque vtendum, vt tum primum deſinas, vbi ad commoderationem peruenerit, priùs quam ad contrarium aſcendat: nam & carne ſupercreſcente diminuenda, niſi in ſymetro ſubſtiteris, cauam partem repræſentabis: & caua recreanda, niſi ſteteris, ibique in ſymetro ceſſaueris, immodicè carnoſam efficies.*

Exedentia.

Sunt etenim inter medicamenta exedentia plura, quæ niſi debitè adhibeantur, id pnmptè efficiunt: quod docuit Galen. diſtinguere, cnllatione facta corporis, naturæ & partis affectæ, ac virium medicamenti: nam quæ acria ſunt, in minima quantitate adhibere npnrtet, dum cicatricem inducere ſtudemns: at ſi carnem exedere, liberaliùs. Cuius generis ſunt *atramentum ſutorium, calcithis* & ſimilia. Quæ verò vehementer ſiccant, ſunt vt *ſpongia, aſphodelorum radix, hermodactyli, ſtupa minutim inciſa, linimẽta muria imbuta & exſiccata*, quæ varianda ſunt pro partis aut cnrpnris conditinne: nam in humidis cnrporibus quæ acria ſunt & exedentia, cicatricem inducere nequeunt: ſufficiunt qoidem, quæ ſiccandi vires habent. At in ſiccis corporibus & naturis, exedentia pntiùs cicatricẽ inducunt, quàm carnem exedere pnſſint: quæ verò ſicca ſuot, pus quidem mnuere ſunt apta, cicatricem nnn poſſunt.

Vlcera ægrè ad cicatricẽ deuenientia.

Cnntingit nnn rarò, etiam ſi vlcus carne ſit obductum; cicatricem ſuſcipere nullis remediis poſſe, ant iam factam mnx euaneſcere, & vlcus derectum, vt priùs erat, ſupereſſe. Ægrè quidem ad cicatricem deueniunt vlcera, quæ hac ratinne dyſepulntica appellantur, aut maligoa, vt inſinuauerat Galen. Qun fit vt ad hæc duo tantum vitia expediat reducere cauſſas omnes, quas Medici paſſim in vlceribus ægrè ad cicatricem venientibus cnnſiderant. Suot itaque, vt Galenus *locis citatis* recenſet, hæc vlcera ea, quæ ex humorum cnnfluxu vel multorum, vel acrium, cicatricem admittere nequeunt citra particulæ affectæ aliud vitium.

Li.2.pharm. gen. cap.18. Lib 4. c.2.

Vlcera cacoethe quæ.

Cacoëthe autem vlcera appellaotur, *quorum partes affecta ita vitio conſpurcata ſunt, vt ex ſibi commiſſo alimento, aut callum aut carnem fœdam nigramve, aut quouis alio vitio conſpurcatam efficiant*, qun fit, vt cicatrice partes non obducantur: at dyſepulntica nb prauorum aut mulrorum affluxum, & nb id dioerſa ratinne præſidia ſunt adminiſtranda. Nam quæ dyſepulntica ſunt, præmiſſa per ſanguinis miſſionem & purgatinnem prnuidentia, validam citra morſum exiccatinnem expnſtulant. Præterea ſumma diligeotia corandum eſt, vt quod influit, reiicias, repellas ve, ſi plus iuſtn qualitate aur cnpia peccauerit: & ſi quid influxit, diſcutiendum pnrrinus eſt, iis, quæ citra immodicum calnrem & acrimnniam id valeant efficere: quibus præmiſſis, ſiccintibus cicatricem ioduces, vt dncuit Aëtius his verbis: *Quemadmodum antea diximus, duplex ſcopus propoſitus eſt in curatione partium, quibus nullus deprauatus habitus ineſt: alter repellendi, quod influit: alter diſcutiendi, quod in affecta parte eſt*: & lnngiſſima oratinne peruenit curandn vſque ad cicatricis inductinnem.

Libr.4. ſer. 2.cap.40.

At ſi cacoëthe fuerit vlcus, præmuniro corpnre decenti euacuatinne, ne ſnttè eius vitin vlcus tale fiat, particulæ temperies omni arte corrigenda eſt, ne deinceps humores vitiet. Expedit tamen ante, ſi quid præter naturam in vlcere factum eſt, id radicitus abſcindere: nam mnx noua temperie conciliata, & carne nouiter præexiſtenti genita ſimili, leui negotio cicatrix fieri pnterit. Quòd ſi adhuc non ſuffecerit, expendere npnrter, quatunr eſſe vlcerum cnnditinnes, quibus ipſa ægrè cicatricem admittunt, & quibus, pnſtquam aliquam adipiſcuntur, facilè iterum amittunt.

Conditiones propter quas vlcera cicatricem difficulter admittunt, vel admiſſã amittunt.

Prima, cùm vlcus malum cootraxerit habitum: argumenro ſunt ſenes & hydrnpici, quns ſanare antea non poteris, quàm malum habitum auferas, etiam ſi caro en ſiccerur, quòd in cicatricem degenerer: nam paulò poſt, ſua ſpnnte in priſtinum delabuntur ſtatum. Nec minus quidem graoia ſunt vlcera, quibus cnntinuus imminet aliunde fluxus: indicin ſunt fiſtulæ & variceſa vlcera: item caocroſa, & quæ iam callum

conita-

poſſibilis: quia hæ quatenus inſtrumentariæ ſunt, vim non habent alterandi, coquendi, aſſimilandi, & regenerandi carnem, neceſſaria quidem opera ad vnionem. Quod licèt aliquando fiat, id virtute fit ſimplicium: nam figura, numerus & magnitudo nil horum efficere valent: non quidem vt Tagaultius arbitratur, quia ex toto ſcinduntur venæ & arteriç. Cum hoc tamen non eſt credendum, omnes ſimplices vniri poſſe, ſed ex his quaſdam propriè vnionem ſuſcipere, quaſdam impropriè, & difficulter, quaſdam verò impoſſibiliter.

An omnes partes ſimplices poſſint vniri.

In quo ſanè opere expendiſſe oportet, quid vnio ſit, quid gluten, ac denique quid agglutinatio. Eſt quidem vnio *reditus ad vnum*, nam per diuiſionem plura erant facta, quæ prius vnum erát. Præterea continua & verè vnum ſunt, quorum extrema ſunt vnum, & in partium vnione non ſemper extrema fiunt vnum (nihil videlicet, ſubſtantiis, quæ duræ, frigidæ ac ſiccæ ſunt, quas diximus difficulter coaleſcere, vt oſſa & cartilagines & nerui, intercidit ſimile) quia mediat ſæpè alia ſubſtantia, diuerſa ab ea, quæ in parte diuiſa eſt. Quapropter oſſa non dicuntur te vera vniri, quia non coniungitur os, niſi medio callo, quo veluti vinculo veram vnionem æmulatur: quæ potiùs connexio & colligatio cenſenda eſt, licèt in pueris Galen. aſſerat, oſſa probè poſſe vniri: quia calore & humido abundant, & ſunt molliſſima. Alia vero huic tractationi proficua, pulchra & difficilia leges expreſſiùs *lib. de rect. præſid. vſu*. Oſſibus quidem proximè accedunt cartilagines, venæ & arteriæ, licet faciliùs multo id fiat: mediam enim, quatenus ad vnionis facilitatem attinet, inter carnem & oſſa naturam obtinent: quapropter nō deſperandum eſt poſſe vniri. Caro etenim inter omnes partes veriùs faciliùſque vnitur, nullo intercedente medio à carne ipſa diuerſo. Neceſſe tamen eſt naturam aliquid habere: quia cùm mutatio fieri non poſſit à morbo ad ſanitatem, à diuiſis ad vnionem, abſque motu & actione aliqua, fit, vt glutinatione moliatur ad eandem naturam reditum: quod nulla ratione fieri poteſt, citra vinculum & gluten, quo vera ſymphiſis & vnio fiat commodè: eſt tamen id vera caro eiuſdem naturæ cum præexiſtenti, quia nulla continui ſolutio poſt vnionem manet abſque cicatrice: at cicatrix caro eſt ſiccior ſolidiorque facta, ergo citra ipſam vniri non poterit. Maluit tamen Galen. hanc carnem, quæ interſtat, gluten appellare: cuius quidē generatio in hunc modum eſt. Sanguis, qui attrahitur à partibus carnoſis ad propriam nutritionem, poſteà quam ad extrema diuiſa peruenit, vbi venæ ſunt vulneratæ, effunditur, & à partibus iam contiguis eo modo alteratur, quo alius ſanguis in partibus integris: quæ quidem ſibi ſanguinem apponunt, & adhærere faciunt, atque ita ſibi aſſimilant, vt tandem viſcoſum & craſſum glutinis modo fiant, & ſic vniuntur, & per integram aſſimilationem fit caro, in qua verè fit huiuſmodi vnio, vt apertis verbis docuerat Gale. *Agglutinatorum, aut omnino carnis generatione non egent, aut planè exigua.* Quibus verbis conſtat, in vera vnione puſillum carnis generari.

Vnio quid.

Quare oſſa non vere vniantur.

Cartilagines, venas & arterias poſſe vniri.

Glutinis generatio.

Lib. 3. meth.

His præmiſſis, ſtatuendum eſt quatuor eſſe carnis ſpecies: glandulosa vna eſt, quæ nullam membrorum ſeminalium miſtionem ſortitur: ſimplex, quæ fibras ſeminales obtinet: confuſa, quæ fibras & membranas: lacertoſa, quæ ligamenta & neruos adipiſcitur. Quo fit, vt carnis nomine, cui facilitas coalitus ineſt, veteres rubrum illud, molle ex ſanguine genitum, ac ſibi aſſociatum, citra medium alterius naturæ intelligant.

Carnis quatuor ſpecies.

Præterea ea membra hac in parte in memoriam reuocare oportet, quæ nulla ratione conglutinationem admittere diximus: quorum quædā ſunt ita tenuiſſima, vt ſolutæ coaleſcere ampliùs nequeant: ideò veſica, niſi in ceruice diſciſſa, non coaleſcit. Alia autem, quæ in integrum diſciſſa ſunt, minimè vniri poſſunt, quorum etiam notitiam tribuit Hippocr. item ea, quæ perpetuò motu agitátur: vnde ſepti & pulmonis vlcera raró ſanitatem conſequuntur: poſtremò ea, quæ & eis ſunt nobilitatis & præſtantiæ, vt ſciſſio plurimos exhauriat ſpiritus antequam coaleſcant.

Quæ membra agglutinationem non admittant.

Lib 6. apho. 19.

Inſuper ſtatuendum eſt, huiuſmodi coalitum non eſſe artis munus, ſed naturæ: quod egregiè docuerat Gale. Supereſt tamen in prædicta vnione artis miniſterium & pręparatio agenti naturę: quam ſanè præparationem quadruplicem eſſe oſtendit Gal. Prima fit remouendo, ſi quid eſt inter partes diuiſas, quod applicationem exactam ficti impediat. Secūda diuiſas partes ſimul committere & alligare docet. Tertia eaſdem iam applicatas firmare ac ſtabilire præcipit, & ſtabilitas eo modo conſeruare. Quarta verò docet partis ſubſtantiam tueri: quæ omnia neceſſum eſt Chirurgum memoria tenere. In applicatione itaque præſtanda manus Chirurgi vim potiſſimam habent: faſciæ verò & ſuturæ potius conſeruant adductas iam partes, quam efficaciam habeant adducendi: alia quidem præſidia mixtum opus videantur præſtare, iuuare, inquam, exactam applicationem, & quæ applicata ſunt, arctiſſimè connectere: cui vſui deſeruiūt commodus partis ſitus, & ſanioſi excrementi affluxus. Vltimā manum imponunt exſiccātia, quæ partis ſubſtantiā tueantur, quorum abundè dictum eſt.

Lib. 2. & 3 de natu. fa.

Lib. 11. met.

In qua re pro partis varietate varia oportet cōſignare pharmaca, quæ cuiq; proficua ſint. In oſſis fractura prius oportet oſſa coniungere, & in propriam figuram reſtituere, deinde ad calli generationem peruenire.

Calli materia.

Porrò Galen. ait callum procreari ex exeremēto nutimenti oſſis: appellat quidem recrementū proprii alimenti, non quidem verum excrementum, ſed partem alimenti reſidui. Nam qua ratione oſſa ex omnibus humoribus nutriuntur, eodem prorſus modo in calli generatione neceſſum eſt, ex vniuerſa maſſa humorum aliquid aſſumere, ſed plus ex eo, quod craſſum eſt, & viſcidum, vt pituita eſt, & humor melancholicus: nam quod futurum eſt vinculum, vt firmum ſit, ex craſſitie duritiem, ex hac robur & conſtantiam, ex viſciditate verò aptam & firmam colligationem ſibi paret oportet. Quamobrem victus inſtituendus eſt, ad arcendam inflammationem, in principio magnæ fracturæ, tenuis: ad callum generandum deinceps craſſus & tenax & quantitate & qualitate moderatus: nam ſæpe calli generatio impeditur, vbi ſanguis aquoſus eſt, ſicuti vbi plus ſuppeditatur

Lib. 11. me.

tur à venis, quàm poſſit alrerari, pręſertim vbi facultas inualida eſt, vt in ſenibus & malè affectis corporibus, aut cùm callus callo additur ob nouam fracturam: quippe tunc callus nequit ita facile formari.

Qualiter quæ fracta ſunt, vniri, contineri ac tractari debeant, latiſſimè leges *libr. de recto præſid. vſu.* Sat enim eſt hac in parte ſcire, quod vnitas oſſium partes, vt callus fiat, firmabis bitumine, pice, cera, terebinthina, reſina, alumine, propoleos, ammoniaco, myrrha, & pulueribus ex vtraque conſolida, & reliquis huius naturæ, qui vulgares ſont.

Diuiſiones neruorum & tendinũ.

Nerui etiam & tendones, varias patiuntur diuiſionum differentias, namque huiuſmodi partes aliquando punctim vulnerantur, & aliquando cæſim: & rurſus puncturæ nonnunquam patent, ac nonnunquam cœcæ ſunt & occultæ. Item vulnera, quæ cæſim fiunt, nudum aliquando oſtendunt neruum: aliquando verò cute & carne tectum: item aliquando neruus totus eſt præciſus, quandoque autem duntaxat ex parte diſſectus: quæ omnia curationem neceſſariò tenentur euariare. Namque neruis punctis alia conueniunt, quàm vulneratis latioribus plagis, & ſic de reliquis differentiis. Dum punctim neruus ſauciatur, ſola indiget exſiccatione: nam doloris mitigatio, quam omnes Medici veluti primam commendant, ſymptoma eſt, cuius medela ad neruum nihil attinet: nam à principio id vitare, quantum poſſibile fuerit, oportet, & exſiccare ſaniem & excrementa, quæ in vulneribus neceſſariò gignuntur (noo tamen nerui ſubſtantiam aut temperiem mutare) nam ſi intus maneant, mordent neruos & irritant dolores, conuulſiones ac inflammatiooes. Sic Galen. laudat *ſulphur, ſagapenum & euphorbium*, quibus maiori ex parte oleum admiſcet, quod aliis vlceribos denegauerat: tùm quia oolla in puncturis deſideratur carnis generatio: tum verò ob ſymptoma, cuius præſidium oleum eſt. Quæ ſanè medicamenta tribus modis prodeſſe poſſunt, exſiccando nimirum, vel foras trahendo, vel facta permiſtione vnctuoſæ ſubſtantiæ cum banioſa: qua ratione illius ſaniei acrimonia ſæpiſſimè mitigatur. Quo fit, vt dum omnia hæc officia Galen. exequi velit, omnia admiſceat, ſic quæ valenter ſiccant, vt *euphorbium*, addit, aut dum magis eſt mitigãdum, *ſabinum* ſolùm infundit, vel cum eo miſcet *ceram & terebinthinam*. Aliquando ſanè adiicimus, quæ facultatem mitigatoriam cum trahente obtinẽt, veluti cum *opopanax & ſagapenum* cum oleo adiunguntur. Itaque ab omni humectatione cauere oportet huiuſmodi affectos, ſolum enim quæ moderatè calfaciunt, & valenter ſiccant, huic vſui proficua eſſe his verbis docuerat Aetius. *Nerui enim ſauciati curatio medicamentis opus habet, quæ tepidam caliditatem habent, valde verò ſiccant.* At ſi prorſus non ſcindatur neruus, eodem modo curari deſiderat: caoendum tamen eſt, ne agglutinantibus hæc & maiora mala ſuccreſcant. Quod ſi conuulſio ſuperuenerit, præſcindendæ ex toto fibræ ſunt, poſtea tamen vulneratas partes vnire oportet, ſutura aut ligatura decenti: id tamen citra nerui aut tendonis punctionem: quod profectò ante inflãmationem feciſſe oportet. Verùm ſi neruus cute detectus ſit, fugere acria medicamẽta oportet, qualia ſunt, quæ ex *euphorbio* componuntur: eligenda tamen, quæ abſque roſione ſiccent: quapropter abluere huius rei gratia medicamenta oportet. Si verò neruus contuſus fuerit, quæ exſiccãdi & adſtringendi vires habeant, ſunt eligenda: vt *fabaceam farinam cum oxymellite & ſapa*, cui admiſcebis irim Illyricã & abſynthiom: ac ſi vehemens fuerit dolor, roſaceum adhibebis cum albumine oui. Si verè cæſim nerui continuitas ſoluatur, agglutinatoria medicamenta ſunt adhibenda. Cæterum quia neruorum natura expoſtulat, quæ modicè calfaciant, & valenter ſiccent, & ex altis partibus liberaliter trahant, ne quod ex volnere ſupereſt excrementum, diu ibidem moretur, cum hoc tamen hoc ſibi peculiare exoptat neruorum vulnera, vt non exactè labra committantur agglutinenturve, ſed foramen aliquod relinquatur, per quod, tanquam per emiſſarium ſanies effluere poſſit: ſunt autem medicamenta huic vſui idonea, inter alia, quæ Gal. recenſet, *centaurea maior, lingua canis, lanceola, piloſela, conſolida maior & minor, oleum lumbricorum terreſtrium, terebinthina, gummi, opopanax*, & alia id genus, quæ licèt frigida ſint, aptiora calidorum miſtione redduntur. Reliqua leges *libr. de rect. præſid. vſu.*

Lib. 3. & 6. meth.

Lib. 4. ſer. 2. c. 27.

Lib. 5. pharma. gen.
Lib. 6. method.

DE ANODYNORVM ET LEnientium auxiliorum recto vſu.

INSTITVTIO XVI.

SOLENT accidentia eo miſeriæ & grauitatis ac moleſtiæ peruenire, vt etiam ſi morbus ſuapte conditione grauis ſit, vniuerſum curantis conſilium ad ſe vertant. Cui miniſterio duo adinuenit ars auxilia: quorum primum anodynorum medicamentorum eſt: reliquum verò leniens, ſiue paregoricum appellatur, quorum vis & efficacia eſt, dolores, vigilias, tuſſim, defluxiones, & ſanguinis defluxiones ſedare.

Anodynorũ differentia.

Anodyna igitur medicamenta, quæ propriè doloribus medentur, ſuas etiam ſortiuntur differentias: nam quædam re vera ſont anodyna, quæ primum genus conſtituunt, quædam, vt Galen. ſtatuit, talia dicuntur, licèt ſua natura anodyna non ſint, quibus iunctis conſtitui poteſt tertium genus. Illa enim, quæ primo genere continentur, calore ſuot ita temperato, vt calori noſtro natioo quàm ſimillima exiſtant, aut ſaltem primum ordinem calfacientium noo tranſcendant: nam ſic dulci ſenſu, quem mouent, partiom dolore affectarum triſtitiam, moleſtumque ſenſum abolent. Quæ ſane præſidia etiam tenuium eſſe partium conuenit, nihilque habere adſtrictioois, vt vnà pariter euacuent, digerant, rarefaciant, extenuent, concoquant, atque æquabile

Lib. 5. ſimpl. c. 19.

bile reddāt quidquid in partibus dolore vexatis humorum eſt acrium, leniorum, craſſorum aut multorum in renuibus ſpiramentis infartorum, vel quidquid vaporoſi aut craſſi, aut plurimum frigidi ſpiritus partieulæ dolenti inhæſit, impactumq́; eſt. Cum hoc tameo potiſſimùm eius efficaciā & vſum eluceſcere comperies magis in dilatandis aperiendiſq; meatibus, & laxandis partibus ipſis, vt minus tenſiooe crucientur.

Anodynorū genus. Primum igitur anodynorum genus continet, quæ oostro calori ſimillima eſſe diximus, vt *oleū dulce ætate medium, de ſemine lini, chamomeli, amygdalarum dulcium*, & reliqua id genus. Quæ omnia hoc habent proprium & peculiare, vt omnibus dolorificis affectionibus mitigationis gratia cōueniant: omnibus etiam cauſſis & temperaturis: prætereà omnibus morbi temporibus, aut anni conſtitutionibus adhiberi poſſunt: & corpori pleno & vacuo proſunt: aliquando dolorem ſolùm mitigant: item oonnuoquam affectiooem ſanant. Nam dum ſimilia ſunt oostro calori, acrimoniam malitiamq; cauſſæ retundunt: dum verò caloris primum gradum ſortiuntur, per inſenſilem halitum cauſſam illidunt: ſic dum cauſſa maius faceſſit negotiū, quæ primo gradu ſunt calida, adhibenda ſunt: dum dolor vrget, quæ nobis ſimilia exſiſtuot.

II. Secundum aoodynorum genus, licet pręcedētia aliquo modo accedat, cum hoe tamen magis videtur contra cauſſas pugnare: nam aut euacuat digeritque, quod in parte eſt contentum, dum eopia plus iuſto ipſam diſteodit dilaceratve, aut qualitate certat aduerſus vniuſcuiuſq; qualitatis exceſſum: frigidam calfaciendo, & calidam refrigerando, ac ſie de reliquis oppoſitionibus.

Lib. 6. pop. part. 5. Quæ omnia his verbis docuerat Hippoc. *In doloribus proximum ventrem purgare, ſanguinis ventrem reſcindere, vſtio, ſectio, calfactio, refrigeratio, ſternutatio, &c. Quibus verbis*, inquit Gal. *remedia annumerat, & leuibus & ſæuiſſimis doloribus ſuccurrentia.* Quod ēt

Lib. de loc. in hom. idem Hip. docuerat dicens: *Sananturq́; dolores contrariis, idq́; etiam vnicuiq́; morbo proprium eſt.*

III. Narcotica. Tertium anodyoorum genus continet ea medicamenta, quæ licèt anodyna dicantur, re vera talia non ſuut: cuius cenſus ſunt omnia narcotica appellata, quæ partium ſtupore & ſenſus priuatione, dolorem perſentiri vetant, oon tollunt. Quæ ſane medicamenta maximam adeò habent vim, vt ſæpè ooceant: quo ſit, vt vtroque modo errare cootingat, aot ſi plus, quàm par ſit, narcoticis vtaris: vel ſi præ dolore laborantis vires labi

Lib. 11. Method. c. 1. ob timorem permiſeris. Quod profectò Galen. his verbis ſcripſeras: *Qui verò cubantis delitiis ſubſcribit, einſq́; voluptatem, non ſanitatem pro meta gerendorum habet, adulatoris, vbi vltra progreditur, crudelis hominis officium facit.* Ergo veluti in omni totius vitę, tum habitudine, tum actione, ita hic quoq; conſilium illud Sapientis, qui, Nequid nimis, dixit, contemplemur: habentes pro fine, quò teodamus, cubantis vtilitatem. Eſto igitur termious in ægrotantibus, quę non tranſibit is, qui ex arte generosè contra morbum pugnat, vt vires cuſtodiat. Stupefacientia igitur, frigida ſunt, doloris ſenſum adimentia: quæ quidem calorem natiuū ſpiritumque, vel extinguendo, vel repellendo, partem, cui fuerint admota, ſenſu priuant: quod omnia frigida præſtare non poſſunt, ſed ea tantum, quæ quarto exceſſu huiuſmodi ſunt, vel ad minimum tertii refrigerantium ordinis medium ſuperant, vt *mandragoræ radix, alterci ſemen, & papaueris ſuccus.*

Stupefacientia quotuplicia. Prætereà ſciendum eſt, ſtupefacientia eſſe duplicis naturæ: nam quædam intus ſumpta ſomnū conciliant, ſenſuſque acrimoniam hac ratione obtunduut: alia quidem exterioribus partibus ſuam gratiam impertiuntur. Quæ omnia in hoc conueniunt, quòd corpus refrigerant, & ſenſus eo vſque ſtupefaciuot, vt ſi paulò liberaliùs adhibeantur, mortem etiam afferant. Differunt ſiccitate inter ſe: nam quæ *humida ſunt, potui vtilia nō exiſtunt*: ſat enim eſt intus ſumere *philonium*, ſiue Perſicum Romanum: cuius naturæ eſt *triphera magna, aut requies magna*: *à quantitate* ℈. ß. *ad drachmam*: nam tutius eſt, iterato id medicamentum præbere, quam ſemel exhibito in maius diſcrimē deferre laborantes: cum hoc tamen ſatius iudicaoi, calidorum aliquid cuiuis narcoticorum admiſcere, quibus non modo periculum declinemus, verum etiam ipſe affectus miteſcat aut humores coquantur, diſcutiaotur, inſciodantur, aut tota ſubſtantia alteretur. Cæterum ex his varia poſſunt confici ſopientium medicamentorum genera: nam quæ ſopotiferi habent plus, ad præſens valent, ſed immedicabilem in parte relinquunt affectum, quæ verò minus & calidorū magis, minus ſunt ad præſens efficacia, tutiora tñ & ſalubriora exſiſtunt: & magis, ſi poſt annum à cōpoſitione ſumātur. *Quæ verò exteriùs adhibentur, non inconuenit eſſe humida*: cum hoc tamen præſtantior eſt is adhibendi modus, qui docet ea admiſcere medicamenta, quæ partim affectui eooueniant, partim cauſſæ, partim verò ſint anodyna, additis duob. tribuſve granis opii, ita vt pro partis dignitate adaugeas aut minuas opii quantitatem, commiſtis etiam calorificis, & cōcoctoriis, ne pro ſenſu, quē in præſens ſopire intendimus, in futurum etiam ſenſum vitamque partis extinguamus, aut ſaltem denſata materia incraſſataq; difficilior fiat affectus. Qua ratione liberaliùs in calidis & acribus humoribus eis vti licet: cum hoc tamen cautiùs & per interualla & à leuioribus & minori copia facto exordio, quo certior ſit de qoantitate coniectura.

Lenientia. Lenientia ſeo paregorica medicamenta, licèt à multis pro anodynis vſurpentur, diſſident tamen: nam hæc ſolis doloribus proficua ſunt: illa verò nō his, ſed plurimis aliis accidentibus commoda exiſtunt. Nam vehementer ſitientibus, vigilantibus, fluxum quemuis patientibus, ac inſuper omnibus aliis affectibus, qui ex humorum acrimonia, calore ac malitia prodeunt, hæc omnia medicamenta protinus ſubueniunt, & præterquàm quòd euacuationem non faciunt, etiam ſenſum aſperum nullum inducunt, quin potius vt Galen. ſcribit, ipſa contrà ſenſuum medentur aſperitati, qualia ſunt *lac, chondrus, pryſana, adeps, oleum dulce & ſimilia.* Quorum profectò duo repetiuntur genera: nam quædam ſunt, quę ex accidenti leniunt: quædam verò, quæ primò & per ſe. Quæ verò id ex accidenti efficiunt, aut vacuato humore, aut facta abſterſione, aut non protinus, aut maiori excitata aſperitate id efficiunt. At quæ verè & per ſe leniunt, quatuor modis docet Galen. diſtinguere ab eo, quod ex acci- Lib. 2. ſimplic. c. 14. Lenientium genera.

denti lenit: primò an ſtatim mitiget, an non: ſecundò an ſimul cum lædentibus euacuetur, an non: tertiò an aſperitatem quandam in corporibus relinquat, vel ſecus: & quartò an ita affectis vtile videatur, necne. Itaq; quod continuo mitigat, & nullam excretionem mouet, ſed neq; exaſperat, dum intus manet, imò exaſperatotũ medela extitit, ipſum quidem natura bonũ eſt. Quibus medicamentis, alia etiã addere oportet, qualia ſunt, quæ à Gal. recenſentur, loquendo de emplaſtris colicis appellatis, quæ opiata apud Medicos habentur. Reliqua verò particularia ad ſedationem cuiuſq; accidentis, reperies *Lib. de Recto præſidiorum vſu.* Lib. pharm. loc. c. 4

DE ROBORANTIVM AVXILIORVM *differentiis & recto vſu.*

INSTITVTIO XVII.

QVANTO roborantia auxilia communiora ſunt, & maioris momenti & vſus, tanto negligentiùs & extra debitam diſtinctionem tractari hucuſq; vidimus: omnes namq; roborantia exquirunt, exhibent tamen pauci, quia principiis carent & legibus, quibus vti oporteat, vt in vſum facultatum adhibeantur. Conabor ob id, vt res clarior euadat, quid propriè ſit imbecillitas docere, & quibus modis omnes potentiæ & ſingulæ imbecillitati poſſint, vt hac via eluceſcat, quibus modis vnaquæq; ad priſtinum robur reduci poſſit. Conſtituit quidem Hipp. differẽtiam inter languorẽ & imbecillitatẽ dicens: *Proximus eſt imbecillis languens, verum imbecillior eſt languens, & plus laborare contingit ipſum, vbi iuſtum tempus non eſt aſſequutus, quapropter vtriuſq; naturam perdiſcere oportet.* Vtraq; imbecillitas, *quæ potentiam à ſua ſcopa aberrare facit*: quod profectò prodit, defectu fundamenti aut inſtrumenti, ſpirituum nimirũ aut humidi, vel ſubiecti, in quo hæc ſunt; item non raro vitio temperamenti partis, aut totius. Quam tamen impotentiam ſucceſcere poſſe vno è tribus temporibus euidentiſſimum eſt: nam quædã ante morbum reperitur: cuius ratione particula, cui ineſt, poſtmodum morbum ſuſcipiat: inquit enim Hipp. *Quod ſi ante morbũ aliqua pars doluerit hic morbꝰ firmatur.* Cui ſubſcribit Gal. dicens: *Cum verò fiant & ſenſim increſcant, Medicos pleroſq; latet, quæ ſane non quando ob magnitudinem auxilio tam carent, tamen agnoſcere oportet, quod vulgo contingit, ſed & cum incipiant & fiunt: hoc quidem optimum eſt.* Quædam verò aliæ in morbis ipſis contingunt imbecillitates, vt Gal. *eodem loco* docet, ſic ſcribens: *Alia autem ob ponum adeſt, laborẽ, ſeu propriè dictum, vt dolor idem ſit, ſeu vt quiſpiam dixerit, malam affectionem, quia in acutis morbis agri malè afficiuntur: ſic enim coctiones delitescunt, & aliarum potentiarum actiones vel vitiantur vel abolentur.* Poſt morbum etiam, vt omnibus conſtare arbitror, facultatũ in potentia ferè ſemper ſupereſt, ob morbi cauſarum & accidentium vehementiam.

Lib. de vet. c. 1

... imbecillitas quid.

Li. 2 acu 47

Habent quidem prædictę imbecillitates communem quandam medendi rationem: nam auxilia, quæ per ablationem cauſæ operantur, omnibus ſunt communia, ſed maxime ante morbum. In morbo verò tantùm eas mitigare oportet, & in auxiliis morbo præſtitis eius imbecillitatis gratia aliquid admiſcere, niſi plus vrgeat caſura virtus. Poſt morbum quidem, vbi quæ roborãdi vim habent, potiorem locũ obtinent, conſiderare oportet, quid in parte imbecilla effecerit, deſtruxeritq; morbus; nam iuxta id roborantia adhibere conueniet. Sæpe enim ſolidam ſubſtantiam depopulatur morbus, nonnunquam ſpiritus, ſæpiſſime temperiẽ mutat euertitq;: ac non rarò aliquid humoris relinquitur: cuiꝰ ratione facultas à ſuo ſcopo aberrat. Quo fit, vt hac varietate inſpecta, corroborandi munus aggredi expediat.

Cuius rei gratia ſcire conuenit, tres eſſe imbecillitatis ſortes, iuxta tres potentias, quæ imbecillitari poſſunt, vitalis nimirum (quæ reliquas facilè in conſenſum trahit) animalis, & naturalis: & ſic in quouis membro conſiderare oportet, quæ illarum à ſuo munere aberret, vt cuique iuxta propriam naturam debitum præſidium præſtare poſſimus. Tres imbecillitatis ſortes.

Dictum quidem in hac re eſt, quamuis earum imbecillitati vno è quatuor modis poſſe: nimirũ defectu humidi radicalis & propriæ ſubſtantiæ, vbi talis potentia viget: nam particulæ moles, ſeu materia, vel diſſipatur, vel corrumpitur, aut ſupra modum creſcit, aut deniq; figuram mutat. Item temperies, iuxta eos, quos ſuſcipere poteſt, exceſſus aut defectꝰ, cum materia aut ſine ipſa, idẽ malum nata eſt efficere. Præterea aliquid remanet in parte, cuius ratione facultas nequit ſuum munus perficere. Vltimò quidem ſpiritus, in his facultatibus, quarum ſunt inſtrumenta, aut diſſipati pereunt, aut refrigerati & extincti aut ſuffocati, aut deniq; diſtracti ad diuerſas partes.

His ſuppoſitis ſtatuendum eſt, naturalem facultatem, temperamenti vitio plerumq; imbecillitari: ſicuti animalem ob partium, quæ illi ſubſeruiunt, deprauatam figuram: & vitalem propter omnes, ſed potiſſimum ob eas, quæ ſpiritibus accidunt, læſiones, etiamſi ex accidenti reliquę facultates ab omnibus lædantur. Conſiderare inſuper oportet, an imbecillitas ſit in caua aliqua corporis parte, vt in ventriculo & inteſtinis, vtero aut his ſimilibus: an in articulis, neruis, ligamentis, tendonibus, venis, arteriis & carne, aut in omnibꝰ ſimul: nam diuerſam ob id expoſtulant roborandi rationem.

Inſuper ad certam roborandi rationem inueniendam neceſſarium eſt ſcire, cauſas imbecillitatis prius demoliendas eſſe, antequam alia auxilia aggrediamur: quod ſi id fieri ita facile non poſſit, neceſſum eſt læſæ facultatis actionem aliquo modo ſupplere, ne animal, interim, dum cauſam illidimus, plurimum labatur. Atqui cum dictum ſit, facultatem firmari ex membrorum materia, nimirũ ſpiritu, parte ſolida & temperie, ſic membrorum materia maior, quã ſuſtinere poſſit facultas, ipſam euariare cogitur aut minor, quam opus habeat, pari ratione: illud quidem ſit alimenti vbertate, aut humorũ ad eam partẽ decubitu: hoc verò ex diſſipatione propriæ ſubſtantiæ vel defectu alimenti,

verum-

vtunq; tamen ſit, inedia, laboreve conſumente, aut mala aliqua qualitate colliquante reſoluenteque eandem ſubſtantiam: aut ob humoris tenuitatem raritatemve corporis. At temperies peruertitur (vt dictum eſt) exceſſu aut defectu alicuius qualitatum. Sic ſpiritus, vt iam diximus, diſſipari contingit.

Robur quid. Cognita igitur imbecillitatis natura, cognitis etiam differentiis & modis, incumbit nunc diligenter inquirere, quid robur ſit, quibuſve auxiliis dum abeſt, recuperari poſſit. Eſt igitur robur *actionum perfectio ſeu virtus, aut robur actionis, quo bonus habitus comparatur.* Naturalis namque ſiue appetitus ſiue affectionis virtus, quidam eſt bonus habitus: actionis verò naturalis virtus robur eſt: naturalis ergo actio, naturali eget corporis apparatu, à quo rationem cauſſæ erga ipſam habente producitur. Quocirca illud in primis fieri non poteſt, vt iſtorum alterum adſit, alterum verò deſit, ambò enim ſimul augentur atq; decreſcunt, quibus neceſſariò pulchritudo ſubſequitur, aliud quoddam ab illis, & tertium corporis bonum: quare hæc tria corporis bona, nimirum ſanitas, pulchritudo, & robur, neq; vnius generis ſunt, neque ſimiliter omnia dicuntur, ſed vnum quidem vt primum atque per ſe, alterum tanquàm illius cauſſa, tertium verò vt neceſſariò conſequens. Quibus conſtat, quid teneatur efficere is, qui vires roborare intendit. Nam cùm tota viriũ ratio ſita ſit in partium ſanitate, & rurſus hæ conſtent ex materia optime figurata, temperie, & ſpiritu, fit, vt quouis horum trium deficiente, aut euerſo, protinus deficiant vires, & refici eadem lege deſiderent.

Verùm quia nec partes eadem conſtant natura, neque cauſſæ ſimul eædem ſemper ſunt, neq; rurſus modus idem, neceſſum eſt iuxta rationem vnius cuiuſque membri, cauſſæ & modi, indicationes & materiam, quibus id opus perfici poſſit, exquirere. Materia verò & modus vniuerſalis reficiendi vires in vniuerſum, egregiè monſtratur ab Hippoc. his verbis: *Ad robur autem optima ſunt, quæ carnem plurimam ac denſiſſimam producunt*, & longiſſima oratione id monſtrat ea parte. Ita etiam figuram vitiatam ad antiquam figuram & pulchritudinem reducere teneris, ſi ſtudueris robur parti conciliare: ſic ſpirituum cuſtodiam curabis & temperamenti reductionem: atque hæc in genere dicta ſint.

Lib de affect.

Specialiùs tamen cuiuſque vitium corrigere oportet, initio ſumpto à cauſſa. In qua conſiderandum eſt, an cauſſa, quæ imbecillitatem genuit, adhuc præſit, an aliquid abſente cauſſa relictum ſit. Quippe aliud eſt roborare partes abundantia oppreſſas: aliud prauam figuram corrigere: & longè aliud ſpirituum diſſipationem impedire: ſicut & aliud diſtemperiem frænare, aut rurſus ſubſtantiæ humidæ defectum ſupplere. Sic quæ diſſipant vi calorem, quę frigiditate diſſipationem impediant, deſiderant, ſicut per interualla ea, quæ odorata ſunt, præſertim, quæ alimentoſam habent ſubſtantiam, vt vinum, panis recenter coctus, iura ex caponibus, & aliis odoriferis alimentis, crudis, aſſis, elixis, præſertim quæ grata & iocunda fuerint: maximè ſi condiantur margaritis, & pulueribus cordialibus frigidis, & qui vim habeant compeſcendi diſſipationem ſpirituum. Quibus profectò cùm grata ſunt, duplex refert Aëtius robur admirandum conciliari, his verbis: *Venter enim vbi quod blandum eſt, ſuſcipit, & in ſe complexus tenet, & probè concoquit pro viribus*: excitatur enim natura ad actiones ſæpe ab affectionum feritate miſerè afflicta, ſuſcitat, ac morbũ repugnat, iuxta duplicem modum: ipſum quidẽ malum palam contrarietatis natura caſtigans, vires autem animal gubernantes, conſolãs & excitans, ac fortificans ad ſuperandum morbum. Ex qua ſententia conſtat, quanti momenti ſit, ea alimẽta languentibus præbere, quæ illis gratiora & guſtui ſuauiora ſint. Tandem vt in ſumma dicam, contra modum operandi cauſſæ pugnandum eſt: vt ſi defectum ſpiritibus careat facultas refectione: ſi diſtractione, his, quæ coniungant, comprimãt, & coërceant: ſi ſuffocatione, diſtractionibus & omni diuerſionis genere: ſi dolore & anguſtia oris vẽtriculi aut alterius partis, his, quæ leniant & mitigent. Pari etiam ratione ſi venefica facultate vires labantur, alexipharmacis rem agere oportet, admiſtis, quæ emplaſtricas vires habeant, quia venenata qualitas omnem ſubſtantiam diſſipat & putrefacit. Intemperies quidem duplici ratione imbecillitatẽ parit: vno modo, dũ fiens eſt, ſpirituum diſſipatione ob calorem, aut eorundem extinctione ob frigiditatẽ: cui medeberis, vt anteà dictum eſt: alio verò, dũ intemperies facta eſt, ſubuerſaq; ex toto naturalis membri temperies, quod dum incipiente morbo aut vigente acciderit, graue & periculo plenũ exſiſtit: quo tempore nihil eſt naturæ totius aut partis committendum, vtpote, quæ vires nõ habet, neque inſtrumenta, quibus operetur, ſed vniuerſum negocium arti committere oportet, iuxta affectus indigẽtiam, & conari auxilia præbere, quæ vires habeant ſuperiores morbo (quantumuis contrariis æqualibus dictũ ſit, pugnandum eſſe) quia cùm naturam (quòd languida ſit) non habeamus adminiculantem, neceſſum eſt, auxilii viribus ſupplere naturæ defectum. Secus quidem res ſe habet, cum natura ſuis conſtat viribus, quippe tunc ſat eſt æqualia porrigere, ac ſæpe mitiora proſunt, quia ſupplet naturæ robur medicamenti defectum.

Lib. 2. ſer. 4. cap. 12.

Cæterùm cùm iam inclinante affectu, aut abſente morbo, imbecillitas ſuboritur, ob eam, quam morbus relinquit in membro aut corpore vniuerſo affectionem, maximam quidem eo tẽpore exoptat cõſiderationem, & maturum conſilium. Namq; aut relinquitur diſtemperies facta, aut ſpirituum penuria, aut carnis defectus, duritieſve, aut tenſio, aut laxitas, aut mollities, aut ad motum impotentia: quibus omnibus & ſingulis, facultas nequit in membro aut vniuerſo corpore actiones perficere, maximè ſi cum hoc deſit caloris & humidæ ſubſtantiæ aliquid.

Diſtemperies itaque, quæ ad omnium facultatum impotentiam pertinere videtur, dum facta eſt, corrigi quidẽ nequit contrariis auxiliis, & his æqualibus, vt multi falſo arbitrantur: *nam id tantum ad fiens intemperamentum pertinere conſtat*, vt dictum eſt. At extra affectum, cùm ſolùm expediat ad priſtinam temperiem partẽ reducere, atq; id fieri ſubitò nequeat, nulla ratione licet ea adhibere medicamẽta, quæ pari conſtẽt intenſione, ſed ea quidem, quæ paulatim habitum in contrarium mutent. Nam hæc

lege docuit Hippoc. conſuetudinem mutare, & habitum ea contractum. Verùm quod efficaciùs arbitror, poſſe natiuam temperiem conciliare, eſt, maiorem caloris natiui, ſpirituum ac ſanguinis copiam ad imbecillam partem trahere, quibus faciliùs & promptius ipſa ad priſtinum reducitur temperamentum, quàm quouis alio auxilio. Quo profectò factum eſt, vt *dicat, ventriculus, caput, & cætera membra præcipua, etiamſi in habitu ſint refrigerata, maiorem ſuſceptent gratiam, maiuſque beneficium ex temperatis, & ſimilis naturæ, & temperamento ſimilibus, quàm ex contrariis qualitatibus: nã maiorem potiùs contrahũt impotentiam contrariis, maiuſq; ſequitur damnũ*: quia calorificis euaneſcit puſillus calor, & frigidis extinguitur potiùs, quàm quod habituale intemperamentum remiſſionẽ, & particula ſubſidium recipere poſſint. Sic manus tẽperati corporis, & puerorum calor, & deniq; omnium, quę naturalis caloris temperiem & ſubſtantiam æmulentur, & quę calorem conciliant, & ſpiritum ſummoperè roborant, auxilio ſunt.

Materiam tamen auxiliorum corroborantium partis affectę natura facilè oſtendit. Aduertendũ tamen eſt, hanc eſſe in omnibus legem adſeruandã, quod in principio in calidis affectibus, paulò temperato frigidioribus, & in frigidis, calidioribus paulò temperato, vti oportet, & procedente tempore, vtriuſq; exceſſum remittere, & ad mediam ſeu naturalẽ temperiem peruenire: remiſſum namq; facilè remittit intenſum, trahitque, ſi diu perſeuerat, ad ſui naturam. Sic enim reperies ad capitis imbecillitatem capitalia auxilia temperata, & ad ventriculi impotentiam, quæ ipſum reſpiciant. Verùm in nutrimentalibus membris, & quæ aliis alimenta parant, neceſſe eſt calorem adaugere, aut dum ſuperat, minuere: hoc quidẽ ne coctio turbetur, illud verò, vt perficiatur: nam quod imbecillus calor efficere tenetur, id ars ſuppleat oportet, & ob id paulò calidioribus, quã in reliquis membris, non tamẽ frigidioribus rem agere oportet, quia à frigidioribus longè plus lęderetur, quàm eſſet coctionis beneficium: quod de fientibus intemperantiis ſubaudire oportet, non de factis. Prætereà duplex ſuccreſcit in quauis facultate naturali roboranda ratio: vna qua facultas ad antiquum regreditur ſtatum, eo modo, quo dictum eſt: alia verò, qua roborantur

Duplex roborandi ratio in quauis facultate naturali.

actus ſeu opera vniuſcuiuſq; facultatis, vt de concoctoria dictum eſt, mediantibus calorificis, aut attemperantibus, ſi calidum ſit intemperamentum: ſic retinentis facultatis defectũ ſupplemus, ſiccis & adſtringentibus medicamentis. Qua ratione conſtat merito Gal. dixiſſe, antiquos plurimum aberrare exiſtimantes adſtringentia roborare, cum ea ne potentiam, ſed actum eius ſolum firment. Pari ratione expultrix facultas ſtimulis iuuatur, perficitq; faciliùs ſuum opus. Hæc autẽ dicta ſint, vt intelligat lector, nõ ſemper in morbis facultates, præſertim naturales, eſſe roborandas, ſed tantum licere earum opera præſtare, donec morbus curationem ſuſcipiat. Prætereà contingit non rarò, vegetabiles potentias vitiari cõſenſu vitalis, cuius etiam edicere prouidentiam conuenit, vt euocato ad eas partes calore & ſpiritu, facilè vegetabiles redeant ad antiquum munus. Animalis verò facultas multis rationibus impeditur & labaſcit, defectu nimirum inſtrumenti communis, temperamẽti videlicet (quod ad priſtinum ſtatum dictis modis reducere oportet) aut animalium ſpirituum reſolutione, vt cõualeſcentibus contingit, quos reficere anteà docuimus: aut etiam peculiaribus inſtrumẽtis, neruis videlicet, ligamentis, tendonibus aut muſculis malè affectis, quæ omnia aut dura aut laxa præter modum ex affectu ſuperſunt, vt accidere frequenter ſolet in ſolutionibus continui, curatis luxationibus, tumoribus, fluxibus, dolorib[9], aut aliis huiuſmodi affectionbus: qui aut humoris præſentia facilè ſic fiunt, aut ea membra ſic affecta à morbo ſuperſunt. Si verò ob humorum affluxum prædicta impotentia proueniat, curari per ablationem cauſſæ deſiderat, vt anteà diximus. Verùm ſi ex morbo prodeat, vera roborandi ratio in duris, emollitio eſt, in mollibus verò & laxis cum adſtrictione exſiccatio, admiſtis etiam medicamentis, quæ humorum reliquias cõſumere valeant: qualia ſunt cerata & emplaſtra, atque linimenta huic vſui proficua. Verùm quia *lib. de inter. morb. curat. & de r. cto præſid. vſu*, quæ particularia auxilia cuiq; parti affectæ proficua ſint, latiùs ſcripſimus, in hac ſcribeodi ratione hæc vniuerſalia dixiſſe ſat erit.

Finis Inſtitutionum Chirurgicarum.

IN-

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
QVÆ IN HIS DVOBVS INSTITVTIONVM CHIRVRGICARVM LIBRIS COMprehenduntur, ſatis locuples.

CVIVS NVMERI SVO LOCO VBIQVE appoſiti, denotant Numerum paginæ.

A.

ABSTERGENTIA. 77
Acerbitas quot modis exſoluatur. 69
Adſtringentia, acida, acria, amara, ſalſa, dulcia. 69
Adſtringentia minus propria. 69
Adſtringentia an & quomodo roborent. 70
Adſtringentia quotuplicia. 70
Adſtringentia quibus non conueniant. ibid.
Adſtringentia quid, quæ eorum natura, differentiæ & genera. 69
Affectiones repellentia non ferentes quæ. 81
Affectuum internorum reſolutio quanam habeat obſeruanda. 83
Agglutinantia non omnia agglutinare, & quæ non agglutinent. 94
Agglutinatio à quibus membris non admittatur. 95
Agglutinatorum quid, quæ eius natura, & quomodo à ſarcoticis & epuloticis differat. 94
Aneuriſma quid, & quæ eius curatio. 10
Anodynorum differentia. 96
Anodynorum genus. 97
Aperientia. 74
Aperientia quæ 72
Aperientia quomodo differant à rarefacientibus. ibid.
Apertionis obſtructionum ſecundam genus. 77
Apophlegmatiſmata quotuplicia, & ex quibus fiant. 65.
Apoſtema quid. 1
Arterias poſſe vniri. 95
Arteriarum vulnera quomodo curanda. 35
Atheroma. 16

B.

Bocium. 16
Bronchocele. ibid.
Bubo. ibid.

C.

Calculi indurati, ſed non omnino contreti medicamenta. 76
Calculum veſica non poſſe frangi. 76
Calculum impropriè frangentia. ibid.
Calculum frangentium medicamentorum genera. ibid.
Caliditatis natura quæ. 67
Calli materia. 95
Calori non ineſſe vim trahendi. 78
Caluariæ fracturarum ſpecies. 41
Caluariæ fiſſura. ibid.
Caluariæ eleuatio. ibid.
Caluariæ colliſio. ibid.
Caluariæ oppoſitio. 42
Caluariæ fracturis ſicca medicamenta qua ratione proficua ſint. 50
Caluariæ fractæ oſſa ſi ſiccis extrahenda, quibus vtendum, & contra. 50
Cancer quid, quæ eius cauſſæ, cognitio & curatio. 19
Cancrorum augmentum prohibentia. 20
Caput quot modis vulneretur. 41
Caput qualia aſtringentia deſideret. 70
Capitis partes quænam vulnerari poßint. ibid.
Capitis vulnera dilatanda, & qua forma. Item quæ oſſa ex fractis liceat abradere, perforare, aut quæ euellere, quæ vero minimè. 47
Capitis vulnus cum cranei fractura. 45
Eorum vera curatio quomodo inſtituenda. 47
Capitis partium læſionis ſigna. 42
Capitis contuſio quid, & quæ eius curatio. 43
Capitis contuſio ſimplex. 44
Capitis contuſio cum commotione cerebri, & eius curatio. 44
Capitis vulnus contuſum. ibid.
Capitis contuſio cum ſubintratione. 45
Capitis vulnus ſimplex. 45
Capitis vulneribus medicamenta in forma pulueris adhibita plurimum ſiccare, ſecus quæ vnguenti aut emplaſtri. 50

Capitis vulnerati ſymptomatum curatio. 50
Capitis cum contuſione carnis vulnerati curatio. ibid.
Capitis vulnerati curatio, quæ habeat cauenda & agenda. ibid.
Capitis vulnera quando non admittant ferramenta aut dilatationem. 48
Capitis vulnerati oſsium complanatio, coæquatio & euulſio. ibid.
Capitis vulnerati raſio in qua parte incipienda. ibid.
Capitis vulnera an requirant medicamenta ſicca vel humida. 49
Capitis vulnus ſi citra ferramentum aut manus opem poteſt curari, quomodo procedendum. 49
Caro vlcerata ex inueterata & immerſa vitioſa humoris ſubſtantia habitualiter fixa, quomodo curetur. 55
Carnis vulneratæ propria & peculiaria excrementa ſunt ſanies & ſordes. 55
Carnis differentia. 92. *Species.* 95
Carnem generantium medicamentorum genera & natura. 91. *gradus.* 92
Cartilagines poſſe oriri. 95
Cauitates corporis quotuplices. 74
Chalybis præparatio. 77
Chalybs opiata. ibid.
Cicatrix quomodo inducenda. 30
Cicatrix vlceris qualis, & quomodo ſit futura. 93
Cicatricem inducentium natura, & quæ vere talia. 92
Coagulata quomodo liqueſiant. 72
Coagulatio generice ſumpta vnde fiat. ibid.
Concoctio vera & ſuppuratio quomodo differant. 86
Condenſationis à frigido triplex cauſſa. 73
Cordis vulnerati cognitio. 38
Cordis vulnerati curatio. 39
Corporis naturalis ſtatus. 1
Corporis cauitates quotuplices. 74
Corpori humano vnde plurima mala eueniant. 80
Corporis partes ſuppurationem non admittentes, quæ. 87.
Cutis conſtricta quomodo rareſiat. 74
Cutis meatus à quibus conſtringantur. ibid.

D.

DEtergentia quotuplicia. 88. *quomodo differant ab abluentibus.* ibid. *Eorum variatio vnde petenda.* ibid.
Digerentia & trahentia quomodo differant. 79
Digerentium genera. 83
Digerentibus in quo & quouſque vtendum. ibid.
Diſcutientium gradus. 83
Dolor an & quomodo trahat. 78
Dura quomodo liqueſiant. 72
Duritiei quævis ſpecies, quæ vià à ſuis cauſſis proficiſcatur. 73
Durum quomodo differat à tenſo. 71

E.

EMollientia quæ. 73
Emollientia quibus induratis conueniant. ibid.
Emollientia tenuium partium. 73
Emollientium ordines. 74
Emollientia & pus mouentia, quomodo differant. 86
Emplaſtica. 86
Emplaſtica quotuplicia. ibid.
Epuloticorum natura, & quæ vere epulotica. 92
Errhina quid, & quotuplicia. 65
Eryſipelas quid, quæ eius ſigna, cauſſæ, præſagium & curatio. 11
Eryſipelas duplicis naturæ. ibid.
Extractionis modi. 80

F.

FIſtula quid, quæ & quotuplices eius differentiæ, ſigna & curatio. 58
Fiſtula quot modis curanda. 58
Fiſtularum ſordes & ſanies quomodo abſtergendæ. 59
Frigiditatis natura quæ. 67
Frigidam intemperiem non ſemper requirere calefactionem. 68

G.

GLutinis generatio. 95

H.

HEpar quomodo & quibus medicamentis ſit purgandum. 66
Hepar qualia adſtringentia deſideret. 70
Hepatis vulnerati ſigna & curatio. 38
Herpes quid, & quæ eius curatio. 13
Humiditatem duobus modis fieri poſſe. 72
Humiditatis natura quæ. 67
Humores ſuppurationem admittentes qui. 87
Humoris purgandi & medicamenti purgantis ſimilitudo. 79

I.

IEcur quomodo & quibus medicamentis ſit purgandum. 66.
Iecur qualia adſtringentia deſideret. 70
Iecoris vulnerati ſigna. 38
Iecoris vulnerati curatio. 38
Ignis ſacer. 13
Imbecillitas quid, & quot eius ſortes. 98
Indicatio vtra ſit præſtantior, membri ne an morbi. 63.
Indurata quænam requirant emollientia. 73
Induratorum termini qui & quot. 73
Inflammatio quid, quæ eius cauſſa & ſigna. 5. *Præſagium & curatio.* 6
Inteſtina qualia adſtringentia deſiderent.
Inteſtinorum per vulnus prolapſorum repoſitio & curatio. 37.

L.

LApidem veſicæ non poſſe frangi. 78
Lapidem improprie frangentia. ibid.
Lapidis indurati, ſed non omnino concreti medicamenta. 76
Laxitas quotuplex. 71
Laxum quomodo differat à molli. ibid.
Lenientia quæ, & quæ eorum genera. 97
Lien quomodo & quibus medicamentis ſit purgandum, & quotuplex eius ſit purgandi ratio. 66
Lienis vulnerati cognitio. 38
Lienis vulnerati curatio. 39
Localis motus quotuplex. 78
Lupus. 16

Materia

M.

MAteria ſpecies & modus à quibus ſumenda. 62
Meatuum vrinæ obſtructiones. 75
Meatuum patentiorum obſtructionis cauſa. 75
Medicamenta quotuplicia. 74
Medicamenta fortia quomodo acrimoniam amittant. 76.
Medicamenta trahentia quotuplicia. 78
Eorum vtilitas. ibid. Genera. 79
Medicamenta repellentia quibus affectibus non conueniant. 81
Medicamenta adſtringentia oculis conuenientia quæ. 82.
Medicamenta reſoluentia agere mediante calore. 83
Medicamentorum reſoluentium natura. ibid.
Medicamenta reſoluentia quando vſurpanda. 84
Medicamenta emplaſtica. 86
Quotuplicia. ibid.
Medicamenta detergentia quotuplicia. 88
Quomodo differant ab abluentibus. ibid.
Eorum variatio vnde petenda. ibid.
Medicamenta deobſtruentia quotuplicia. 77
Medicamenta ſplenetica. 77
Medicamenta repellentia quomodo repellant. 80
Medicamenta lenientia quæ, & quæ eorum genera. 97.
Medicamenta agglutinatoria quid, quæ eorum natura, & quomodo à ſarcoticis & epuloticis differant. 94.
Medicamenta aſtringentia non omnia agglutinare, & quæ non agglutinent. 94
Medicamenta ſtupefacientia quæ & quotuplicia. 97.
Medicamenti purgantis & humoris purgandi ſimilitudo. 79.
Medicamentis repellentibus quando & quouſque vtendum. 81.
Medicamentis digerentibus in quibus & quouſque vtendum. 83.
Medicamentorum calculum frangentium genera. 76.
Medicamentorum digerentium gradus. 83
Medicamentorum diſcutientium gradus. 83
Medicamentorum carnem generantium genera & natura. 91
Gradus. 92
Medicamenti purgantis tractio. 79
Medicamentorum epuloticorum natura, & quæ verè talia. 92.
Medico quanam & quot ante particularium adminiſtrationem neceſſaria. 61
Meliceris. 16
Membra agglutinationem non admittentia quæ. 95
Membrum vnumquodque quot modis purgetur. 65
Molle quomodo differat à laxo. 71
Morborum ſortes in vniuerſum quot ſint. 62
Motus localis quotuplex. 78
Motus ab extrinſeco principio ſpecies. 78

N.

NApta. 16
Narcotica quæ & quotuplicia. 97
Neruum vulnera periculo plena. 31
Neruus contuſus. 32
Neruus per transuerſum ſciſſus. 33
Neruus longitudinaliter ſciſſus. 32
Nerui punctis curatio. 33
Eorum ſymptomata. 34
Neruorum diuiſiones. 96
Nodus. 16

O.

OBſtructio venarum. 76
Qui nam his obſtructionibus ſint magis obnoxij. 77.
Obſtructiones ex tumore præter naturam quomodo aperiendæ. 74
Obſtructionum apertionis ſecundum genus. 77
Oculis conuenientia adſtringentia quæ. 82
OEdema quid. 14
Quæ eius cauſa, ſigna & curatio. 15
OEdematis curatio quanam habeat conſideranda. 15
OEdemata an & quæ ſuppurationem admittant. 87.
Olei aparicij efficacia. 50
Omenti per vulnus excidentis curatio. 37
Opiata ex chalybe. 77
Oſſa cur verè non vniantur. 95

P.

PArtes vires communes habentes. 63
Partes ſiccas duobus modis tendi poſſe. 71
Partes corporis ſuppurationem non admittentes quæ. 87.
Partes ſimplices an omnes vnionem admittant. 95
Vnio quid. ibid.
Partium ſitus. 62. Figura. ibid.
Particulæ exactior ſenſus. 63
Partis affectæ notitia. 85
Partis læſæ ſubſtantiæ conſeruatio. 28
Peſſaria ex quibus conſtent. 66
Peſſariorum forma. ibid.
Phlegmone quid. 5
Quæ eius cauſa & ſigna. ibid.
Præſagium, curatio. 6
Pulmonum vulneratorum cognitio. 38
Eius curatio. 39
Pulueris formæ in vulneribus quæ adhibentur, plurimum ſiccare, ſecus quæ vnguenti aut emplaſtri. 50
Purgantia particulam aliquam reſpicientia an reperiantur. 65
Purgantis medicamenti tractio. 79
Purgantis medicamenti & humoris purgandi ſimilitudo. 79.
Pus an à ſola natura conficiatur. 85
Pus mouentium genera & natura. ibid.
Pus mouentia & emollientia quomodo differant. 86

R.

RAreſacientia quæ. 74. 72
Rareſacientia quomodo differant ab aperientibus. 72.
Repellentia quomodo repellant. 80
Repellentia quibus affectibus non conueniant. 81
Repellentia oculis conuenientia quæ. 82
Repellentibus quando & quouſque vtendum. 81
Reſoluentia agere mediante calore. 83
Reſoluentium natura. 83
Reſolutio internorum affectuum quæ habeat obſeruanda. 84.

Reſolutio quando habeat locum. 64.
Robur quid. 99.
Roborandi ratio quotuplex in quauis facultate naturali. 100.

S.

Sanguis mortificatus, eius cognitio, cauſa, præſagium & curatio. 9.
Saniem & ſordes eſſe carnis vulneratæ propria & peculiaria excrementa. 55.
Sarcoticorum genera & natura. 91. *gradus* 92.
Scirrhus quid, quæ eius cauſa & curatio. 17.
Scirrhi legitimi cauſa, cognitio, præſagium & curatio. 18.
Scirrhi illegitimi cauſa & curatio. 19.
Scrophula. 16.
Septi tranſuerſi vulnerati cognitio. 39.
Curatio. 39.
Siccitatis natura quæ. 67.
Siccitatem duobus modis fieri poſſe. 72.
Similitudo inter medicamentum purgans & humorem purgandum. 79.
Splenetica medicamenta. 77.
Steatoma. 16.
Stupefacientia quæ & quotuplicia. 97.
Suctus quomodo trahat. 78.
Suppuratio & contractio vera quomodo differant. 86.
Suppurationes à quibus tumoribus & humoribus admittantur 87. *à quibus ibidem œdematibus, & corporis partibus.* ibid.
Suppurantium varietas, ibid.

T.

Telorum ex vulneribus eductio. 26.
Tendorum diuiſiones. 96.
Tenſum quomodo differat à duro. 71.
Tenſionis duplex conſideratio. 71.
Tenſionis cuiluſbet ſorti quomodo ſubueniendum. 71.
Teſtudo. 26.
Thoracis vulnere perforati cognitio. 38.
Eius curatio. 39.
Topicorum medicamentorum ſimplicia genera & indicationes. 61. *materia.* 62.
Trahentia medicamenta quotuplicia. 78.
Trahentia & digerentia quomodo differant. 79.
Trahentium medicamentorum genera. 79.
Eius vtilitas. 78.
Tumor aquoſus. 17.
Tumor ex maligno ſanguine, eiuſq; cauſa. 8.
Eius curatio. 9
Tumor flatuoſus quid, quæ eius cauſa. 2. 20.
eius ſigna & curatio. 21.
Tumores compoſiti. 3.
Tumores ex carne. 2. 21.
quæ eius cauſa & curatio. 22.
Tumores extrauagantes. 3. 23.
Tumores ex ſanguine. 2.
Tumores ex pituita. 2.
Tumores ex bile. 2.
Tumores ex melancholia. 2.
Tumores ex materia externa. 2.
Tumores ſuppurationem admittentes qui. 87.
Tumoris generationis cauſa. 3.
Tumorum præternaturalium differentia ſimplices. 2

V.

Vacuandi particularis ratio. 63.
Vacuum quomodo & quot modis trahat. 78.
Venæ cauæ vulneratæ cognitio. 38. *Curatio* 39.
Venæ ſectionem eſſe primum euacuandi modum. 63.
Venarum obſtructionibus quinam ſint magis obnoxij. 77.
Venarum obſtructio. 76.
Venarum vulnera quomodo curanda. 35.
Venas poſſe vniri. 95.
Ventriculus qualia aſtringentia deſideret. 70.
Ventriculi vulnerati ſigna & curatio, 38.
Ventriculum purgantia quotuplicia. 65.
Ventriculus quomodo purgandus. 66.
quibus medicamentis. ibid.
Ventris & eius partium vulneratarum cognitio. 36
Veſicæ lapidem non poſſe frangi. 76.
Veſicæ vulneratæ cognitio, 38.
eius curatio. 39.
Virgæ interiorem carunculam curans vnguentum. 76.
Viſcerum obſtructorum apertio quid primo requirat. 77.
Vnitas entis perfectio. 23.
Vlcus quid. 24.
Vlcus nullibi reperiri ſimplex. 51.
Vlcus virulentum. 51.
Vlcus corroſiuum. 51.
Vlcus ſordidum. 52.
Vlcus putridum. 52.
Vlcus cauernoſum. 52.
Vlcus fiſtuloſum. 52.
Vlcus cancroſum. 52.
Vlcus diſtemperatum. 52.
Vlcus rheumaticum. 52.
Vlcus apoſtemoſum. 52.
Vlcus verminoſum. 52.
Vlcus varicoſum. 52.
Vlcus rotundum, niſi fiat oblongum, ægre ad cicatricem venire. 55.
Vlcus vnde efficiatur dyſepuloticum, cacoethe ſeu mali moris & ægre ſanabile. 54.
Vlcus ſordidum quid requirat. 30.
Vlcus cauum quæ requirat. 30.
Vlcus ſordidum & putrilaginoſum quid ſit. 56.
quomodo curandum. ibid.
Vlcus cauum, quid requirat. 93.
Vlcus cacoethe. 52.
quomodo differat dyſepulotico. 53.
Vlcus quando fiat corroſiuum ac virulentum & quando putridum. 56.
Vlcus varicoſa vena nutritum. 54.
triplex eius curatio. ibid.
Vlcus, ſi in ſinu habeat latens os vitiatum, quomodo perfectè ſanandum. 54.
Vlceris diuiſio, differentia, cauſa & cognitio. 51.
præſagia euentus & curatio. 52.
Vlceris fiſtuloſi & cauernoſi differentia. 57.
Vlceris affluxus malignus quomodo demendus, diuertendus, corrigendus & temperandus. 54.
Vlceris diſtemperati labiorum & carnis circumſtantis calloſa durities quid requirat. 54.
Vlceris humor affluendus quomodo repellendus & digerendus. 55.
Vlceris cicatrix qualis ſit futura & quomodo. 93.
Vlceris ſinuoſi cauſa, ſigna prognoſtica & curatio. 57.
Vlceris ſinuoſi curatio quanam requirat conſideranda. ibid. *Curationis ordo,* ibid.
Vlceris cancroſi cognitio, cauſa & curatio. 59.
quando & quomodo radicitus euellendum. ibid.
Vlceris cancroſi lenientis curationis triplex proceſſus. 59.

Vlceris

Vlceris virulenti curatio. 56
Vlceris corroſiui curatio. 56
Vlcera ex malignorum genere quaenam ſint. 53
Eorum cauſa. ibid.
Vlcera inueterata, quae à fluxione inceperunt, ſi plurimum reſiſtant cicatricem inducentibus, quomodo curanda. 55.
Vlcera ad cicatricem aegrè deuenientia. 93
Eorum curatio. ibid.
Vlcera exſiccandi duplex neceſſitas. 91
Vlcera cacoethe quae. 93
Vlcera ſimplicia quaenam requirant detergentia. 89
Vlcerum inueteratorum curatio quas habeat cautelas. 55
Vlcerum duplicia excrementa. 90
Vlcerum diſtemperatorum curatio. 53
Quando requirat euacuationem. ibid.
Quando rem oporteat agere per contrarias qualitates. ibid.
Vlcerum ſumma cruditatis ſigna. 55
Vlceribus frigidis & calidis quae medicamenta proſicua ſint. 53
Vlceribus in genere omnibus duplex excrementũ in naſci. 55
Vnguentum ad caruncúlas interiores virgae. 76
Vrinae meatuum obſtructiones. 75
Vrinam prouocantia. 76
Vterum purgantia quotuplicia. 66
Vulnus quid. 23
Eius diuiſiones, differentia & ſigna. 24
Iudicia. 25
Curatio. 26
Vulnus dilaceratum quomodo curandum. 30
Vulneris vnionem impedientium ablatio. 27
Vulneris labrorum diſsidentium commiſsio & vnio. 27
Eorundem conſeruatio. 28
Vulneris contuſi curatio quas habeat intentiones. 29
Vulnera inſanabilia. 25
Vulnera tutiſsima. 25
Vulnera lethalia. 25
Vulnera periculoſa quando dicantur, & quid pericul. nomine intelligendum. 25
Vulnerum coalitio quos requirat ſcopos. 26
Vulnerum ſymptomatum correctio. 29
Vulnerum partium neruoſarum diuiſiones, ſigna & praeſag um. 31
Curatio. 32
Vulnerum communis curatio quibus perficiatur. 49.
Vulnerantis cauſae amotio. 28

FINIS INDICIS INSTITVTIOnum Chirurgicarum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFVRTI AD MOENVM,



Typis Hartmanni Palthenij, Sumptibus Hære-
dum D. Zachariæ Palthenij.

ANNO MDC. XIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google